ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SBU

Acta iuridica et solemniora ex Sapremo Romano Pontifice immediate dimanantia : acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi ; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum, qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in eolenda Domini vinea sedulo adlaborant

Volumen XXXII.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1899-900.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION — Ili Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD. — Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

S. MINIATIS

ONERUM

Die 28 Ianuarii 1899.

Per summaria precum,

COMPENDIUM FACTI. In Plenariis Comitiis diei 18 Iunii 1898 haec quaestio oblata fuit sub hac dubitandi formula : ***An Capellani teneantur in officio Diaconi et Subdiaconi ministrare canonico Hebdomadario celebranti functiones*** Agonizantium ***et*** Bonae Mortis *nuncupatas* ***in casu.,*** et rescriptum prodiit : ***Prudenti**** *arbitrio Episcopi.* At Episcopus litteris diei 14 Augusti 1898 etiam atque etiam rogavit EE. PP. ut illis non displiceret decretum edere absolutorium quaestionis quod ipsi expedire non fas erat quin Capellanos aut Canonicos graviter offenderet (1).

Capellani ***ad acta*** aliquas protulerunt attestationes, ut comprobarent ***controversas functiones minime esse chorales,*** quas obire si ipsi iuberentur et gravissimum paterentur damnum; et aliquid praecipere tur novum inauditum et pene inutile.

Hisce praemonitis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 28 Ianuarii 1898, censuit respondere propòsito dubio : « An capellani teneantur in officio Diaconi et Subdiaconi ministrare Canonico Hebdomadario celebranti functiones ***Agonizantium ei Bonae mortis,*** nuncupatas in casu : ***Negative.***

(i) Quaestio haec relata fuit Vol. XXXI, 178.

ANDRIEN.

IURIUM

Die 28 Ianuarii 1899.

Sess. 24 c. 12. De reform.

COMPENDIUM FACTI. In dioecesi Andrien. Ecclesia Collegiata S. Nicolao dicata, plures in suo Collegio amplectens sacerdotes, at ***incerto numero*** adscriptos, vetustate et opibus praestans, pene ad interitum sub nostra aetate redacta fuit; quippe eius bona a Fisco direpta sunt an. 1867. At e direptione canonicis et Ecclesiae, rerum necessitate, aliqua bona fuerunt reliqua, nimirum ***reditus*** assignati, pensionis titulo, canonicis tunc temporis Ecclesiae adscriptis, quousque viverent; et ***fundi*** attributi parocho in legitimam mercedem muneris parochialis.

In communi discrimine parocho contigit, ut quum solus naufragio esset superstes, maiorem nactus sit bonorum portionem, quam antea habebat. Inde quaestio enata est inter confratres, utrum fas esset parocho meliori uti fortuna, arbitrio et imperio Fisci seu furis bonorum Collegii. Haec S. Congregatio quaestioni satisfecit repónens - ***die 18 Decenni). 1884 - S. C. C. mandavit, prouti per praesentes mandat, donec aliter non decernatur, portionem canonicalem praepositi parochi in communem massam immitti, ita tamen ut ex ipsamet massa parocho persolvatur annua portio haud minor ea quantitate quam ante bonorum direptionem percipiebat.***

Novae difficultatis ratio habita est ex more aggregandi novos canonicos, qui cum a gubernio nihil recepissent sive praebendae sive pensionis titulo, sibi aliquos reditus vindicabant ex bonis e parochiali beneficio in communem massam attributis, iuxta decretum antea allatum; sed quaerebant an canonici a gubernio ***pensionem*** recipientes, eamdem partem ex communi massa percipere deberent, quam; ipsi sumebant.

Rem ut componeret S. C. C. haec iussit ***die 8 Maii 1880:*** « Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. interpretum, mature perpensis deductionibus hinc inde exhibitis a canonicis tum antiquioribus, tum recentioribus Collegiatae S. Nicolai, super controversia divisionis redituum excedentium quotam parochialem parocho debitam: attentisque litteris pluries datis hae super re ab Amplitudine Tua, censuit rescribendum : - Portionem redituum missarum legatis gravatam dividendam esse aequis partibus inter omnes canonicos, cum respectivo missarum onere : ex reliqua vero redituum parte, conficiendam primum esse massam distributionum una cum portionibus quae in eamdem, distributionum causa, immittuntur a canonicis qui direptioni bonorum praesistebant, imposito canonicis recentioribus onere missarum conventualium et votivarum in proportione ab Episcopo determinanda. Massa autem distributionum confecta, si quid supererit, aeque dividendum esse inter omnes canonicos, ac singulis tribuendum ratione et loco praebendae >.

Quo ex decreto factum est, ***duas*** constitutas fuisse massas, alteram ***missarum;*** alteram ***distributionum seu massam choralem.*** — Quoad rationem vero constituendi has massas, S. C. C. decreto ***diei 5 Martii 1887*** annuit, ut reditus excedentes congruam parochialem dividerentur ***in quinque partes,*** quarum tres assignarentur ***in massam choralem;*** reliquae duae ***in massam missarum, pro pluribus,*** celebrandarum, constituto stipendio 5 libellarum pro singulis missis.

Quia vero ***massae chorali*** omnes et singuli canonici aequis portionibus participare debebant, nempe tum ii a gubernio recogniti, tum ceteri nullam habentes recognitionem, statutum fuit ut canonici antiquiores a gubernio recogniti seu ***pensionati, in massam choralem*** eam' partem suorum redituum conferrent aequalem portioni, quam ex reditibus praebendam parochialem excedentibus, alii canonici recentiores seu ***non pensionati*** censebantur in eamdem massam conferre. Fingebatur enim hi reditus, parocho non compe-

tentes, pertinere canonicis ***non pensionatis*** et singulis attribuì pro parte lib. 206, quae destinabantur ***in massam choralem.*** Hisce reditibus hac mensura et hoc iure assignatis, cautum fuit decreto ***diei S Maii 1880*** ut, si aliqui adhuc reliqui essent reditus, hos ***aeque dividendos esse*** inter omnes ***canonicos*** et ***singulos,*** (seu pensionatos et non pensionatos), ratione et loco praebendae.

Capitulares quum hac ratione res suas composuissent, ne in futurum conditio canonicorum in peius verteretur si alii et numero plures cooptarentur canonici, praeter vires ***massae choralis,*** expostularunt ut ***decem tantum canonici et nunc et in futurum de hac massa essent participaturi;*** et S. C. C. sub ***die 14 Martii 1890*** rescribere censuit: « ***Rem poni ad Episcopi prudens_ arbitrium cum omnibus facultatibus necessariis atque opportunis, statuendi ac decernendi quidquid magis in Domino expedire iudicaverit ».***

Episcopus, vi huius rescripti, ***die 14 Maii 1890*** decrevit: « eisdem Apostolicis facultatibus utentes, statuimus ut... decem tantum canonici pensionem a raptore gubernio non trahentes participent de ***massa chorali,*** ut supra dictum est, composita ex reditu superante portionem praepositi parochi, salva manente divisione missarum stipendiorum, quae ad formam fiat novissimi rescripti S. Congr. Concilii sub die 5 Martii 1887; idque valeat praesentibus rerum conditionibus provenientibus ex bonorum Capituli direptione perdurantibus ».

Sub initio ***anni 1892,*** sacerdos Michael Cannone S. C C . audivit eamque exoravit, ut facultas ei tribueretur ingrediendi Capitulum S. Nicolai. Tunc S. C. C. Ordinario remisit preces pro informatione et voto, auditoque Capitulo, quod ***die 6 Februarii 1892*** ita respondit: « Sese oppositionem haud facere, dummodo noviter investitus fruatur tantum missarum massa, minime massa choralium distributionum. Re enim vera dictus sacerdos aliique tres conditionem excipere non recusarunt ».

Nihilominus hodie quinque canonici, qui sub hac lege

adscripti ***massae choralis*** fructus non lucrantur quaestionem movent impetentes, ratione ***potissimum aequitatis,*** Episcopi decretum ***diei 14 Maii 1890*** et hinc haec dubia rogata fuerunt: I. ***An et quomodo quinque canonici ad participationem massae choralis admittendi sint in casu;*** et quatenus affirmative, II. ***An et quomodo providendum sit pro praeterito quoad participationes a quinque canonicis amissas in casu.*** Dein aliam movent questionem, cui adversarii canonici non secus ac alteri petitioni contradicunt et quaestio hoc dubio continetur: III. ***An quinque canonici admittendi sint ad celebrationem missarum conventualium:, congruo attributo stipendio in casu.***

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CANONICORUM. Horum advocatus censet causam iam dictam fuisse, si recolatur conditio cui se subiecerunt adversarii in canonicatu capessendo, nimirum: ut decem tantum canonici pensionem a raptore gubernio non trahentes participent de massa chorali.

Quare advocatus invocat iuris notissimas regulas, nempe: « Quod semel placuit, amplius displicere non potest »; et, « Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam »; et celebrem sententiam ***cap. 1. De pactis:*** « Pax servetur, pacta custodiantur ».

Dein perpenditur Instructio S. C. C. an. 1876 edita et ad Episcopos missa, in qua, inter alia proposita ac resoluta dubia, haec habentur: II. ***An et quomodo iidem (qui literas collationis Episcopales vel Apostolicas nacti sunt pro aliquo canonicatu vel beneficio Ecclesiae cathedralis ultra numerum a civili lege praetensum) frui debeant voce activa et passiva?*** — Resp. Affirmative, non tamen ubi agatur de administratione bonorum. III. ***An et quomodo iidem participare debeant de reditibus massae communis universis, seu potius de reditibus tantummodo, qui a Statutis capitularibus, vel a Fisco assignati sunt pro distributionibus, sive***

quotidianis, sive inter praesentes? — Resp. « Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ».

V. ***An et quomodo qui post praetensam suppressionem capitulo collegiato vel clero receptitits per literas Episcopales vel Apostolicas cooptantur, participare debeant de reditibus, qui vitalis pensionis titulo singulis praesentibus capitularibus vel participantibus a Fisco persolvuntur?*** — Resp. « Generaliter loquendo negative, inspiciendos casus particulares ».

In casu autem, pergit orator, non habentur reditus, qui vel a Statutis capitularibus vel a Fisco assignati sint pro distributionibus, sive quotidianis, sive inter praesentes, eo quod ipse Fiscus bona Capituli sibi usurpavit, sed nihil aliud superest nisi illa tenuis massa communis, composita ex reditu excedente portionem praepositi parochi. Quapropter optimo iure, ad tramitem dictae Instructionis, cautum fuit in praedicto Episcopi decreto, quatenus decem tantum canonici, qui iam beneficium obtinebant, participarent de praefata chorali massa.

Dein contendit patronus, S. C. C. in causa ***Tropeen, an. 1883*** sententiam dedisse omnino conformem intentioni suorum clientum; agebatur enim de casu haud dissimili ab hodierna quaestione. Siquidem Capitulum Ecclesiae Tropeanae 24 canonicis constabat, qui praeter separatas ac distinctas praebendas massa communi distributionum fruebantur, quae in beneficium illorum canonicorum cederet, qui diligentius choro inservirent. At infaustis hisce temporibus civile gubernium ad duodenarium numerum eos reduxit, sarcta tamen ac tecta servata communi massa distributionum, etsi conversionis legi subiecta. — Tunc Rmus Episcopus Coadiutor Tropeen, binos canonicatus aere suo fundare duxit, annuente Capitulo adiecta clausula « salvis iuribus et emolumentis, ed ogni altra ragione di spettanza del Rmo Capitolo ». Harum autem praebendarum dictus, Episcopus unam sacerdoti Gregorio Ruffa, alteram vero sacerdoti Antonio Tocco conferre voluit. — Immissi itaque in eorum ea-

nonicatuum possessionem, praedicti canonici iuribus ceterorum canonicorum, praesertim quoad massam distributionum, et stallum ac vocem in Capitulo, perfrui volebant. Ipsis vero obstitit Capitulum asserens « in sforza della riserva fatta nell'atto capitolare non competere ai due novelli canonici tutti i diritti canonicali ». Huiusmodi itaque quaestio proposita fuit in generalibus Comitiis S. C. C. sub ser quentibus dubiis.

I. ***An canonici secundae erectionis gaudeant omnibus iuribus* atque emolumentis ceterorum canonicorum in casu.***

II. ***An iidem canonici frui debeant eadem praecedentia quoad stallum uti ceteri canonici in casu,***

III. ***An et in, quibus negotiis iidem canonici ius habeant capitularibus sessionibus interessendi in casu.***

Quibus Emi Patres sub die 20 Ianuarii 1883 responsum dederunt :

Ad primum, quoad distributiones quotidianas, affirmative, quatenus et in quantum immiserint in massam communem distributionum; quoad emolumenta provenientia ex dispositionibus relictis Capitulo ante erectionem novorum canonicorum, negative ; quoad reliqua emolumenta, affirmative.

Ad secundum, negative.

Ad tertium, affirmative in omnibus, exceptis iis, quae respiciunt interesse et iura particularia veterum canonicorum.

Quare concludit, quod adversarii canonici nullum aliud habent ius, nisi illud participandi ad massam missarum in genere, pro quibus assignatae sunt duae quintae partes redituum, qui e parochi congrua supersunt; reliquae vero tres quintae partes constituunt massam choralem, quae decem canonicis, una cum antiquioribus, exclusive reservata est.

Quum vero celebratio missarum conventualium, instat orator, stricte pertineat ad servitium chorale, et pro retributione istius servitii destinata sit massa communis, invinciliter idcirco sequitur nihil competere posse ipsis canonicis supranumerariis.

Isti canonicatus supernumerarii nihil aliud sunt, ait ora-r tor, nisi ***expectativae*** ad futuras praebendas: ita enim Adversam expresse recepti sunt in Capitulo.

Nec huiusmodi temporaria exclusio a participatione massae communis iniustitiae argui potest, notat procurator, quia etiam mansionarii eiusdem collegiatae pondus chori sustinebant ante eversionem bonorum, et nihil tamen aliud accipiebant nisi partem de missarum massa. Item coadiutores, etiam in hac alma urbe, onus chorale et ipsi sustinent, qui tamen nihil vel fere recipiunt de emolumentis, sed sola spe suffulti quod aliquando in beneficium succedant. Adversara autem non modo hanc certam spem succedendi habent, et missarum massam participant, advertit patronus, sed alio quoque fruuntur emolumento, prae aliis multis sacerdotibus eiusdem civitatis, idest non solum ius insignia canonicalia in choro gestandi, verum etiam extra et ubique deferendi annulum cum lapide pretioso, more Episcoporum, redimiculum galeri, ***cordone*** vulgo nuncupatum, coloris violacei, ***collare*** et* caligas ***(calze),*** eiusdem coloris; quod in communi illius regionis aestimatione non est modicus honoris quaestus.

DEFENSIO CANONICORUM SUPRANUMERARIORUM. Patronus ex adverso ab actoribus constitutus animadvertit in primis, certe Episcopo potestatem fuisse delegatam condendi decretum, sed duo, ait, requiri ne corruat decretum, scilicet quod rite sit obtenta facultas, iis exposttis, quae rerum statum explicarent: quodque Episcopus facultate ita sit usus, ut prudentia cum aequitate sociaretur. Patronus ut doceat, Episcopum aequitati non satis fecisse perpendit quaenam fuerit constitutio Ecclesiae S. Nicolai. Narrant hanc etiam nunc, ut antiquitus, viginti quinque canonicis decorari. Qui, quamvis beneficio non potiantur (Ecclesia enim receptitiis annumerata), per decretum, vel, ut aiunt, per bullas, aut ab Episcopo, aut a Pontifice nominari solent: ea servata concursus lege, quam pro istiusmodi in Sicilia Ecclesiis Pii Pontificis Constitutio praefiniit (Breve Pii VII, ***Impensa,*** an-

nò 1819). Tribus dignitatibus exceptis, nulla prorsus canonicorum distinctio: sed paria omnium munia, pariaque iura: nec diversa ante nostram aetatem mercedis assignatio. Nam reditus ex Ecclesiae constitutionibus, viritim, nullo discrimine, dispensabatur. — Infausta Ecclesiarum direptio nec officia, nec iura mutare potuit, sed Capitulum fere integro patrimonio, inopinato, privavit: haud enim aliud spoliationem effugit, quam id quod Ecclesiae praepositus, quippe qui parochiale munus obiret, pro suo vindicarat. Inde factum, ut decreto S. C. C. certa merces praeposito attribueretur: id vero in omnes divideretur quod, hac detracta, superare t. Inde fit ut tres hodie canonicorum sint classes, mox ad duas redigendae. Quarum paria, ut antea, officia: omnes enim canonici choro intersunt, et onera ferunt. — Paria iura: quum omnes ad comitia vocentur et suffragio fruantur. Sed praemium longe dissimile pro labore persolutum. Nam prima ex canonicis conflatur, quos Capitulum ante direptionem cooptarat; qui, quod prius a Capitulo exigebant, nunc percipiunt a Fisco (vulgo pensione): nec ullam, nisi forte ex tributis, iacturam fecerunt. In alteram decem canonici referuntur, qui massam, quae choralis dicitur, sibi in capita dispertiunt, et participant ***massae missarum.***— Tertiae classi quinque ascribuntur canonici actores, quibus et ceteris canonicis, ex ***massa*** tantum ***missarum*** portio datur.

Haec portio vero quae a quinque canonicis obtinetur ad ***octoginta libellas*** pertingit; quare, notat patronus, decem isti canonici, quibus affuit suo Episcopus decreto, trecentas fere et quinquaginta libellas, si choro intersunt, quot annis sibi acquirunt; centum autem triginta novem, si munia, vel omnino, detrectant. At quod isti, vel otiantes, sibi vindicant, id consequi, nec assiduo labore quinque actoribus canonicis licet neque modo neque in futurum.

Exinde infert advocatus, Episcopi decretum corruere quia certe defuit primum requisitum in precibus S. C. C. datis, nempe genuina veritas. Et duo fingit patronus; vel nempe sufficienter S. C. C. non intellexit intentionem Capituli quasi

hoc vellet alios creare canonicos praeter decem. Et hunc errorem obrepsisse, ait advocatus, persuadet primum responsum redditum; nimirum: « ***satis provisum si Episcopus ad mentem decreti S. C. C. die 22 Fel. 1876 in posterum litteras collativae vel commendatitias nemini tradat inconsulta S. Congregatione*** ». Nam haec responsio non satisfacit intentioni decem canonicorum, qui non quaerebant de numero fratrum, sed de ***exclusiva participatione*** massae choralis.

Vel secundo loco fìngi potest, notat patronus, S. C. O. nec a longe suspicari potuisse, tam pauperem fuisse mercedem aliis canonicis tribuendam, qui omnia onera sustineant canonicalia, praeter mercedem.

Praeterea, advertit patronus, etiam alterum deest requisitum pro valore decreti, ne scilicet Episcopus facultate sibi concessa abusus sit. Iamvero in themate Episcopi ***executor*** erat ***voluntarius;*** sed executor voluntarius locum habet in hypothesi gratiae non factae, sed faciendae ab ipso executore rescripti.— Formula commissionis huius regulariter est « cognita veritate precum, si expedire tibi visum fuerit » vel similia. Hoc in casu executor non solum debet cognoscere de precum veritate, sed etiam de valore causae pro gratia concedenda: executor enim hoc in casu est qui proprie, auctoritate quidem sibi commissa, gratiam facit. Gratia est ergo effectus rationabilis iudicii ipsius executoris. (Santi, ***prael. iur. can. vol. I, tit. III,*** § ***31).***

At aliter se Andriensem Episcopum gessisse, urget patronus, et hoc patet si ea recolantur, quae de reditus partitione supra explicata sunt. Nam ex canonicis plus viginti, qui idem onus in Ecclesia suscipiunt; sunt decem, qui totam habent mercedem; alii vero sine mercede laborant.

Sed contendit procurator, decretum Episcopi maximam continere iniquitatem, quia vera non est illa canonicorum assertio: redditus nempe ita esse diminutos, ut satis non sint pro constituendis distributionibus choralibus, quia non pertingunt summam libellarum 206. Nam, ait patronus,

massam choralem nunquam fuisse minorem summa libellarum trium millium, quare abunde pro decem canonicis suppetebat biscentum sex libellae destinandae in distributiones. Imo ex libellis biscentum sex, a decem canonicis persolutis causa distributionum, summa conflatur libellarum duarum millium et sexaginta (2060); unde reliquae erant ex integra summa trium millium libellarum, pene mille libellae (940), quae eisdem distribuerentur viri tim ratione praebendae.

At quod verum haud erat initio, hodie longius abhorret a veritate, urget patronus. Nam reditus adeo augent in dies, ut anno superiore, fere septem libellarum millibus Capitulum sit petitum. — Nunc itaque quatuor millia libellarum ducenta in choralem massam invefcuntur, nempe ***tres quintae partes;*** ex quibus, si detrahatis biscentum sex, decem canonicis pro distributionibus adiudicatas, non modo mille, ut antea, libellarum, sed duo millia centum quadraginta vel minus paulo superare patet. Quae profecto haud in omnes dividuntur: sed in omnes, quinque canonicis actoribus exclusis.

Nec satis: mox enim canonicis, ante bona direpta promotis, tributum, quod hactenus effugerant, ut dictitant, a fìsco indicetur. Inde fiet, ut extenuatis eorum pensionibus, pars in distributiones eroganda ad libellas centum nonaginta redigatur. Tunc haud amplius libellas biscentum sex, sed centum nonaginta, decem canonicis ad praescripta ***decr. diei 8 Maii 1880*** pro distributionibus impertiri opus erit; quum decem canonici ***in distributiones*** tantumdem impendere debeant, quantum in easdem conferunt canonici pensionem a gubernio recipientes. Tunc ***duo millia libellarum et ter centum*** supererant in singulos dividenda, ratione praebendae, exceptis tamen canonicis modo querelam moventibus.

Quoad acceptationem vero factam a canonicis actoribus in actu concursus, omnium conditionum Episcopi decreto statutarum, notat procurator, nihil faciendam esse, quippe vel errore, vel metu extortam, vel aliunde nullam, ob nullitatem nempe decreti episcopalis.

De altera quaestione seu de celebratione missarum conventualium, illud advertit in primis; canonicos ad has missas celebrandas iure nostro per vices adstringi (const. Bened. XIV, ***Cum semper oblatas)',*** ita ut nulli nulla prorsus de causa huic muneri se subtrahere fas sit. Hac de re irrita facta est constitutio, quae hoc munere canonicorum aliquos liberarat (Albinganen. ***diei 27 Apr. 1844).*** Item mandatum ne hoc Capituli Decanus sua vice eximeretur (Squillacen. ***diei 17 Martii 1739;*** Tolentina ***diei 26 Maii 1714; lib. 64 decret.).***

Nec dubium, quin has missas celebrantibus a Capitulo merces debeatur, instat orator. Nam de hoc saepissime iudicatum: et praeceptum ut, si reditus haud esset in hanc mercedem erogandus, ipsa merces ex distributionibus detraheretur. — Revera fuit ita reposi tum huic quaestioni, seu dubio: « ***An Vicarii Ecclesiae cathedralis Monasteriensis missam conventualem pro benefactoribus gratis applicare teneantur, seu potius illis pro hac applicatione stipendium debeatur a Capitulo solvendum in casu?*** » rescriptum fuit: ***« Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; eoo massa conficienda prudenti iudicio Episcopi per contributum ex reditibus omnium praebendarum*** » (Monasterien. ***diei 10 Ian. 1846;*** Paderbonen. ***diei 24 Ian. 1864).*** Et Benedictus XIV constit. ***Cum semper oblatas,*** cavit: « Aliarum pariter Ecclesiarum exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneñciatis aut mansionariis ,y|quod minus aequum videtur pro missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat ignoratur; huic tamen rei graviter consultum est demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum ».

Quibus praenotatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An et quomodo quinque canonici ad participationem massae choralis admittendi sint in casu.***

Et quatenus affirmative,

II. ***An et quomodo providendum sit pro praeterito tempore quoad participations a quinque canonicis amissas in casu.***

III. ***An quinque canonici admittendi sint ad celebrationem missarum conventualium congruo attributo stipendio in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 28 Ianuarii 1899 censuit respondere: ***Ad primum negative; ad secundum provisum in primo; ad tertium, negative.***

BAIONEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 18 Martii 1899.

Sess. 24. cap. 5. de ref. matr.

• COMPENDIUM FACTI. Labente anno 1895, mensis Iunii die 4, Maria ad formam Tridentini Concilii, advocato Paulo matrimoniali foedere coniuncta est in parochiali Ecclesia, pagi vulgo ***Moissac.***

Solemniis nuptiarum celebratis, sponsi voluptuario itineri, ceu de more, se commiserunt, atque Burdigalam primum, mox Lutetiam Parisiorum petierunt. At hoc coniugium, quod Iubenti animo utraque pars contraxit, haud felicem exitum habuit. Coniuges enim ab ipsa prima nuptiarum nocte communione thalami usi sunt; sed vel ob mulierisfdefectum, prout vir iuratus coram iudice laico affirmat, vel, ex mulieris attestatione, ob viri impotentiam, videtur quod matrimonium consummatum non fuerit.

Intra viginti dies sponsi, itinere absoluto, Mussiacum redierunt et apud uxoris matrem se receperunt. Verum nondum hebdomada transacta, exortis inter eos dissidiis, vir uxori valedixit, non amplius reversurus. Quinimo apud civile tribunal suam uxorem in ius rapuit, petens divortii sententiam, quam in favorem utriusque coniugis lata fuit.

Tunc Maria, parentum hortatu, ad Supremum Pontificem confugit, exoptans ut secum dispensare dignaretur super matrimonio rato et non consummato. Ablegatae preces, ceu de more, ad Ordinarium Baionensem remissae fuere, ut processum tam super non consummatione, quam super causis dispensandi conficeret.

Revera Curia Baionen, constituto tribunali, Mariam audivit, testes septimae manus excusait, quos inter aliqui ex officio vocati fuerunt, et mulierem physico virginitatis experimento, primum per tres obstetrices, mox vero per medicos submisit. Vir quoque trina citatione vadatus fuit, sed mandato iudicis parere renuit.

Hisce omnibus expletis, Iudex Baionensis acta S. C. mittens, sequentia animadvertit: « S'il m'était permis d'exprimer mon sentiment sur le point délicat, qui a fait l'objet de mon instruction, j'oserais déclarer qu'à mes yeux, la non consommation du mariage n'est pas douteuse ».

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Primum argumentum pro inconsummatione matrimonii patronus eruit ex iurata oratricis assertione; ait enim: « De fait le mariage n'a pas été consommé: lui-même après deux ou trois essais infructueux, m'a avoué chaque fois, qu'à ce moment là il ne pouvait pas. Avant la première fois il m'expliqua lui-même clairement comment se consommait le mariage: ce que j'ignorais jusqu'alors. Je compris bien ce qu'il me disait, et je me prêtai sans aucune résistance à ce qu'il fallait pour la consommation. Je me rendis bien compte que l'organe génital de mon mari recevait des excitations: mais néanmoins il n'avait pas l'énergie de me pénétrer: c'est alors qu'il me dit chaque fois, sans autre explication: « Je ne puis pas en ce moment». En me reportant à ces circonstances, j'ai la certitude absolue, queje n'ai pas été pénétrée ». Idipsum actrix affirmat iudici laico, coram quo a viro reconventa fuit.

Cui iuratae assertioni absolute credendum est, inquit; agitur enim de puella, optimis moribus imbuta ac religiosissima, cuius laudes testes omnes in coelum extollunt et quae illa Iudici asseruit, absque minima dubitatione credunt.

Neque verendum est 'actricem insidias S. C. C. innexuisse, quia sperat matrimonii solutionem sibi profuturam. Etenim, notat orator, Maria ad alias nuptias, his diremptis, haud animum intendit, quandoquidem ea, gravibus nunc oppressa malis, ut se Deo devoveat, favorabile sibi responsum expectat: « Je repéterai que mon but principal en demandant la dispense de mon mariage c'est d'entrer en religion. Même avant le mariage j'avais certains attraits pour la vie religieuse. Ces attraits n'ont fait que se fortifier et dominer dans mon cœur ». Ceterum, subiungit orator, quod nunc Maria de matrimonii inconsummatione coram iudice affirmat, id postridie nuptiarum, id saepius dum nuptiale iter faciebat, tempore nempe minime suspecto, matri scribens affirmavit.

Quod si ex adverso obiiceretur quod Maria in sua depositione quodammodo dubitare videatur de matrimonii non consummatione, cum dicat: « Je crois que le mariage n'a pas été consommé »; respondet advocatus praefata verba haud infirmare depositionem actricis circa inconsummationem. Nam ipsa paulo post detecta dubitatione, fortius se viro coi visse pro certo negavit.

Insuper idipsum patronus probat ex ipsa confessione viri, qui licet in ecclesiastico tribunali contumax fuerit, tamen coram iudice laico expresse uxori non coi visse affirmat: « J'affirme que pendant toute la durée de la vie commune ma femme s'est constamment refusée avec répugnance à l'accomplissement du devoir conjugal ».

Paulum vero matrimonii inconsummationem confitentem suspicari non licet, dicit orator, tum quia ipse, tempore non suspecto, eadem fassus est, tum quia in suam iacturam veritatem prodere t.

Revera Paulus, post coeundi conatus, spe deiectus la-

mentari solebat: «A Bordeaux, ait Maria, il s'écria': c'est inutile; le monde entier s'y mettrait, que je n'y parviendrai pas ». Et in epistola a Maria ad matrem missa, sponsis nuptiale iter facientibus, legitur: « Paul me disait ces jours-ci, que lorsque je serai de retour à Moissac, je pourrai porter ma fleur d'oranger aussi bien que n'importe quelle jeune fille ».

In suam iacturam vero vir iurasset, ait orator, quandoquidem hic, ab uxore accusatus, quod ob suam impotentiam matrimonium non consummasset, coram iudice omni ope contendebat, ut uxorem mendacio convincerei. Hinc, si uxori coiverat, ut proderet veritatem, sua quodammodo utilitas suadebat.

Nec dicatur, Paulum matrimonii inconsummationem id temporis simulasse, ut expeditius, ea uxori imputata, divortium persequeretur. Nam, respondet orator, illud gallicae leges sinunt, qualibet vel levissima causa repudium remiti tere queant. Quare, iuxta oratorem, ortum cum uxore dissidium, ut Pauli voti compos fieret, divortium petere satis erat. Et re vera quod Mariae obiiciebatur, id iudex laicus haud perspectum habuit, et ob orta tantummodo dissidia divortium decrevit.

Gradum faciens patronus ad argumentum ex virginitatis exploratione depromptum, notat quomodo in physico examine ad unguem omnia S. C. C. mandata servata sunt. En autem quod obstetrices et medici cognitores de Mariae virginitate opinati sunt: « J'ai constaté, ait obstetrix Maria Mollard, que la membrane hymen est très dilatable; mais elle n'a pas été détruite: il n'existe pas de caruncules myrtiformes ». Et Maria Mailhac: « L'orifice est irrégulier et présente à l'un de ses bords une échancrure, qu'on pourrait prendre pour une déchirure, si ce n'était l'absence complète de caruncules myrtiformes qui sont la conséquence des rapports conjugaux. J'ai constaté la chose *k* la vue et surtout au toucher. La membrane hymen existe. Ma conviction est qu'il n'y a pas eu de rapports »,

Idem affirmat doctor Doutournier, idem et alter peritus Paulus Gara t testatur.

Frustra autem obiicitur illud, quod nempe una obstetrix in iudicando ab aliis dissenserit et quod medici aliquas lacinias in Mariae muliebribus deprehenderint. Nam, advertit patronus, obstetrix Maria Seylan negativum testimonium dedit et solum contenta est suam propriam inscientiam confiteri.

Quod si medici, urget orator, lacinias deprehenderunt, eas esse sunt testati, ut nullam coitus suspicionem admittant. Verum, pergit orator, peritis in arte fides omnino adhibenda; ita inter alios Gratianus ***(Discep. for. cap. 572, n. 48)*** ait: « Peritorum relationi iuratae standum est, et iuxta illorum votum, quamvis partes contradicant, debet iudex sententiam proferre ».

Eoque magis, quod lacinias, quas medici explorando deprehenderunt, natura infuisse, affirmat orator, cum cognitores periti nullam cicatricem invenerint. Iamvero apud omnes constat, hymene discisso, cicatricem nullo umquam spatio evanescere posse. ^— « La guarigione, ait Maschka ***(med. leg. carati, verg. vol. 3. p. 132),*** non mena mai ad una restitutio in integrum, ma secondo la grandezza e la estensione della lacerazione, lascia una breccia o una intaccatura, i cui margini in seguito del processo di cicatrizzazione diventano col tempo più saldi e più resistenti del rimanente imene ». Quum ergo medici cicatricem non invenerint: « Il n'y a pas de tissu de cicatrisation » ex hoc deducit advocatus, haud veretrum in lacinias sed naturam, hymenem secuisse. — « L'imene può offrire delle piccole intaccature congenite, la cui conoscenza è necessaria per non confonderle colle conseguenze della deflorazione ».

Insuper matrimonii non consummationem orator probat ex testimonio spectatissimorum testium, qui deponunt se tempore non suspecto audivisse, quod matrimonium ob viri culpam consummatum non fuerit. Hisce positis, aliquas adducit epistolas, quas actrix matri misit nuptiali itinere per-

durante. Haec documenta maximi facienda sunt, affirmat orator, quia prolata fuerunt tempore minime suspecto, quando nempe coniuges de matrimonio solvendo nullimode cogitabant.

Revera, narrat patronus, Mussiaco relicto, coniuges ipsa nuptiarum die sub vesperam Burdigalam petierunt, ibique quatriduo commorati sunt. Hisce diebus, quod coniuges non coiverint, duae epistolae, quas actrix ad matrem misit, demonstrant. — ***{Bordeaux 5 Iunii 1895).*** « Je comprends maintenant que je ne suis pas encore vraiment mariée; cette première nuit ne m'a rien appris ».'—***(10 Juin 1895).*** « Je voudrais bien te voir en ce moment pour te demander des conseils sur certaines choses que je ne puis t'écrire. — Paul me disait ces jours-ci, que lorsque je serai de retour à Moissac, je pourrai porter ma fleur d'oranger aussi bien que n'importe quelle jeune fille, et il m'en a donné l'explication, tout en me demandant mon consentement, que j'ai donné avec empressement : il m'a dit que c'était pour m'éviter des fatigues pendant le voyage ».

Nec, Parisiis per quindecim dies coniuges commorantes, matrimonium consummasse, aliae epistolae clare demonstrant. « (Paris ce 12 Juin 1895). Tu me dis, chère maman, que je dois obéissance à mon mari: je le comprends bien ainsi et n'ai jamais songé à m'opposer à quoi que ce soit, qu'il exigerait de moi: et malgré les répugnances que j'aurais pu éprouver pour cela, j'y aurais consenti, si lui-même ne m'avait proposé d'attendre la fin de notre voyage ».

Idipsum ad matrem scribebat insequentibus diebus ***(12 et 21 Juin),*** dum Parisiis commorabatur: « Pour une chose ou pour l'autre nous n'avons pu encore faire ce que tu sais: Paul a l'air de ne pas trop savoir comment s'y prendre: moi non plus et nous sommes assez embarrassés: je me demande comment font ceux qui le font la première nuit de noces ».

Quod si coniuges iter agentes non coiverunt, constat eos nec in patria coivisse. Narrat defensor, quod Mussiaci quatuor circiter dies apud socrum mansit Paulus cum uxore.

Mox, Mussiaco repente recedens, Tolosam ivit: nec amplius ad uxorem reversus est. Maria, cum ad virum advolasset, et ab eo repelleretur, inauditam eius inhumanitatem per epistolam conquesta est. In hac etiam epistola Maria matrimonii inconsummationem confirmavit. « ***(Moissac ce 3 Juillet).*** Le lendemain matin je vous ai proposé de faire ce qui aurait dû avoir lieu entre nous depuis longtemps (et que, vous le savez très bien, je ne vous ai jamais refusé même la première nuit, je le jure devant Dieu). . . . . Vous avez refusé avec une certaine brusquerie de ton qui m'a douloureusement frappée ».

Haec iuxta patronum satis superque demonstrant matrimonium consummatum non fuisse; quod si quaeratur causa, cur sponsi non coiverint, in hoc orator totam culpam in virum confert, quippe qui temporaria aut perpetua infirmitate ad coeundum impediretur.

Hoc revera probat, tum quia vir coniugalem copulam in dies differre praetendebat, tum ex eiusdem singulari contumacia, tum ex depositione duorum spectabilium testium, qui de viri potentia satis dubitant.

Dispensandi autem causas quod attinet, non unam sed plures atque graves adesse, ait orator. Primam deducit ex animorum dissociatione, quae talis est, ut nulla reconciliatio sperari potest. Alteram invenit in probabili dubio nullitatis matrimonii ob viri impotentiam ; quo adstante dubio, ut ait De Luca « dispensatio videtur potius quaedam administratio iustitiae ita prudentialiter sub alio titulo magis honesto more principis administratae » ***(Theat. ver. et tust, de mat. I. XIV, disc. 9, § 8).*** Tandem alteram causam esse dicit, sanctioris status electionem, cui favet Ecclesia, quaque coniugibus qui nunquam coiverint, hanc optionem benigne concedit : « Post consensum legitimum de praesenti licitum est alteri ex coniugibus, altero etiam repugnante, eligere monasterium, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos » ***(Alexander III in cap. II de conv. coniug.l. III, t. 32 decr.).***

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Ex • altera .parte vinculi defensor animadvertit in primis coniuges concordes affirmare matrimonii inconsummationem, sed inter se discrepare dum facta narrant. Porro Paulus ait: « Je n'ai jamais pu seulement lui (uxori) soulever la chemise, elle m'a toujours repoussé, et elle a toujours opposé la résistance la plus ^énergique à mes tentatives pour consommer le mariage ». Versa vice Maria affirmat: « Si monsieur Paul n'a point consommé le mariage, c'est qu'il ne l'a point voulu ou ne l'a point pu ».

Verum, ait orator, in iudiciis non verba, sed monumenta attenduntur. At tantum abest ut Maria nedum in praesenti, sed vel in ipso iudicio civili aliquam vel levissimam impotentiae Pauli probationem producere potuerit, ut laicus magistratus quoad praetensam impotentiam sententiae inseruerit: « Il semble même que tout d'abord, même après la cessation de la vie commune, personne dans l'entourage de la dame Lauzeral n'en ait admis sérieusement l'hypothèse ».

Quinimo, prosequitur, ipsamet Maria impotentiam viri quam verbis vendi tat, excludit facto eloquentissimo. Profecto Maria statim atque cognovit Paulum, Tolosam perrexisse animo non amplius redeundi ad uxorem, Tolosam et ipsa profecta est; ibique iis illecebris virum ad se reducere conata est, quas nulla unquam uxor mehercule adhibuit erga virum, quem experta est inutile lignum in coniugali palaestra.

Ex dictis vinculi defensor deducit, luce meridiana clarius non solum inter fabulas amandandam esse impotentiam Pauli, quantumvis temporalem, quantumvis unius diei, sed etiam veram coniugalis dissidii causam positam esse in secreto Mariae erga consobrinum suum Oarrère amore.

Insuper orator ad memoriam revocat epistolam, quam uxor ad virum misit post eius discessum. Maria enim in hac epistola, tota in eo est, ut ostendat se vehementi in Paulum flagrare amore, nec quemquam alium cordi sibi esse praeter Paulum. Has notat inter alias phrases amatorias:

« Je vous aime... Ce n'était absolument que mon affection pour vous... Je vous ai bien montré mon affection... Toujours quelqu'un pensera à vous jusqu'à son dernier soupir; c'est moi... Je viens vous assurer d'une affection bien fidèle qui ne vous manquera jamais... Vous m'avez cru capable de vous caresser et de vous embrasser de cette manière tout en ne vous aimant pas et en aimant un autre ».

Idipsum ipsa Maria affirmat coram magistrato laico : « Ce n'est pas que mon mariage avec monsieur Paul m'eut été pénible ou contraire à mes secrets. Je l'avais épousé surtout pour faire plaisir à ma mère qui m'avait dit en effet-, que si ce mariage n'avait pas lieu elle en mourrait, mais l'union qu'elle m'offrait ainsi ne me répugnait nullement et je l'avais acceptée volontiers. Quant à mon cousin, monsieur Carrère, j'avais eu pour lui autrefois une inclination secrète de toute jeune fille, que ni lui ni sa famille n'ont jamais connue et dont ma mère, que la désapprouva, a été la seule confidente. Je le voyais très rarement: à peine trois ou quatre fois par an. C'est mon mari qui provoqua la confidence que je lui fis à ce sujet, un peu plus tard, à Paris: nous nous promenions et il me disait que les jeunes filles n'étaient pas aussi naïves qu'elles paraissaient l'être, qu'il n'en existait pas une seule n'ayant pas eu, avant son mariage, une petite amourette. C'est alors que je lui repondis, vous avez peut être raison: ainsi, j'ai eu autrefois, pour mon cousin, une inclination d'enfant qui est maintenant tout-à-fait oubliée. Mait cette conversation eut lieu entre nous fort amicalement, et il me remercia même de ma confiance en lui. Monsieur Paul qui fait revivre aujourd'hui cette confiance et en dénature la portée, m'impute avec la même exagération ».

En igitur, iuxta oratorem, contestatio litis Mariam inter et Paulum. Paulus ream gravis criminis facit Mariam cum sobrino Carrère perpetrati ; Maria versa vice sustinet se cum consobrino Carrère innocenter egisse. Sed hic, ait vinculi defensor, maxime interest cognoscere causam, ob quam gra-

vissima ista, secreti Mariam inter et sobrinum amoris, quaestio, quae neoconiuges ad divortium adduxit, excitata sit in ipsa matrimonii novitate. Causa, repones forsan, posita est in repugnantia Mariae ad officia maritalia.

At, iuxta oratorem, nihil a veritate hoc minus alienum cogitari potest. Nam Maria profitetur: « Le souvenir de monsieur Carrère ne s'est jamais placé entre monsieur Paul et moi dans la suite de nos rapports conjugaux ». Ioanna Ferrie: « Avant son mariage elle (Maria) disait: qu'elle se mariait pour être mère ». Ioanna Chaubard "testatur: « Je sais que la jeune femme (Maria) la (consummationem matrimonii) désirait ».

Sed vinculi defensor rem explicat hoc modo, quod nempe Paulus in matrimonii consummatione advertens damna, quae fortassis ante coniugii celebrationem passa est Maria et ad memoriam revocans secretum illum amorem inter Mariam et sobrinum Carrère, statuit uxorem, a qua se illum putavit illusum, dimittere. Hinc necessitas venditandi inconsummationem matrimonii: hinc famosae illae epistolae a Maria ad matrem datae.

In hoc affirmando orator ad rem affert physicum experimentum in corpore Mariae peractum, ex quo liquet obstetrices peritosque medicos de virginitate mulieris valde dubitasse.

Sane ad quaestionem: « Avez-vous constaté dans Marie l'entière intégrité du corps? » prima obstetrix, Maria Mollard, refert: « J'ai constaté que la membrane hymen est très dilatable ». Altera obstetrix, Maria Seylan, ad eamdem quaestionem contenta est respondere: « Je ne puis pas me prononcer. Je n'ai pu rien constater de précis ni pour, ni contre. Il m'a semblé qu'il y avait quelque chose d'anormal dans les organes »; tertia obstetrix, Maria Mailhac, ait: « L'orifice est irrégulier et présente à l'un de ses bords une échancrure qu'on pourrait prendre pour une déchirure, si ce n'était l'absence complète de caruncules myrtiformes, qui sont la conséquence de rapports conjugaux».

Ipsi quoque medici cognitores gravissima amissae virginità tis argumenta deprehenderunt.

Minime autem praetermittendum esse, autumat orator, obstetrices et peritos adeo gravia violatae virginitatis signa in Maria deprehendisse, quamvis illius corpus obiter tantum et imperfecte exploraverint. Sane tum obstetrices tum medici contenti fuerunt, ut patet, nonnulla de hymene perfunctorie advertere, praetermissis aliis, quae ad dignoscendum an mulier sit virgo in perarduis ac gravissimis huiusmodi negotiis negligi nequeunt.

Neque iidem periti cognitores relationem scriptam eorum emiserunt quae explorarunt; satis superque visum est moderatoribus actorum eos oretenus interrogare, quamvis scripta primum relatio et deinde orale examen in celebri Instructione diei 22 Augusti 1840 sapientissime praecipiantur.

Insuper in citata Instructione mandatum est: « Ad corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit >. Videlicet alter (peritus seu potius obstetrix) cubiculum in quo manet exploranda mulier, non ingrediatur antequam alter exploratione expleta, ex eodem cubiculo exierit. Ad quae omnia vitanda cautum est, ut quaelibet obstetrix seu peritus iudicium suum proferat et scriptam edat relationem, nedum absente et inscia explorata femina, verum etiam absentibus et insciis aliis cognitoribus, ita ut unusquisque iudicium et testimonium peractae explorationis emittat antequam sententiam aliorum cognoscat. At neque prudentissime huic praecepto satisfactum est ab obstetricibus et medicis Baionensibus.

Unde deducit vinculi defensor adeo imperfecta ac abnormis est exploratio illa corporis Mariae ab obstetricibus et medicis Baionensibus facta, ut nihil certi ex ea erui possit; quinimo, ait, plura indicia habentur amissae virginitatis.

Quod vero ad confessionem coniugum, refert vinculi assertor, praeterquam quod illi e diametro inter se pugnant, dum factum inconsummati matrimonii narrant, vir contentus victoria apud saeculare tribunal obtenta, in ecclesiastico

iudicio iurare recuset. Uxor autem ad quaestionem: « Est41 vrai, comme vous l'avez allégué, que ce mariage n'a pas été consommé? » Semiaperto ore reponit: « Je crois qu'il n'a pas été consommé ».

Nitidam vero responsionem cum urgeat iudex, Maria ad haec diffugit: « Si j'ai employé les mots: je crois que le mariage n'a pas été consommé, c'est qu'au moment où mon mari a essayé cette consommation, j'ignorais que la consommation consistait dans la pénétration des corps. Ma mère et d'autres personnes intimes à qui j'ai eu l'occasion d'en parler m'ont dit, d'après mes explications, que la consommation n'avait pas eu lieu ».

At, reponit orator, recitata responsione Maria mirum in modum irretitùr. Praeprimis enim illa properam obiicit: « Au moment où mon mari a essayé cette consommation, j'ignorais que la consommation consistait dans la pénétration des corps ». Etenim Maria dum adhibuit verbum: « Je crois » usa profecto est scientia, qua praestabat die 9 Augusti 1897, idest tempore quo loquebatur, non vero ignorantia qua laborasse t in novitate coniugii.

Sed praetereundum non .est, ait vinculi defensor, quod Maria die 15 praeteriti Augusti 1897 iterum ad iudicem accessit et dum pertentat rem inexplicabilem explicare, hanc edit pretiosissimam confessionem: « Avant la première fois (copulationis) il (vir) m'expliqua lui-même clairement comment se consommait le mariage, ce que j'ignorais jusqu'alors. Je compris bien ce qu'il me disait et je me prêtai sans aucune résistence à ce qu'il fallait pour la consommation ».

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit Sanctissimo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . re formiter disceptata, sub die 18 Martii 1899, censuit respondere : ***Affirmative.***

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 28 Ianuarii 1899.

Sess. 14 cap. 1 De reform, matr.

COMPENDIUM PACTI. Martha, actrix in hac causa, decem et octo menses vix nata patre est orbata; et paulo post eius mater Rosa Biot ad secundas nuptias convolavit cum quodam Raphael ex Iudaeorum gente, obtenta prius pontificia dispensatione ab impedimento cultus disparitatis. Mater vero suae filiae institutioni ob continua quibus occupabatur itinera prospicere non valens, eam aviae tradidit custodiendam, apud quam puellula suam infantiam transegit, ac postea, gratia educationis perficiendae, Monasterium Religiosarum SS. Cordis ingressa est, donec an. 1891 decimum octavum aetatis agens in domum matris se recepit.

Tunc temporis quidam Aloysius, captus Marthae pulchritudine, eam matri in sponsam petiit. Verum mater, quae filiae aversionis erga Aloysium conscia erat, initio viri preces contradicere visa est; sed postea, fortasse illius divitiis adiecta, et putans his nuptiis bono suae filiae prospicere, huic matrimonio non solum consensit, sed id filiae reluctanti imposuit. At Martha vel quia alteri amori corde adhaerebat, vel quia eidem Aloysius maxime displicebat, propositas nuptias totis viribus respuisse dicitur. Frustra tamen: mater enim filiae hoc coniugium imposuit, atque, si vera sunt quae modo narrantur, ad extorquendum eiusdem consensum non coactiones morales dumtaxat adhibuit, sed quandoque physicas.

Interim Martha, postquam omnia frustra tentaverit ad genitricis voluntatem flectendam, tandem, licet invita, cedere debuit. Ideoque, praemissis sponsalibus, ***die 28 Novembris 1891*** Parisiis in sacello Nuntiaturae Apostolicae Martha, 19 annos tunc nata, Aloysio nupsit.

At haud felices fuerunt hae nuptiae; coniuges enim per quatuor ferme annos vitam coniugalem foverunt, indeque

prolem susceperunt; donec, percrebrescentibus domesticis contentionibus, vitae coniugali valedixerunt, dum vir a civili tribunali petiit atque obtinuit contra mulierem sententiam divortii.

Deinceps Martha, cum rescierit a suo confessario matrimonium suum nullum esse ob impedimentum metus, ad Archiepiscopum Parisiensem supplicem misit libellum, expostulat sententiam nullitatis matrimonii. Revera Emus Archiepiscopus remisit cognitionem causae usque ad sententiae prolationem Iudici delegato, qui, constituto Tribunali, iuratas depositiones actricis, eius viri pluriumque testium excepit: atque omnibus perpensis, die 12 Februarii praeterlapsi anni hanc dedit sententiam « constare de nullitate inter Paulum et Martham, salva tamen legitimitate prolis ».

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Qui actricis iura tuetur in duas partes suam orationem dispescit, in quarum prima probare contendit Martham Aloysio nupsisse metu gravi alicuius mali naturalis a causa libera iniuste ac directe ad extorquendum consensum incusso. Atque in primis recolit tralatitium in iure esse metum gravem atque iniustum matrimonium irritare. Gravitas autem metus, teste Sánchez, ***lib. IV, disp. I, n. 10,*** iuxta ipsius metus naturam « potissimum ex duobus pendet: ex instantis vel futuri mali gravitate, ex persuasione malum illud revera nobis imminere ». At in metus gravitate dimetienda abstrahi nequit a conditionibus personae, cui malum aliquod comminatur. Nam metus est affectio seu passio quaedam subiectiva, quae proinde conditionibus ipsius subiecti subest. Hinc, ut recte docet Sánchez ***loc. cit. De matrimonio, lib. IV, disp. 1, n. 10,*** illud malum dicitur et est grave « quod persona timens facile sustinere non potest ». Quare in Instructione quam circa impedimentum, quod vis et metus dicitur, edidit S. C. Sancti Officii die 20 Iunii 1883, haec adnotantur § 35. « Porro gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus

illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda.

Hisce in iure positis, advocatus ad facta enarranda accedit; atque in primis, de minarum natura agens, incredibile dictu est, ait, quot et quanta miserrima et infelicissima Martha pati debuit a sua matre sex illis hebdomadis quae inter sponsalia et matrimonium intercesserunt. « J'ai eu à supporter, testatur actrix, de ma mère les scènes les plus violentes et les plus mauvais traitements à cause de ce mariage.... Le lendemain même du jour où avait eu lieu la demande que j'ai raconté plus haut, vers onze heures du soir je me deshabiliais dans mon cabinet de toilette quand ma mère entra et me dit: « Demain nous irons faire -une visite à la sœur de ton fiancé ». Je répondis brusquement: « mais ce n'est pas du tout mon fiancé, je ne l'ai pas accepté comme tel ».... Alors dans un accès de violence elle me secoua d'abord vigoureusement, et puis m'appliqua deux forts soufflets. Ma femme de chambre entrait en cet instant. Elle l'a vu me donner ces soufflets.... ». Revera Aloisia Vinot, tunc temporis familiae Suarez famula, haec eadem enarrat.

Hae contentiones vero inter matrem et filiam tum maxime eveniebant cum vel una aut altera persona ad infelicis filiae preces apud ipsam insistebat, ne filiam ad nuptias cogeret: « Le soir même, 'ait actrix, du jour où Monsieur Fortunet était intervenu pour moi, ma mère m'appella, et après m'avoir fortement reproché cette intervention, me demanda si je l'avais sollicitée, ou s'il me l'avait offerte spontanément. Je répondis la vérité; que je l'avais sollicitée.... et elle me donna encore deux soufflets.... — J'ai encore été battue par ma mère dans les mêmes conditions après l'intervention de Monsieur Cattani, et celle de Monsieur Paul Olaguier. Des menaces accompagnaient toujours ces violences. Elle devait d'abord me renvoyer à nouveau au couvent jusqu'à vingt et un ans. Mais ensuite voyant que rien ne pouvait me faire capituler, elle a fini pour in-

voquer la loi, et me dire'qu'en ma qualité de mineure je n'avais le droit de rien choisir ni de rien refuser ».

His concinit tum actricis Vitricus, qui postquam haec eadem enarraverit, subiungit: « (Tétait tous les jours que des scènes pareilles se renouvellaient même deux ou trois fois par jour, et ma femme les racontait tous les soirs »; tum vir qui pariter testatus est: « C'étaient entre elles deux des scènes que je n'ai pas connues en détail. Mais je me rappelle une fois que Mademoiselle est venue au salon après une scène d'une violence toute particulière, en écriant que si ça continuait elle s'enfuirait de la maison de sa mère ».

Actricis confessio plenam fidem mereri, dicit patronus, tum -quia descriptio particulatim circumstantiarum veritatem rerum assertarum* redolet, tum quia de eius veracitate ac religione, omnibus consentientibus, nullo modo dubitari licet.

Quae quidem, prosequitur patronus, nedum confirmavit mater, sed ea enucleando significavit graviora fuisse, quam prima fronte videri possunt. Sic ipsa iuravit: « J'ai d'abord essayé de convaincre ma fille par de très bonnes raisons... Mais la persuasion ne réussissait pas; je ne voyais en ma fille qu'un entêtement ridicule, je ne songeais de plus en plus au petit roman dont j'ai déjà parlé. Voyant qu'elle ne cédait pas, je me suis emportée plusieurs fois; je l'ai même frappée. Je l'ai alors menacée de la remettre au couvent et non pas pour six mois, mais de l'y laisser jusqu'à vingt-un ans ». Et paulo inferius: « Je me vis forcée de sévir; je suis d'ailleurs très vive, emportée même. Je me souviens qu'un soir, je crois que nous allions sortir pour aller à l'Opera, la vue de ma fille m'émeut, elle avait l'air d'un martyre. Nous parlions, elle me déclara: « qu'elle ne me pardonnerait jamais ». Ce propos me mit hors de moi, je me jetai sur elle comme une furie la frappant à la tête... Un jour Monsieur Louis apporta à ma fille un écrin, où il y avait des diamants. Lorsqu'elle me le montra, elle me dit, presque en me jetant cet écrin en visage: « Tenez voilà ces diamants: je ne les porterai jamais ». Je voulais d'abord

la raisonner... Mais comme elle répétait, qu'elle ne porterait jamais des bijoux venant de ce Monsieur, je me suis emportée et je l'ai frappée.... Ces scènes se sont constamment répétées pendant les six semaines des fiançailles avec les mêmes violences de ma part».

Animadvertit autem orator maximi faciendum esse supra recensitum matris testimonium. Ipsa enim de facto proprio testatur et quidem de facto, quod eius honori profecto non cedit. Quare, iuxta patronum, hoc testimonium existimari potest velut confessio rei, quae in iure probationum regina appellatur. Hinc S. R. Rota testimonia eorum, qui metum incusserunt, magis quam aliis deferendum esse docuit in ***Decis. 732, § coram Emeriz:*** « Parentes qui metum incusserunt admittuntur ad testificandum, et cum deponant de facto proprio magis ipsis quam aliis venit deferendum ».

Ceterum, addit, ea quae confessa est oratrix eiusque mater, complures alii testes confirmant, quos inter non solum propinqui, famuli, sed et testes ex officio vocati adnumerantur. Ita inter alios vitricus ait: « Ma femme a exercé sur ma fille une pression réelle sérieuse ». — « A mon égard, ait Aloisius, elle (Marthe) fut toujours excessivement froide.... Jamais cependant elle ne m'a dit de paroles que mon retour dans la maison eut été impossible: mais aujourd'hui ma conviction est que si elle n'avait pas été terrorisée par la mère, plus d'une fois elle me les aurait dit; mais elle tremblait comme une feuille devant sa mère; j'induis encore que si elle ne les a pas dites, c'est parce que le lendemain elle aurait subi des violences encore plus grandes ».

Praeterea ob oculos ponere satagit patronus quaenam fuerit oratricis natura. Nimirum testis ex officio Ferdinandus L'huilier L'hereux testatur : « Le caractère de Madame la mère est autoritaire. On s'en aperçoit même dans les conversations, il ne faut pas la contredire, même sur les détails les plus insignifiants.... Cette autorité est si vive, que Monsieur, eius maritus, permettez-moi l'expression, est devant elle comme un petit mouton ». Idipsum affirmat

maritus, qui adhibitas violentias quamvis reprobaret, tamen, haud expertus est insistere hac unice de causa: « Comme elle (uxor) a par ailleurs de caractère entier absolu, je n'ai pas cru devoir insister » et prosequitur: « L'autorité de ma femme sur sa fille et plus encore la nature de son caractère, qui impose généralement des ordres quand elle exprime une volonté, ont facilement dominé la douceur naturelle de cette enfant». Dominus Aloysius, actricis vir, testatus est: « Madame . . . . . est une personne autoritaire, son système d'éducation était de mener sa fille à la baguette ». Pariter Henricus Fortunet, a pluribus annis amicus, ait]: « Madame... est une méridionale... C'est donc dire que tout en étant bonne, il suffit d'un sentiment violent chez elle, pour qu'elle perde l'équilibre et devienne absolument méchante ». Item Maria Reichsoffer: « Madame... était bonne, mais d'une violence extraordinaire avec tout limite dans ses accès ». Tandem, omissis aliis, Gustavus Mame, eandem autumat rem.

Insuper orator ad incussum metum explicandum gravissimas circumstantias considerat, in quibus et Domina mater . . . . . . et eius filia versabantur. Siquidem, ait : Familia matris bonis destituta erat, nec Domina eadem quid proprii habebat, quo Marthae providere posset. Unica proinde aderat spes, Dominum Privignum, qui divitiis affluere videtur, aliquid in privignae dotem esse constituturum, sicut suae uxoris amore et instantiis se facturum pollicitus erat, et postea revera fecit. At Domina mater metuebat, ne res in posterum mutarentur vel ipsa moreretur, et sic sua consilia evanescerent, praesertim cum Dominus S. . . . . . iam multos liberos habuisset. Hinc quia Aloysius divitiis maxime pollebat et optimis animi dotibus erat instructus, ita mater ex hoc matrimonio ingens emolumentum filiae obventurum sperabat. Hac de re violenta sua indole ducta ac resistentia filiae lacessita, eam ad propositas nuptias vi compellere non dubitavit. Huc accedit quod quidam Alphredus, privigni nepos, Martham in uxorem ducere vehementer optabat. Has

autem nuptias Domina... « mariée elle-même à un Israélite, et connaissant tous les inconvénients » absolute detestabatur. Praeterea illud non est omittendum quod nonnulli testes affirmarunt, Martham nempe, utpote quae ex alio viro genita erat, iam fuisse pro privigni familia « un embarras ».

Haec omnia, praeter plures testes, fatetur ipsamet mater: « J'inclinais d'autant plus au mariage Bounin-, parce que j'avais bien d'en redouter un autre, dont je ne voulais à aucun prix. Mon mari avait un neveu qui poursuivait ma fille. Nous devions faire un voyage en Egypte et y retrouver cette famille. J'avais grand peur que ce voyage contrarie mes idées, si ma fille n'était pas mariée. A aucun prix je ne voulais lui laisser épouser un Israélite ». Et paulo inferius: « Je me sentais d'autant plus portée à triompher de la résistance de ma fille, que je n'avais pas de fortune personnelle, et que mon mari assurait six cent mille francs de dot à ma fille. Je disais donc à ma fille que si elle refusait ce parti, je pouvais disparaître; qu'elle se trouverait seule et sans établissement ». Eadem referunt Maria Reichschoffer et Paulus Dauprat, familiae privigni amici.

Quid vero talis mulier in adiunctis supra recensitis constituta agere poterat, ait patronus, cum, patre orbata, nemini nisi matri confidere poterat, a qua totaliter sua sors pendebat? « Elle tenait tout de sa mère, afiirmat testis Cattani, elle dépendait d'elle, et elle pouvait se trouver sur le pavé du jour au lendemain, si elle ne se soumettait pas ». Notat enim haberi in casu ea omnia quae in huiusmodi causis magni facienda esse docuit S. Congregatio S. R. et U. I. ***Instructione data die 20 Iunii anni 1883:*** « Considerandum est utrum qui de illata vi metuve accusantur, patria potestate et auctoritate pollerent, an qui vim metumque passi sunt, nullatenus iisdem subiecti fuerint: quae ratio vis inferendae, magna ne -ex matrimonio propriae domui utilitas aut decus obventurum? quae indoles vim inferentium, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam regere consueverint: utrum ad iracundiam proclives, et animo

ita essent duro atque obstinato, ut a nemine sibi contradici aut impedimenta obiici paterentur ».

Tandem orator gravitatem incussi metus probat et Mariae aetate, quae tempore initi matrimonii vix attigerat decimum octavum annum, et ex eius indole valde mitis et timida. « Ma fille a toute sa vie, obéi aveuglement à sa mère, elle est excessivement douce » ait Dominus Suarez. Et Isidoras Ornstein, qui Dominam Martham a sua nativitate cognoscebat, testatur: « Je crois Mademoiselle tout-à-fait douce de caractère, facile à dominer et à conduire ». Eoque magis, quod Martha quippe quae fere semper longe a matre apud aviam vel in Monasterio vitam duxerat, matrem potius timebat quam amabat. « Ma fille, ait mater, a peu vécu auprès de moi... Peut être avait elle plus de soumission que d'affection pour moi. Elle me craignait beaucoup ».

Ad alterum orationis caput descendit orator, in quo gravitatem incussi metus comprobare nititur ex circumstantiis quae matrimonium praecesserant, concomitatae sunt et subsequutae. Quandoquidem, ipse ait, iuxta ***Instructionem*** S. R. et U. I. ***n. 37j*** maxime interest ad naturam metus dignoscendam has circumstantias perquirere: « quid haec persona fecerit ut a coactione parentum sese liberaret, utrum preces adhibuerit, utrum usa fuerit opera aliorum ad parentes a proposito dimovendos, utrum et quomodo propriam aversionem et contrarietatem in illud matrimonium significaverit, utrum et quomodo altera pars operam dederit, ut matrimonium revera concluderetur ».

Iamvero de iis, quae nuptias praecesserunt, disserens orator, in primis advertit, quod Martha ab initio erga Dominum Aloysium aversionem apertis verbis protestata est: « Ma fille (testatur vitricus) avait déjà reçu très mal la communication que sa mère lui avait faite à Biarritz du projet de mariage avec Monsieur Louis » ; et ipsa sponsalium die, quando ex inopinato a matre rescivit se fuisse promissam in sponsam Domino Aloysio, non modo ne unum quidem protulit verbum, sed ita se conduxit, ut sua indi-

gnatio et in propositas nuptias contrarietas omnibus manifesta fieret.

Hoc idem probant verba Dominae eiusdem Aloysii matris. Idipsum affirmant plures alii testes, inter quos Ferdinandus L'heureux, Henricus Liepman, ex officio vocati et ipsa actricis mater, quae ait: « Ma fille avait l'air d'un martyre. Son attitude était absolument fermée à mon égard. Elle s'éloignait de moi comme d'une ennemie ».

Hinc non miratur orator, si dona, quamvis pretiosissima, quae ad Martham Aloysius mittebat, ipsa vel contemnebat vel absolute respuebat. Nunquam ad Dominam Aloysii matrem toto sponsalium tempore litteras dedit, nec unquam deferre voluit: « la bague des fiançailles qui lui avait été remise ».

Insuper, prosequitur advocatus, infelix actrix ad se defendendam recursum habuit ad aviam maternam, nec non ad aliquos familiae amicos, ut, si fieri posset, matrem a suo proposito dimoverent. Sed non aliud ex hisce interventionibus obtinuit, nisi ut mater in maiorem iram incitata, violentiam in filiam duplicaverit. De hac re testatur ipsamet Domina Suarez, quae refert quid respondisset suae matri pro Martha intercedenti: « L'autorité avec laquelle je parlai à ma mère la fit pleurer, mais elle ne me reparla plus à ce sujet »,

Ita expositis adiunctis, matrimonium praecedentibus, pergit patronus ad enucleanda ***concomitantia.*** De civili coeremonia ipsa mater confitetur, suam filiam fuisse « terrible d'humeur, sombre, souffrante ». De matrimonio vero religioso, quod in sacello Apostolicae Nuntiaturae die 28 Novembris fuit celebratum, eadem testis enarrat, filiam dum una simul Nuntiaturae domum pergerent, aperte sibi declarasse «qu'elle ne prononcerait pas le ***Oui».***

Revera, contendit orator, oratrix in suo examine sub iuramenti religione protestata est, se nihil omnino Sacerdoti de suo consensu quaerenti respondisse.

Non diffitetur orator testem Flaminium Raiberti et vi-

rum... dixisse, primum: «Pour le «Oui» sacramental, ille ait, je puis dire qu'il n'a été ni triomphant, ni accentué », alterum: « Pour le « Oui » sacramental, ait alter, elle ne l'a pas dit avec netteté, elle l'ha donné machinalement sans le moindre élan ».

Sed, advertit orator, praeterquam quod actricis religio et pietas ea est, ut praesumi nequeat ipsam in re tanti momenti peitrasse, loquendi vero ratio tum viri tum testis Raiberti sin minus indeterminata apparet: « le Oui elle ne l'a pas dit avec netteté » « il n'a été ni triomphant ni accentué »; ita ut incerti iidem videantur an Oratrix revera suum expresserit consensum. Eo magis, quod videtur praefatus testis Raiberti statim post nuptias, quam factorum exactius reminisci poterat, rem aliter enarra visse. Siquidem testis ex officio Henricus de Chappuis de Maubon ita testatur: « Plusieurs de mes amis, entre autres Monsieur Raiberti, mieux placés que moi, à la cérémonie, ont constaté que la jeune fille n'avait pas répondu aux questions du prêtre ».

Insuper, prosequitur, domum post sacram caeremoniam reversa, Martha « ne voulant prendre aucune part à une fête » quae pro ipsa, sicut eadem datis ad iudicem litteris, scribit: « était un supplice »; infirmitatem causata suum cubiculum ingressa est, ibique, sola lectulo decumbens tamdiu permansit, donec, vespere facto, matris obiurgationibus lectulo surgere coacta est, ut Nicensem civitatem proficisceretur. « A la maison elle se montra fort désagréable », affirmat Domina Suarez. « Comme elle se disait souffrante, elle alla même se coucher... Le soir quand on fit les préparatifs du voyage pour Nice, elle se montrait fort attristée; elle dit que son anneau de mariage là gênait, et comme je lui disais qu'elle ne pouvait parler ainsi de son anneau qui était béni, elle répondit que pour elle cela ne comptait pas; que cet anneau qui enchaînait, ne la liait pas elle ». Ceterum adeo erat indignata actrix ob saevitias quas pati debuerat, ut matre vitrico aliisque omnibus insalutatis profecta sit.

His praemissis, gradum facit patronus ad exponenda adiuncta matrimonii *subsequentia* ac primum litteras affert, quas actrix exacerbata ad matrem misit perdurante nuptiali itinere. « Je ne voudrais pas te faire de la peine, ma chère maman, en te parlant de moi, scribit Martha: Nous avons déjà eu assez d'ennuis ensemble pour ne pas recommencer nos discussions par lettres. Mais j'ai un gros poids sur le cœur. Mariée!.... Je suis mariée depuis presque huit jours, je ne puis pas le croire, ni me faire à cette idée; et ma pauvre maman, j'ose à peine te le dire, je ne puis pas m'en •consoler ».

Hac de re, pergit defensor, mirum non est, si Martha persuasa, Aloysium suum non esse virum, recusavit eidem reddere coniugale debitum et nonnisi- vi et fraude evenire potuit, ut matrimonium consummaretur: « Je n'ai jamais, iuravit ipsa actrix, non plus accordé ce que Monsieur Louis appellait - le devoir conjugal ». Pendant toute l'année qui suivit le mariage j'ai toujours refusé sous toutes sortes de prétexte. C'est même ce qui a occasionné dès le lendemain des noces un désaccord violent entre nous. J'étais mariée depuis un an, quand il m'a prise pour la première fois et de force. J'ai lutté par la force autant que je l'ai pu, mais j'étais la plus faible. Il a fait ce qu'il voulait; mais à partir de ce moment j'ai éprouvé pour lui un' horreur encore plus profonde; et jamais plus il n'a osé s'approcher de moi. Neuf mois après j'ai mis au monde une petite fille ».

Idipsum fatetur ipsemet vir, quem hac de re praesumi nequit mentitum fuisse: « Oui, sic ille, la jeune épouse s'est réfusée dès le commencement au Revoir conjugal. Elle me répétait : - qu'elle n'avait pas voulu m'épouser ; qu'elle ne m'aimait pas; et que je n'étais pas son mari ». Nous avons vécu plusieurs mois côté-à-côté, sans que jamais il y ait eu aucun rapport. Ce n'^st qu'à la longue, et avec la plus entière mauvaise grâce qu'elle s'y est résignée; au point que ces relations n'avaient aucun charme pour moi ».

Eadem confirmant plerique testes, qui idem sibi sive a

Martha sive ab Aloysio, tempore non suspecto, dictum fuisse asseruerunt.

Tandem orator declarat se, brevitatis causa, abstinere ab iis referendis, quae deinceps per quatuor annos sequuta sunt, quibus perdurantibus coniuges in continuis iurgiis vixerunt.

Sed antequam orationi finem imponat, ad quamdam praecavendam difficultatem, duo recolenda putat: unum quod, ceu pluries censuit S. O. C. et expresse declaravit in ***Panormitano, nullit, matrim, die 30 Septembris 1719,*** « hodie post Concilium Tridentinum matrimonium metu contractum, et » purgato metu per cohabitationem cum carnali copula... non convalidari nisi iterum contrahatur adhibita rursus eiusdem Concilii forma »: alterum quod, ipso Parisiensi iudice ita testante, quaelibet collusionis suspicio est in casu omnino seponenda: « Testes ab utraque parte indicatos adivimus, sunt iudicis verba, alios ex officio undique conquisivimus. Non est probabile ullam intercessisse collusionem inter partes aut inter partem et suos testes, et quoad aliquos testes id non solum probabile, sed est prorsus impossibile. Oratrix autem Inonestissima et probatae religionis est. Tandem omnes testes commendabiles sunt ».

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS SACRI VINCULI. EX aa verso vinculi defensor notat, matrem, dum has nuptias molita est, non suam, sed filiae utilitatem ob oculos habuisse, et hoc in primis probat ex facto quod Paulus Bounin primum a. matre quam a filia repulsam passus sit. Profecto Paulus testatur: « Je fis présentir que j'avais intention d'épouser Mademoiselle Marthe. Madame la mère me fit remarquer que sa fille était encore bien jeune: et ces premiers pourparlers en restèrent là ».

Verum, dicit orator, tantum aequis oculis Paulum intuita est effusoque sinu venientem excepit, cum compertum exploratumque habuit illum fore virum filiae accommodatissimum. Re sane vera ad quaestionem ab inquisitionis moderatoribus propositam: « Quelles raisons cette dernière

(Marthae mater) avait-elle de désirer ce mariage et de l'imposer? Quels avantages en attendait-elle tant pour elle-même que pour sa fille? » Elias Cattani reponit: « Madame la mère voyait dans Monsieur Louis un gendre idéal, qui présentait un bon parti pour sa fille ».

Idipsum fatetur Aemilius Huard. Nec aliter testati sunt plures alii testes.

Insuper Regina Richshoffer refert: « En ce qui concerne Madame la mère, je suis persuadée qu'elle était sincère; qu'elle voulait le bien de sa fille, et qu'elle regardait Monsieur Louis comme un excellent parti. Elle avait une autre préoccupation.... Monsieur son mari lui avait promis de doter la jeune fille, et elle était pressée de faire bénéficier son enfant de cette promesse; se disant qu'elle pouvait disparaître, et que Monsieur S..... qui avait une très nombreuse famille propre, pouvait oublier Mademoiselle Frézet, Monsieur S..... n'avait même pas eu le temps de s'attacher à la jeune personne, comme on s'attache à une enfant qu'on a vu élever et grandir, puisque Mademoiselle Marthe, élevée au Couvent ou par sa grande mère, n'était dans son intérieur que depuis QUELQUES MOIS ».

Ex his vinculi defensor deducit, nulla prorsus ratione in dubium deduci posse huius matrimonii valorem ex capite *vis* ***et*** *metus.* Siquidem, ait, mater nuptias huiusmodi filiae moiita est quippe quas filiae utilissimas, et quia per has nuptias filia assequebatur dotem a vitrico ac evifcabat ins idias, quas sibi iudaeus vitrici nepos nectebat. Non iniuriam itaque Marthae mater intulit, eam in matrimonio collocando, sed providae matris officium implevit.

Neque inquies, matrem minas, verbera, cruciatus adhibuisse, ut filiam ad nubendum Aloysio adduceret. Nam respondet orator, etiamsi minae ac saevitiae intercesserint, quod negat, tamen cum illas mater adhibuerit ex materni officii debito, non mater culpanda, sed filia, quae iustis matris consiliis praeceptisque resistebat. Et proin, iuxta defensorem, iusti fuissent cruciatus, verbera, minae; nec matri-

monii consequi exinde potest nullitas, quae necessario supponit iniuriam seu metum iniustum.

Enimvero, prosequitur, huiusmodi matrimonii nullitas certe proflueret ab illo de in integrum restitutionibus edicto, quo Praetor iubet: Quod vi metusve causa « gestum erit, ratum non habebo ». Iam vero, dicit vinculi assertor, edictum illud minime obtinet in metu iuste inlato. Ad rem 1. 3 ff. de eo quod metus causa ibi: « Continet igitur haec clausula et vim et metum: et si quis vi compulsus aliquid fecit, per hoc edictum restituitur. Sed vim accipimus atrocem, et eam quae adversus bonos mores fiat: non eam quam magistratus recte intulit, scilicet iure licito et iure honoris, quem sustinet. Ceterum si per iniuriam quid fecit populi romani magistratus, vel provinciae praeses, Pomponius scribit, hoc edictum locum habere: si forte (inquit) mortis aut verberum terrore pecuniam alicui extorserit ». Qua de re merito Palacios docet: « Tunc tantum metum irritare matrimonium, quando fit gravis iniuria ».

Neque obiiciatur: nullus privata, auctoritate potest cogere ad matrimonium. Huiuscemodi obiectionem sibi proponit Sánchez ***de matrim, lib. 4, disput. 13, n. 9*** et respondet: « Si argumentum aliquid probaret, similiter probaret, si extorqueret consensum in,alium contractum, eum fore rescindendum. Quod est falsum (ut dixi hoc ***lib. 4, disput. 8, n. 8).*** quia etiam nullus privata auctoritate potest cogere ad quemcumque contractum ». Sed, disserit orator, adeo a veritate est alienum, matrem in huiusmodi negotiis haberi quasi personam extraneam, ut versa vice in Tridentino Concilio disputatum fuerit an matrimonia sine parentum consensu contracta, inter irrita ipso facto accensenda forent.

Neque meliori omine obiicitur, ex eventu probatum esse matrem per huiuscemodi matrimonium haud felicitatem filiae comparasse. Nam, respondet defensor, praeterquam quod perspicuum haud est non culpa filiae matrimonium male cessisse; attamen ad iudicandum metus iustitiam vel iniustitiam, examinanda sunt facta quae prostabant, quando me-

tus incussus est, non quae contra expectationem postea evenerunt.

Quinimo, urget, matri ius divinum praescribit prospicere spirituali temporalique filiae bono, et cavere ne quid mali filiae'contingat. Non est ergo credendum ius divinum irritare coniugium, propterea quod mater in eo conciliando ea praestiterit, quae illudmet ius divinum matri praescribit.

Quod vero mater in his nuptiis conci] iandis semper bonum filiae intenderit, orator probat ex verbis ipsiusmet matris, quae iurat: « Je ne voyais dans la résistence de ma fille qu'un entêtement inexplicable ou bien le parti pris d'une enfant qui dit: « Je n'obéirai pas » et adiicit: « Monsieur mon mari n'exerçait aucune pression sur ma fille pour la décider au mariage avec Monsieur Louis; mais il trouvait comme moi, que c'était un très beau parti ». Nec mater in hoc mentitur. Nam actricis vitricus testatur: « Je regardais moi-même le mariage projeté comme excellent, ce qui. explique ma reserve ».

Nec dices, matris erat hortari, non autem minis et cruciatibus compellere filiam ad matrimonium. Etenim, reponit orator, matris est non solum filiae fovere bonum, sed etiam avertere ab ea malum. Igitur ut dignoscere valeamus an et quas minas cruciatusque mater adhibere iure potuerit, sciendum foret an et quae mala filiae, nisi Aloysio nuberet, impenderent.

Quae mala vero filiae impendebant, orator deducit ex iis quae et ipsa mater iudici denuntiavit: « J'inclinais d'autant plus à ce mariage, que j'avais bien à en redouter un autre dont je ne voulais à aucun prix... Elle s'était éprise d'un jeune homme de nos connaissances, et sans cesse elle y pensait ». Et Henricus Chappuis matrem nuncupat: « Très désireuse de détourner sa fille d'un autre parti, qu'elle avait, d'ailleurs, de sérieuses raisons d'écarter».

Abs re non erit, existimat orator, heic referre quae Flaminius Raiberti, testis ex officio et Aloysii amicus, habet relate ad divortium Martham inter et Aloysium: « La cause

immediate (ita ille) a été un accès de jalousie violent de la part de mon ami, justifiée par l'hostilité et la haine que lui témoignait sa. femme, jalousie qui devait aboutir à un éclat et rendre le divorce inévitable ». Iam vero zelotypia, quam Flaminius Raiberti, testis ex officio, appingit suo amico Aloysio, est ex sententia iudicis civilis: « Qu'il est constant et qu'il résulte des pièces soumises au tribunal, que la Dame Marthe a méconnu tous ses devoirs d'épouse, et violé la foi conjugale ».

Unde, pergit vinculi tutor, etiamsi in rerum natura nihil aliud existat praeterquam quod: « Elle (Martha) s'était éprise d'un jeune homme et sans cesse elle y pensait .... qu'elle (mater) avait de sérieuses raisons d'écarter ce parti », nemo a matre alienum censebit ius et onus praecipiendi filiae, ut quatenus Paulo Bounin nubere nollet, rediret ad monasterium, ibi mansura usque ad aetatis annum 21. « Je l'ai alors menacée (ait mater) de la remettre au couvent, et non pas pour six mois, mais de l'y laisser jusqu'à 21 ans ». Et ipsamet Martha testatur: « Elle (mater) devait d'abord me renvoyer à nouveau au couvent jusqu'à vingt et un ans ».

Insuper, prosequitur vinculi defensor, non solum in probatis minime est, Martham nupsisse Aloysio metu iniusto, a matre sibi inlato, sed e contra in probatis est decantatum metum minime intercessisse. Siquidem, ait, metus, quo irritatur matrimonium, non concipitur, ceu supra dictum est, nisi iniuria nupturiens afficiatur. Iam vero in actis prostant duae epistolae ad matrem a filia post matrimonium datae, ex quibus hoc unum liquet, videlicet, Martham Aloysio haud ex amoris impulsu denupsisse, haud ex intimo cordis affectu, sed in verbo matris laxasse rete: matris, nempe, consilia aegre quidem, maturo consilio et in tranquillitate mentis attamen libere amplexam esse.

Revera Martha ad matrem, perdurante nuptiali itinere, scribebat: « Je suis mariée depuis presque huit jours..., scribebat Martha, je ne puis pas le croire, ni me faire à cette

idée; et ma pauvre maman, j'ose à peine te le dire, je ne puis pas m'en consoler ». Et in altera epistola inquit: « Tu dis avoir parfaitement agi, en vue de mon avenir.... Mais l'avenir est loin... et le présent est odieux. Je sais bien que tu as plus de raison et d'expérience que moi, chère maman, et je devrais te croire ; mais tes arguments pas plus maintenant qu'avant, ne peuvent me convaincre... J'espère bien trouver une lettre de toi qui me console... et me plaigne... Au revoir, chère maman, je t'embrasse mille fois ainsi que mon beau-père ».

In his verbis orator incussi metus ac illatae iniuriae nullum vestigium invenit. Imo hanc suppositionem advocatus reiicit per supra allata verba « chère maman, je t'embrasse mille fois » aliaque huiusmodi.

Hisce in utraque parte animadversis, diluendum propositum fuit.

Dubium

An sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda, in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re disceptata sub die 28 Ianuarii 1899, censuit respondere : ***Sententiam esse confirmandam.***

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

VERULANA

IURIUM

Die 24 Februarii 1899.

COMPENDIUM FACTI. Die 17 Ian. 1897 Revmus Episcopus Verulanus dedit decretum, vi cuius Pia Unio B. M. Virginis a Pietate, sicuti alia pia Sodalitia existentia in civitate Verulana, demptis Sodalitatibus vulgo ***de' Sacconi*** e ***Sac-***

chetti, ex speciali privilegio eis concesso, prohibebantur ***transferre, associare et tumulare*** cadavera fidelium defunctorum, etiamsi hi essent adscripti suis Sodalitatibus, cum haec facultas, uti in decreto dicitur, iam fuerit concessa et recognita Sodalitati ab Oratione et Morte. Contra hanc Episcopi dispositionem Pia Unio B. M. Virginis a Pietate appellationem interposuit ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium.

Quaestio proposita, fuit in plenario Consessu Eminentissimorum Patrum diei 17 Martii superioris anni, et proposito dubio « ***An et quomodo Episcopi decretum sustineatur in casu*** » responsum prodiit: ***Non sustineri.*** Contra hanc decisionem Sodalitas ab Oratione et Morte illico petiit beneficium novae audientiae, eique fuit benigne concessum.

Notat Episcopus Verulanus quod controversia in praesens non extendi deberet ad ius associandi cadavera vel tradendi feretrum, sed limitari ad ius deferendi cadavera ad sepulturam. Verum quia Pia Unio a Pietate appellavit contra relatum Episcopi decretum, quod ius ***transferendi, associandi et tumulandi*** comprehendit, hinc ipsum in sua integritate iterum discutitur.

Disceptatio Synoptica

IURA SODALITATIS AB ORATIONE ET MORTE. Haec a Sodalibus probantur primo ex decreto erectionis ipsius Sodalitatis factae ab Episcopo Verulano Battisti die 18 Martii an. 1575; per hoc enim decretum ei indultum extitit ***ius sepeliendi ac ad sepulturam deferendi omnia cadavera fidelium defunctorum,*** ceu eruitur ex actu aggregationis ipsius Sodalitatis Archiconfraternitati a Morte de Urbe diei 15 Aprilis an. 1576 in quo idem decretum refertur.

Insuper Sodales adducunt Bullam Gregorii XIII, editam die 7 Maii an. 1576, occasione qua nonnullae Verulanae Confraternitates hoc ius sibi tribuere tentarunt: in ipsa diserte Sodalitatis ab Oratione et Morte ius exclusivum recognoscitur per ea verba « ***quae Sodalitas hanc sibi legem, sepe-***

liendorum defunctorum sola praescripsit et ob id instituta est». Hinc Sodales concludunt, sive inspiciatur decretum erectionis et aggregationis Archisodalitati a Morte in Urbe eumdem scopum praeseferenti, sive Bulla Gregoriana privilegii confirmativa, de facultate exclusiva Sodalitatis a Charitate seu ab Oratione et Morte deferendi cadavera defunctorum eaque sepeliendi ambigi nequaquam posse.

In huius iuris pacifico exercitio et possessione Sodales sustinent usque ad praesens perseverasse, nec umquam ab aliis Confraternitatibus fuisse turbatos. Ex adverso opponitur institutio an. 1750 Sodalitatis Subventionis Mortuorum: sed Sodales reponunt, ipsam fuisse partem Sodalitatis a Charitate, et probant decreto erectionis in quo Confratres Subventionis Mortuorum dicuntur uniti antiquae Confraternitati Charitatis seu Mortis Verulanae civitatis, probant statuto eiusdem Sodalitatis, probant ex facto quod Sodales duarum Sodalitatum eumdem nigrum habitum induebant et in eodem Oratorio se colligebant. Tandem Sodales, aliis omissis coniecturis, ex eo deducunt quod anno 1778, praefata Confraternitate extincta, in bonorum ipsius administrationem Sodalitas a Charitate successit.

Sed dato etiam et non concesso quod ius privativum Sodalitatis a Charitate deferendi et sepeliendi cadavera reapse fuerit etiam exercitum a Confraternitate Subventionis Mortuorum, certum quidem est, aiunt Sodales, quod ab anno 1778 praedicta Sodalitas amplius non extitit; hinc Sodalitas a Charitate restituta fuit in suum privativum ius, in cuius pacifica possessione usque ad praesens mansit.

Inutili pariter calculo ex adverso invocatur institutio duarum Sodalitatum vulgo ***de' Sacconi e dei Sacchetti:*** hae enim institutae sunt dumtaxat ad associationem et tumulationem cadaverum sociorum. Quoad vero Pias Uniones an. 1870 exortas pro deferendis et condendis cadaveribus defunctorum in publico Coemeterio, reponunt Sodales, sui iuris exercitium paulisper ipsos intermisisse ob ingentes expensas, quas Sodalitas a Charitate sustinere ob id, attenta

coemeterii distantia, debuisset: aliunde praefatae Uniones non erant canonice erectae, et constabant laicis personis quae ***motu proprio*** pium opus explebant expectantes retributionem a Municipio. Notant Sodales, quod vespillones a Municipio salario conducti in transferendis cadaveribus saccum Sodalitatis induere debebant, et quod in posterum Municipium resolvit tale misericordiae opus concredere Sodalitati a Morte cum annua retributione libell. 700: in praesentiarum quamvis funebre servitium licitationi obnoxium esse velit Municipium, tamen, ceteris paribus, Sodalitas a Morte praefertur, quae facta privativum ipsius ius implicite demonstrant, et nulla umquam difficultas ex parte aliarum Confraternitatum fuit obiecta, si demas praetentionem Sodalitatis a Pietate.

Demum Sodales animadvertunt quod in Statuto Sodalitatis adversariae nullum verbum habetur de iure associandi et transferendi cadavera defunctorum: neque Sodalitas hoc ius sibi valet vindicare ex facto aggregationis ipsius Archisodalitati de Urbe, quia haec 1. facta est absque Episcopi Verulani consensu; 2. quia Sodalitates aggregatae Archisodalitatibus Urbis non gaudent de privilegiis aggregantis, sed tantum de indulgentiis; 3. quia iuxta Statutum Archisodalitatis Pietatis de Urbe, Sodales in transferendis cadaveribus tunc tantum interveniunt, quando ***sponte*** sunt invitati, dum e contra Sodales Pietatis Verulani semper vellent accedere.

Item perperam adversaria Sodalitas ad eludendam Bullam Apostolicam Gregorianam concessivam privilegii obtrudit, concessum privilegium per non usum iam fuisse amissum a Sodalitate a ¡Morte; siquidem praeter factum pacificae possessionis superius enucleatum, quod adversariorum obiectionem destruit, Sodales observant cum Monacelli in suo formulario legali fori eccles, ***tom. l,pag. 168, n. 23, editio Rom.*** Constitutiones Apostolicas non abrogari per non usum, sed esse necessariam scientiam Papae vel etiam Bullam moderatoriam. Hinc dato etiam non usu privilegii, non inde tamen, iuxta Sodales, argui posset ad privilegii extinctio-

nem. Concludunt itaque, Episcopi Verulani decretum confirmandum esse.

DEDUCTIONES PIAE UNIONIS MARIAE SS. A PIETATE. 'Huius Patronus in duas partes orationem suam dispescit, in quarum prima contendit Sodalitati adversariae non competere privilegium exclusivum associandi et transferendi defunctorum cadavera; in secunda sustinet quod etiamsi illud competeret, tamen iam amisisset.

Quoad primum punctum observat Defensor quod per Bullam Gregorii XIII tantummodo approbata fuit canonica erectio Sodalitatis a Charitate: « ***institutionem praedictae Confraternitatis,*** *Quatenus* ***canonice et sine alicuius praeiudicio facta extitit, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus*** » eique adiudicata sunt bona ecclesiae S. Nicolai, quae postea ipsius Oratorium evasit: nec pars dispositiva Bullae ullimode loquitur de invocato privilegio associationis et translationis cadaverum mortuorum. Verum quidem est quod ipsum refertur in parte narrativa, sed Pontifex tantum canonicam Sodalitatis erectionem approbare censuit.

Neque, iuxta patronum, aliquid proficit Sodalitas adversaria adducendo eius aggregationem Archisodalitati ab Oratione et Morte de Urbe; 1. quia Sodalitas aggregata non participat de privilegiis aggregantis, uti edicitur in ipso Episcopi Verulani impugnato decreto ; 2. quia prae tenso exclusivo privilegio associationis et translationis cadaverum neque ipsa Archisodalitas ab Oratione et Morte fruitur, ceu ipsius Secretarius fidem facit, et eius scopus tantum reducitur ad sumenda et transferenda cadavera demortuorum in agris.

Insuper patronus ex facto quod omnes Synodus dioecesanae Verulanae de hoc privilegio silent, deducit, illud esse purum commentum. Sane, ut de aliis taceat, in Synodo Episcopi Maurizi anni 1863 in titulo ***de funeribus,*** disponitur quod si aliqua Societas seu Sodalitas, vel vocata vel ex pura charitate accedat ad cadavera associanda et transferenda ad

sepulturam, saltem quinque confratres mittat; quod profecto explicari non posset in hypotesi praetensi privilegii. Quod argumentum maiorem vim nanciscatur etiam ex institutione Sodalitatis Subventionis Mortuorum an. 1750. Haec enim ideo erecta fuit, uti edicitur in capite primo Statuti, quia tunc temporis deficiebant personae quae hoc pium opus erga defunctos, ex charitate suscipere vellent. Profecto, ratiocinatur defensor, si Sodalitas a Charitate privilegium singulare associandi et transferendi cadavera habuisset, nequaquam praefatae Confraternitatis institutionem permisisset.

Quin aliquid suffragetur explicatio data-ab adversaria Sodalitate, quod scilicet Confraternitas Subventionis Mortuorum ipsius partem efformaret: hoc enim reiicitur, 1. quia Sodalitas Subventionis Mortuorum proprias regulas et distinctiva habebat; 2. quia primi ipsius conventus habiti sunt in domo privata; 3. quia in cap. XVIII Statuti' ipsius dantur normae pro associandis et transferendis cadaveribus in genere, quod aperte pugnat cum praetenso exclusivo privilegio Sodalitatis a Charitate.

Item defensor observat quod ante annum 1870 fere omnes Sodalitates, exceptis Sodalitatibus vulgo ***de Sacconi e Sacchetti,*** Verulanae, feretro destituebantur et illud mutuabant pro deferendis cadaveribus sociorum a Sodalitate SS. Sacramenti. Post annum 1870, nempe an. 1873 vel 1874 illud confecit Sodalitas a Charitate, quia Sodalitatis Sacramenti feretrum vetustate deperierat, at simul cautum est ut in funere socii alicuius Sodalitatis, deferretur illud simul a duobus adscriptis Sodalitati a Charitate et a duobus membris Sodalitatis cui defunctus erat aggregatus: quod profecto arguit privilegium Sodalitatis a Charitate deferendi cadavera non fuisse exclusivum.

Demum patronus idem arguit ex facto quod saepe parentes et amici in civitate Verulana detulerunt per se ipsos cadavera defunctorum, quin Sodalitas a Charitate accederet, ex facto quod post an. 1870 piis Unionibus exortis ad cadavera transferenda, numquam Sodalitas a Charitate recia-

mavit, et ex facto quod iu praesens, licet Municipium Sodalitati a Charitate rependat annuam mercedem libell. 700 pro translatione cadaverum defunctorum in civitate, tamen pro tumulandis cadaverum defunctorum in agris servitium funebre aliis commissum est.

Absoluta prima orationis parte, advocatus progreditur ad secundam, et pro viribus decertat praetensum privilegium, etiamsi Sodalitas a Charitate ab initio id habuisset, tamen nunc ab ipsa fuisse amissum, 1. ***per non -usum; 2. per abusum;*** 3. ***per praescriptionem. Per non' usum,*** quia usque ab an. 1750, seu fere duobus saeculis post erectionem Sodalitatis a Charitate, instituta fuit Confraternitas Subventionis Mortuorum, nam uti dicitur in eius Statuto, nemo aderat qui gratis seu ex titulo merae charitatis associationem et translationem cadaverum curaret. ***Per abusum,*** quia in associatione cadaverum peracta ab adversa Sodalitate, non socii ipsi adscripti accedunt, sed nonnulli pauperes, qui tantum pro re nata saccum Sodalitatis induunt, sed ipsius partem non efformant. ***Per praescriptionem,*** quia etiam post impugnatum Episcopale decretum an. 1897 translatio eadaverum perficitur a personis Sodalitati extraneis, et ante dictum decretum ipsa curata est etiam ab aliis Sodalitatibus, uti supra fuit relatum, et quia, uti etiam fuit observatum, funebre servitium pauperum, vel decedentium extra civitatem in agris persolvitur ab ipso Municipio Verulano suis expensis.

Verum quidem est, pergit defensor, quod in Statuto piae Unionis a Pietate non fit sermo de associatione cadaverum; sed notandum quod ipsa aggregata fuit Archisodalitati a Pietate de Urbe, cuius Statutum de consensu Episcopi observat. Huius scopus est exercere pietatis opera, inter quae etiam accenseri debet associatio mortuorum. Neque demum obstat decretum Clementis VIII ***Quaecumque,*** diei 7 Decembris 1604, prohibentis duarum Sodalitatum existentiam eiusdem generis in eadem civitate; siquidem **reponit** advocatus quod id non impedit, quominus extent duae Sodalitates eum-

dem scopum habentes, sed una primarium et altera secundarium; primarius scopus Sodalitatis a Charitate esset associatio et translatio cadaverum; primarius scopus Sodalitatis a Pietate, opera pietatis in genere, et hinc etiam associatio cadaverum : aliunde cum haec constituat misericordiae opus, ratio dictat non debere esse in nullius monopolio. Haec sunt rationum momenta ex utraque parte deducta.

Verum a Relatore ex officio seu a Revmo Summista Sacrae Congregationis causa relata est, *nemine* ***Firmana iurium,*** agitata in S. Congregatione Concilii sub die 30 Iunii 1877, quae magnam affinitatem cum praesenti -quaestione habere visa est. Species haec est.

In oppido Molleani Archidioecesis Firmanae, inter alias, duae extabant Sodalitates, nempe a SSmo Suffragio et a SSmo Sacramento. Sodalitas a SS.,Suffragio in coetu diei ***2*** Novembris 1875 decrevit funebrem culcitram et feretrum pro usu exclusivo sociorum suorum conficere, et haec deliberatio a Curia Archiepiscopali approbata fuit. Sodalitas a SS. Sacramento reclamavit apud eamdem Curiam, rata sibi ius privativum ex immemorabili consuetudine spectare cadavera adultorum ad ecclesiam deferendi eaque sepeliendi et feretrum atque culcitram funerariam subministrandi. Curia Archiepiscopalis revocavit rescriptum approbationis et nullam declaravit deliberationem Sodalitatis a Suffragio. Verum ipsa ad S. Congregationem Concilii appellavit.

Sodalitas a Suffragio duabus potissimum rationibus Curiae Archiepiscopalis decretum impugnabat; primo quia ius dandi feretrum et culcitram funebrem est ius parochiale, hinc obnoxium esse non poterat praescriptioni, cum iura parochialia nequeant praescribi: altera ratio erat quia ius transferendi et sepeliendi cadavera defunctorum est opus misericordiae quod in nullius monopolio esse convenit, proindeque etiam impraescriptibile: quas rationes etiam tertio argumento firmabat, quia Sodalitas a SS. Sacramento tunc suum ius exercebat quando a familia defuncti esset invitata: hinc agebatur de materia facultativa, in qua, uti est vul-

gatum, non currit praescriptio. Hinc argumentum consuetudinis immemorialis invocatum ab adversaria Sodalitate a SS. Sacramento mole sua ruebat. Et reapse proposito dubio ***« An decretum Curiae Archiepiscopalis Firmanae sit confirmandum vel infirmandum in casu*** » Emi Patres die praecitata 30 Iunii 1877 stetit pro Sodalitate a Suffragio respondens : ***Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.***

Hisce breviter enucleatis et reproposita quaestione per infrascriptum

Dubium

An et quomodo sit confirmanda vel revocanda decisio diei 11 Martii 1898 in casu?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium, re iterum ad examen revocata die 24 Feb. 1899 respondit: ***In decisis et amplius.***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

LITTERAE de cultu Sacratissimi Cordis Iesu amplificando.

Perillustris ae Rme Domine

Etsi gratum semper mihi' fuit officium communicandi cum Ecclesiae Praesulibus ea, quae supremus 'eiusdem Pastor illis significanda praescripserit; gratissimum modo accidit patefacere singulis Sacrorum Antistitibus suavissimam animi voluptatem, quam SSmus D. N. Leo PP. XIII percepit ex promulgatione novissimae suae Epistolae Encyclicae, qua universum humanum genus Sacratissimo Cordi D. N. Iesu Christi solemni ritu devovendi auctor fuit. Novit enim quanta animi propensione, quo consensu voluntatum fuerint eae litterae ab omnibus, tum pastoribus, tum fidelium gregibus receptae, et quam prompte ac studiose fuerit illis ubique obsecundatum.

Ipsemet sane Summus Pontifex cunctis exemplo praeivit; et ad suas Vaticanas Aedes, in sacello, cui a Paulo V nomen

est, instituta per Ipsum supplicatione, universum terrarum orbem divino Iesu Cordi obtulit et devovit. Cuius exemplum secutus romanus populus, magna frequentia convenit in Patriarchales et minores Basilicas, in templa quaelibet curialia, in aedes sacras prope singulas; ibique solemnem consecrationis formulam iteravit, unoque veluti ore confirmavit.

Protinus allatae sunt undique litterae, et quotidie afferuntur, nuntiantes, eumdem consecrationis ritum, pari studio ac pietate, peractum fuisse in unaquaque dioecesi, imo in singulis ferme ecclesiis; neque Italiae solum et Europae, sed et regionum maxime dissitarum. Cuius universi catholici populi consensus in 'obsecundando votis et voluntati supremi omnium Patris, profecto laus maxime debetur sacris Praesulibus, qui suis gregibus eiusmodi in re auctores fuerunt ac duces. Quapropter, Summi Pontificis obsequens desiderio, Tibi et singulis, qui tuae subiacent potestati, animarum regimen gerentibus, Eius nomine, magnopere gratulor et gratias ago.

Siquidem, ut in iisdem encyclicis litteris Beatissimus Pater edicit, uberes iucundissimosque fructus, nedum in singulos christifideles, verum et in universam christianam familiam, imo et in omne genus hominum, ex hac solemni oblatione derivaturos confidit, et nos cum Eo confidimus. Omnes enim intime persentiunt quam necessarium sit, ut languescens nimium fides vividius excitetur; ut sineerae caritatis ardor ignescat; ut exsultantibus nimium cupiditatibus frena teiiciantur, moribusque in dies contabescentibus medicaminis nonnihil afferatur. Omnium in votis esse debet, ut humana societas suavissimo Christi imperio subiiciatur, Eiusque regium ius, divinitus Ei in omnes gentes collatum, civiles etiam potestates cognoscant et revereantur; quo fiat ut Ecclesia Christi, quae regnum Ipsius est, magis magisque amplificetur et ea perficiatur libertate et quiete, quae ad novos usque triumphus comparandos prorsus est ei necessaria. Ad hoc denique ab omnibus enitendum est, ut innumeras gravissimasque iniurias, quae quotidie, in universo orbe, divinae maiestati ab ingratissimis hominibus inferuntur, compensare piis operibus ac reparare studeamus.

Verum ut concepta spes novas in dies vires acquirat, ac bonum eiusmodi semen affluenter germinet, uberioremque afferat messem, necesse est ut iam excitata pietas erga sacratissimum divini Redemptoris Cor stabilis perseveret, imo alatur

indesinenter. Constans enim perseverantia in precibus quamdam, ut sic loquar, vim afferet dulcissimo iesu Cordi, ut earum recludat fontes gratiarum, quas Ipsemet cupidissime elargiri desiderat, quemadmodum B. Margaritae Alacoque, amantissimae suae, significavit non semel.

Quamobrem Summus Pontifex, me usus suae voluntatis interprete, Amplitudinem Tuam et universi catholici orbis sacrorum Antistites vehementer hortatur, ut, coeptis alacres insistentes, ea excogitent et constituant, quae, pro varia locorum ac temporum conditione, ad optatum finem assequendum magis conducibilia videantur.

Ipse vero Beatissimus Pater commendat quam maxime eum morem, qui iam in pluribus ecclesiis obtinuit, ut per integrum mensem Iunium varia pietatis obsequia • divino Cordi publice praestentur: quod ut lubentius perficiatur, thesauros Ecclesiae reserans, tercentorum dierum indulgentiam christifidelibus impertit, toties lucrandam quoties sacris eiusmodi exercitiis interfuerint; plenariam vero iis qui saltem decem in mense vicibus idipsum praestiterint.

Magnopere etiam in votis habet Sanctissimus Dominus, ut praxis, alte commendata, ac pluribus iam in locis usurpata, qua, prima qualibet sexta feria cuiusvis mensis nonnulla obsequia peraguntur in honorem sanctissimi Cordis, largius assidue propagetur : recitatis publice Litaniis, quas nuper Ipse probavit, et iterata consecrationis formula a se proposita. Quae praxis si in christiano populo augescat, et quasi in morem transeat, iugis erit et frequens affirmatio divini illius et regii iuris, quod Christus in omne' humanum genus a Patre accepit, et effuso sanguine acquisivit. Quibus obsequiis ipse lenitus, utpote qui dives est in misericordia, mireque propensus ad homines beneficiis cumulandos, et eorum nequitiae obliviscetur et ipsos nedum ut fideles subditos, verum ut amicos et filios carissimos amplectetur.

Praeterea Beatissimus Pater vehementer exoptat ut adolescentes, ii maxime qui litteris scientiisque dant operam, in eas societates congregentur, quae pii *coetus* vel *sodalitia a Sacro Iesu Corde* nuncupantur. Constant nimirum ex illo delectorum adolescentium agmine, qui, dato sponte nomine, statuta per hebdomadam die et hora, in aediculas aut templa, aut ipsorum litterariorum ludorum sacella conveniunt, ibique, alicuius sacer-

dotis ductu, pia quaedam in honorem sacri Cordis Iesu exercitia devote peragunt. Si gratum acceptumque divino Redemptori pium quodvis accidit obsequium, quod ipsi a suis fidelibus exhibeatur, iucundissimum profecto illud est, quod e iuvenili pectore eiicitur. Nec vero sermone assequi possumus quantopere id ipsum iuvenili eidem aetati sit profuturum. Assidua enim divini Cordis contemplatio, et penitior virtutum eius et ineffabilis amoris cognitio nequit fervescentes iuvenum cupiditates non frangere, et virtutis sectandae stimulos non adiicere. — Qui pariter coetus iniri ac frequentari poterunt inter adultos, in iis quae, varii generis, *Societates catholicae* nuncupantur.

Ceterum piae eiusmodi exercitationes, quas memoravimus, nullimode a Sanctissimo Patre indicuntur; sed -omnia Ipse episcoporum prudentiae et saga citati permittit, in quorum studiosa propensissimaque voluntate plane confidit: illlud unice exoptans, ut in populis christianis pietas erga sacratissimum Cor Domini Iesu indesinenter floreat et virescat.

Interim Amplitudini Tuae diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Amplitudinis Tuae uti Frater addictissimus

Romae, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis die 21 Iulii, anno 1899.

C. CARD. MAZZELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI & *R. C. Secretarius.*

ROMANA beatificationis et canonizationis ven. Servae Dei sor. Mariae Aloisiae Maurizi monialis choristae professae et vicariae ven. monasterii Mantellatarum in laniculo de Urbe Ordinis Servorum B. M. Virginis.

Instante Rmo P. Augustino Morini Postulatore Generali Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis Rotalibus subsignata die ad Vaticanum habitis coram Emo et Rmo Dno Cardinali Lucido Maria Parocchi Episcopo Portuensi et S. Rufinae atque huius Causae Ponente sequens dubium discutiendum propositum fuit : « *An sententia lata ab Emo ac Rmo Dno Cardinali*

in Urbe Vicario super cultu Ven. Servae Dei Sor. Mariae Aloisiae Maurizi numquam exhibito, seu super paratone Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?» Et Sacra eadem Congregatio omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Ioanne Baptista Lugari S. Fidei Promotore, rescribendum censuit : *Affirmative seu confirmandam esse sententiam.* Die 6 Iunii 1899.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et approbavit, die duodecima eiusdem mensis et anni.

C. CARD. MAZZELLA, *S. R. C. Praef.*

L. * S.

DIOMEDBS PANICI S. *R.* C. *Secret.*

BRIXIEN, beatificationis seu canonizationis ven. Servi Dei Alexandri Luzzago patricii brixiensis.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu, et ad effectum de quo agitur?

Praeclara sanctitatis exempla tam multa spectare licet in iis qui aut sacris ministeriis rite fuerunt consecrati, aut votis religiosis obstricti, ut iam minus habeant admirationis; multis etiam inter rudiores opinionem iniiciant, non posse virtutis fastigium attingere nisi qui aut sacerdotio aucti fuerint, aut ab hominum coetu religionis causa sese omnino removerint. Quod quidem quam alienum a veritate sit haud paucorum docet praecellens virtus qui nihil officio aut habitu discrepantes a ceteris, humanis etiam saepe negotiis impliciti communem vitae viam retinuerunt. Horum pietas et probata in omni genere virtus, mirum quantum prodest erudiendis quamplurimis quo meliores cives utilioresque et privatis rebus et publicis fiant ; quippe

in iisdem omnis conditionis homines habent unde sumant quasi magis domestica documenta vitae sancte degendae.

Inter huiusmodi viros optimo iure adscribendus est Ven. Alexander Luzzago patricius Brixiensis ortus mense octobri anno 1551 ex ea gente quae ad animi nobilitatem non minus quam generis semper effloruit. Ceterum hic sua potius quam maiorum virtute studuit esse clarissimus.

Itaque adolescentiam summo candore cum senili prudentia coniuncto transegit in studio litterarum ; deinde Brixiae, Mediolani, Patavii philosophiae ac theologiae adeo strenuam operam dedit, ut de altera biduo disputaverit publice, in altera fuerit doctor renuntiatus. Ex qua subtiliori de Deo notitia ad arduos et praeclaros exarsit impetus suae primum, deinde ceterorum curandae salutis. Igitur assiduae meditationi ita se applicuit nihil ut aliud agitare videretur quam Deum, Christi praesertim cruciatibus ac morte materiem sufficientibus. Qua ex contemplatione illud potissimum est consequutus, ut in mundo degens mundum tamen calcaret ; opibus instructissimus, sibi ac corpori suo atrox bellum indiceret. Nam et carnem ieiunio castigavit, sumpto semel in die tenuissimo cibo, extenuavit vigiliis, ciliciis flagris edomuit. Qua vivendi disciplina nil mirum si rebelles cupiditates incredibili animi robore vel a teneris coercuit; tantus amator castitatis ut optabiles propositas nuptias constanter reiecerit; quin etiam perpetuam virginitatem Deo voverit, cui voto et illud adiunxit religiosae vitae in Societate Iesu degendae, ubi primum potuisset. Quod autem voti compos factus non fuerit id aequo animo tulit ; nec tamen nullas in se partes desiderari passus est religiosi viri. Interim vero haud minore studio senem parentem domi coluit. Nam quinquagenarius vir ne obulum quidem aut habuit patre inscio, aut distribuit invito; idem nunquam non ex urbe modo, sed ne domo quidem extulit pedem nisi de venia parentis. Cuius ne deesset voluntati ad S. Caroli Borromei reliquias venerandas cum eodem patre Mediolanum profectus est, quamvis febris aestu iactatus; qua ex peregrinatione aucta vi morbi sequuta mors est; ita ut hoc ipso usque ad mortem factus fuerit obediens.

Verum qui in sua quaerenda salute tam diligentem operam collocavit, idem alienae procurandae omni studio adlaboravit. Quidquid enim excogitan potest quod ad propellenda damna, conferat, auj; ad accersenda bona mortalibus, id conquisivi et

complexus est, nulli nec sumptui nec labori parcens ; cibi enim ac somni saepissime oblitus. Xenodochium Brixiae nullum fuit in qua caritatis suae vestigia non reliquerit; non careere, non pauperum tuguria. Christianae doctrinae gymnasia aut amplificavit ille aut constituit. Adolescentium sodalitia excitavit; honestarum puellarum pudicitiae sua pecunia saepe consuluit; perditae famae mulieres ad bonam frugem revocandas curavit. De fidei mysteriis docte et pie orationes privatas habuit, sive domi sive in piorum hominum sodalitiis. Brixiensium intestina odia, quibus sedandis frustra primores civitatis adlaboraverant, ipse restinxit. Amicos quos Christo acquisiverat per epistolas quotidie admonebat, noctu in ea re totus, continuatis vigiliis. Sacerdotibus ipsis in sacro mysterio iuvandis prospexit quum verbo et scriptis, tum institutis coetibus. Huiusmodi denique actuosae vitae fructum nemo non sensit, adeo ut aptari huic homini posse videantur quae regius psaltes de sole cecinit : ***non est qui se abseondat a calore eius.***

Tam optime de Religione ac de patria meritum virum, quem ne a suis lateribus discederet vix perrnittebant rectores urbis et sacrorum antistites, mors immatura praeripuit. Annum enim agens 51 Mediolani post triduum orando exactum ad S. Caroli corpus, quo usus fuerat vitae duce ac magistro, placidissime efflavit animam nonis maiis anni 1602.

Sacrum corpus Brixiam translatum non ad sepulturam, sed ad triumphum, omnibus ordinibus ac civitate universa prosequentes sanctissimam exequiarum celebritatem. Eius fama virtutis, prodigiis etiam confirmata etsi postulabat ut maturius heroicarum virtutum honores tanto viro decernerentur, divino tamen consilio factum videtur, ut res ad nostra haec tempora differretur. Nunc enim Italis quamplurimis piam peregrinationem ad Urbem suscipientibus ***videtur hoc esse persuasum, fore ut ex honoribus ab Ecclesia decernendis nobilissimo viro, quo auctore plures civium sodalitates ad pietatis opera et christianam rem iuvandam ortum dederunt, non exiguum capiant incrementum aliae, quae his nostris temporibus eodem proposito habentur consociationes ; quo nil optatius, nil profecto iueundius, accidere potest.***

Eius Canonizationis caussa iamdiu apud Sacrorum Rituum Congregationem incepta, omnibusque iam ad iuris normam rite exactis, an heroicarum virtutum examen triplici disceptatione

peractum est. Nimirum prima in antepraeparatorio coetu penes Rmum Cardinalem Lucidum Mariam Parocchi Causae Relatorem advocato pridie calendas septembres anno 1897; alteram conventu praeparatorio in Apostolicis Vaticanis Aedibus indicto anno 1898 decimoquarto calendas sextiles; tertia demum in. generali Congregatione ibidem penes Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII habita, hoc volvente anno, tertio calendas iunias, in qua Rmus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi dubium ad discutiendum proposuit: *An eonstet de Vir-' tutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Alexandri Luzzago, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* Rmi Cardinales ceterique Patres Consultores suffragium singuli protulere. Beatissimus vero Pater quamvis *de illorum sententiis fuerit gratulatus conñderetque et illos decretorio iudicio Suo, divini luminis suffragante praesidio, quamprimum gratulaturos,* tamen non illico mentem suam aperire censuit.

Hodierno autem die, Dominica VI. post Pentecosten, solemnibus in honorem Visitationis Deiparae Virginis consecrato, divinae maiestati Hostia devotissime immolata, arcessi voluit Rmos Cardinales Camillum Mazzella, Episcopum Praenestinum S. R. C. Praefectum et Lucidum Mariam Parocchi Episcopum Portuen. et S. Rufinae, una cum R. P. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore meque insimul infrascripto Secretario : iisque adstantibus solemniter declaravit : *Ita constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven- Servi Dei Alexandri Luzzago, in gradu heroico in casu, et ad effectum de quo agitur, ut ad ulteriora procedi possit, nempe ad trium miraculorum disceptationem.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta S. R. C. referri mandavit sexto nonas Iulias anno 1899.

C. CARD. MAZZELLA & *R. C. Praef.*

L. © S.

DIOMEDES PANICI S. *R. C. Secr.*

BAIONEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Michaelis Garicoïts Sacerdotis Fundatoris Congregationis Presbyterorum SS. Cordis Iesu.

In pago ***Ibarre*** regionis Vasconicae a probis piisque coniugibus Arnaldo Garicoïts et Gratianna Etcheberry ortum habuit praefatus Servus Dei Michael Garicoïts, die 15 Aprilis an. 1797. Ab ipsa infantia curis parentum ad religionem excultus pronum ostendebat animum ad sacra peragenda. Missus ad Iturense Seminarium philosophiae addiscendae vacavit; translatus deinde in Maius Seminarium civitatis Aquarum Augustarum vulgo ***Dax,*** theologiae curriculum absolvit. Sacerdotio praeditus die 20 Decembris 1823, et in adiutorium datus parocho loci, cui nomen ***Cambo,*** inibi per biennium sacri ministerii partes explevit cum spirituali profectu tum incolarum tum aliorum e vicinis et etiam remotis paroeciis illuc confluentium. Anno 1834 exeunte, post plurimas difficultates feliciter superatas, ad opem ferendam Ecclesiae Praesulibus in excolenda vinea Domini, in ***Betharram*** presbyterorum sodalitatem a SS. Corde Iesu nuncupatam fundavit; quae, ipso praeside, Apostolicae Sedis sanctione decorata ita paullatim increvit, ut in plures civitates ac dioeceses etiam Americae Meridionalis praeclara beneficia pro tendent. Hic Dei Famulus, Episcopo ita disponente, per triginta septem annos a confessionibus et consiliis fuit quibusdam domibus Instituti Filiarum Crucis, ***vulgo*** Sororum S. Andreae. Tandem die festo Ascensionis Domini anno 1863 repentino morbo correptus et a Viatico sumendo impeditus, sacramentis poenitentiae et extremae unctionis munitus, in domo praedicti loci ***Betharram*** ex hac vita placidissime migravit. Vix evulgato obitus nuncio, omnes repleti sunt moerore ac praecipue Baionensis Antistes, quo praeeunte et sermocinante, solemne funus celebratum fuit. Interim sanctitatis fama quam Michael in vita sibi comparaverat, post obitum aucta et iugiter perseverans magis in dies augetur. Quare adornato super eadem fama Processu Ordinario in ecclesiastica Curia Baionensi et ad Sacram Rituum Congregationem delato, quum obtenta iam fuerit Apostolica dispensatio tum ab interventu et voto consultorum tum a lapsu decennii, rogante hodierno causae Postulatore, Rmo P. Mauro Maria Kaiser, Ord. Praedic, nomine etiam Rmi Episcopi Baionensis et universae sodalitatis presbyterorum a SS. Corde Iesu, atque attentis permultis litteris postulatoriis Emorum S. R. E.

Cardinalium, Rmorum Sacrorum Antistitum, Praepositorum Generalium Ordinum vel Congregationum religiosarum, aliarumque personarum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella, huiusce causae Relator, in Ordinario Sacrae ipsius Congregationis: Coetu, subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit* ». Die 9 Maii 1899.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Leoni Pp. XIII per infrascriptum Cardinalem S. Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam S. ipsius Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Michaelis Garicoïts, fundatoris Congregationis Presbyterorum SS. Cordis Iesu, die decimaquinta eiusdem mensis et anni.

C. CARD. MAZZELLA, *S. B. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, S. *B. C. Secretarius.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA: An facultates omnes habituales cum illis quae conceduntur pro casuum determinato numero Locorum Ordinariis transeant ad eorundem successores.

* Beatissime Pater,

Decreto S. R. et U. Inquisitionis die 24 Novembris 1897 statuitur « facultates omnes speciales *habitualiter* a Sancta Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas, non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam et in terminis decreti a Suprema hac Congregatione editi die 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales ».

Verumtamen infrascriptus Vicarius Capitularis, sede vacante Dioeceseos N. N., ad omne dubium tollendum pro suae conscientiae tranquillitate, ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus postulat ut declarare dignetur:

I. Utrum sub illis verbis *facultates omnes speciales* habitualiter *a Sancta Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas,* comprehendantur facultates omnes speciales a Sancta Sede Ordinariis concessae, quibus utuntur quoties voluerint, licet ad praefinitum tempus ; cuiusmodi sunt facultates *de Poenitentiaria* dictae, reductionis missarum etc.

II. Utrum facultas benedicendi et delegandi ad sacra paramenta benedicenda, quae Episcopis fuerit concessa, transeat etiam ob eorum mortem vel a munere cessationem ad successorem Vicarium Capitularem, quamvis Episcopali dignitate non insignitum.

III. Utrum sub iisdem verbis *facultates omnes speciales* habitualiter *a Sancta Sede Episcopis .... concessas* comprehendantur etiam facultates, quibus dumtaxat uti valent pro determinato casuum numero, ut sunt facultates dispensandi a sacrae ordinationis titulo, pro definito ordinandorum numero.

IV. Et quatenus ad aliquid horum negative, quaenam sit interpretatio illius adverbii *habitualiter.*

Et Deus etc.

Feria IV, die 3 Maii 1899.

In Congregatione Generali ab Emis et Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum votó, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt :

Ad I. II. et III. Affirmative.

Ad IV. Provisum in praecedentibus.

Sequenti vero feria VI, die 5 eiusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII. R. P. D. Assessori impertita, SSmus D. N. resolutionem EE. et RR. Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Notarius.*

DUBIUM: 'An Locorum Ordinarii valeant dispensare ***in articulo mortis*** ab Impedimentis matrimonialibus cum illis qui vixerunt in concubinatu, et dein se separara nt.

Beatissime Pater,

Vicarius Capitularis Dioecesis N. N. ad pedes S. V. provolutus quae sequuntur exponit:

Decreto S. R. et U. Inquisitionis diei 20 Februarii 1888, Sanctitas Vestra benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant, sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus, cum iis qui in gravissimo mortis periculo constituti, et quando non suppetit tempus recurrendi ad Sanctam Sedem, iuxta leges civiles sunt coniuncti, aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant

Nunc vero in hac civitate N. N., nonnulli concubinarie viventes prolem genuerunt, et postea, relicto contubernio, iam iam graviter aegrotantes, cum eadem persona, cum qua in concubinatu vixerunt, ad prolem legitimandam, vel mulieris famam aut damnum reparandum, vel ad scandalum tollendum, vel ad propriae conscientiae consulendum, matrimonium contrahere desiderant.

Hisce praehabitis, suprascriptas Vicarius Capitularis Sanctitati Vestrae dubia, quae sequuntur enodanda proponit:

I. Utrum sub citato decreto S. R. et U. Inquisitionis diei 20 februarii 1888 etiam comprehendi valeant aegroti in mortis periculo constituti, qui actualiter non vivunt in concubinatu, sed tamen 'in eo vixerunt, prolemque genuerunt quam legitimare oportet?

II. Utrum comprehendi etiam valeant aegroti, qui actualiter non vivunt, sed tamen vixerunt in nefario concubinatu, quin prolem genuerint, vel genita iam obierit ?

Et Deus etc.

*Feria **IV,** die 3 Maii 1899.*

In Congregatione Generali Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis, propositis suprascriptis dubiis, rite perpensis omnibus tum iuris tum facti rationum momentis praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi DD. in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum censuerunt:

Detur Decretum fer. IV, diei 17 Septembris 1890 latum super dubio proposito ab Archiep. Compostellan.

Porro huiusmodi dubium ita se habebat:]« Utrum vi decretorum diei 20 februarii 1888 et 1 martii 1889 valeant Ordinarii per se vel per parochos dispensare super impedimentis.... in articulo mortis constitutos, licet matrimonium civile quod vocant non celebraverint, nec vivant in concubinatu? — Emi PP. respondendum mandarunt: *Negative* ».

Feria vero VI, die 5 eiusdem mensis Maii SSmus D. N. Leo div. prov. PP. XIII in audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, habita hac de re relatione, resolutionem Emorum PP. approbavit et confirmavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. Inq. Not.*

DUBIUM: An valida sit Ordinatio, in qua, omissa prima et secunda manuum impositione, cum verbis sacramentalibus, omnia impleta sunt ante instrumentorum traditionem.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N., ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit quod sequitur:

In ordinatione cuiusdam Presbyteri, mensibus abhinc circiter quatuor, per inadvertentiam praetermisit utramque manum super caput ordinandi imponere et manum dexteram extensam teneri dum legeret exhortationem *Oremus fratres eharissimi ;* quae omnia postea suppl e vit, quod et fecerunt presbyteri adstantes, una cum repetitione exhortationis. Nunc vero dubitat utrum haec fecerit ante Orationem *Exaudi nos* et Praefationem peractas: affirmat autem presbyter assistens, licet cum quadam dubitatione, oratorem, dicto *Flectamus genua* et ante orationem *Exaudi nos* haec omnia fecisse.

Eapropter Episcopus orator pro conscientiae suae tranquillitate humillime petit, utrum posset quiescere, et quatenus negative, quid sit faciendum?

Feria IV, die 3 Maii 1899.

In Congregatione Generali ab EEmis ac RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Con-

sultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Dummodo in casu proposito repetitio formae et manuum duplex impositio facta fuerit ante instrumentorum traditionem, acquiescat.

Feria vero VI, die 5 eiusdem mensis Maii, in solita audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Assessori impertita, EE. ac RR. Patrum resolutionem approbavit.

I. CAN. MANCINI, S. R. et U. Inq. *Notarius.*

DECRETUM quo Romae prohibetur Superioribus audire confessiones sacramentales subditorum suorum.

Fer. IV 5 Iulii 1899.

Huic Supremae S. R. et U. Inquisitioni relatum est quod in hac Alma Urbe nonnulli Religiosarum Communitatum, necnon Seminariorum et Collegiorum Superiores, suorum alumnorum in eadem domo degentium Sacramentales excipiant confessiones. Ex quo quanta incommoda, immo quot gravia mala oboriri possint, nemo qui in sacris ministeriis vel mediocriter sit versatus pro comperto non habet. Ex una enim parte minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque confessionis integritas periclitatur; ex alia vero Superiores minus liberi esse possent in regimine communitatis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos, quorum confessiones excipiunt.

Quapropter ut hisce aliisque malis, quae ex huiusmodi abusu facile oriri queunt, occurratur, Suprema haec S. Officii Congregatio, de expresso Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII mandato, districte prohibet ne ullus cuiusquam Religiosae Communitatis aut Seminarii aut Collegii Superior, sive maior sive minor, in hac Alma Urbe, (excepto aliquo raro necessitatis casu, de jquo eius conscientia oneratur) suorum alumnorum in eadem domo manentium Sacramentales Confessiones audire ullo pacto audeat.

I. Can. MANCINI S. R. et U. Inquis. *Notarius.*

EPISTOLA quam Leo Papa XIII ad Wllhelminam Hollandiae Reginam rescribens misit **(1).**

Majesté,

Nous ne pouvons qu'avoir pour agréable la lettre par laquelle Votre Majesté Nous faisant part de la réunion, dans la Capitale de son royaume, de la Conférence pour la paix, a eu l'attention de solliciter pour cette assemblée Notre appui moral.

Nous Nous empressons d'exprimer Nos vives sympathies, soit pour l'Auguste initiateur de la Conférence et pour Votre Majesté qui s'est empressée de donner à celle-ci une

Pergratae procul dubio, Regina, Nobis tuae literae fuerunt, quibus Nos de conventu, pacis promovendae causa, in urbe principe tui Regni cogendo certiores fecisti, Nosque, ut nostro illum nomine fulciremus, per quam comiter rogasti.

Istiusmodi consilio Nos libentissime assentimur; atque huius propensae voluntatis nostrae significationem Maiestati tuae exhibere gestimus, cum propter augustum eiusdem consilii auctorem (2), ac te, Regi-

(1) SSmus Pater Leo XIII per hanc epistolam responsum dedit Epistolae Reginae Hollandiae, quae est tenoris sequentis:

Très-Auguste Pontife

Votre Sainteté, dont la parole éloquente s'est toujours élevée avec tant d'autorité en faveur de la paix, ayant tout récemment dans Son Allocution du 11 Avril dernier exprimé ces sentiments généreux plus spécialement par rapport aux relations des peuples entre eux, J'ai cru de mon devoir de Lui communiquer, qu'à la demande et sur l'initiative de Sa Majesté l'Empereur de toutes les Russies, J'ai convoqué pour le 10 prochain une conférence à La Haye, qui sera chargée de rechercher les moyens propres à diminuer les écrasantes charges militaires actuelles et à prévenir si possible les guerres ou du moins à en adoucir les conséquences.

Je suis persuadée que Votre Sainteté verra d'un oeil sympathique la réunion de cette conférence, et Je serais très heureuse si, en me témoignant l'assurance de cette haute sympathie, Elle voulût bien donner Son précieux appui moral à la grande oeuvre qui, d'après les généreux desseins du magnanime Empereur de toutes les Russies, sera élaborée dans ma Résidence.

Je saisis avec empressement l'occasion présente, Très-Auguste Pontife, pour renouveler à Votre Sainteté l'assurance de ma. haute estime et de mon dévouement personnel.

Lipburg, le 9 mai 1899.

WILHELMINA.

(2) Nempe Russiae Imperalorem.

honorable hospitalité, soit pour le but éminemment moral et bienfaisant auquel tendent les travaux qui déjà y sont inaugurés.

na, quae huic Conventui in tuo regno hospitem domum praebuisti; tum vero etiam propter eximium, pium saluberrimumque Scopum, quo iam inita studia laboresque huius rei gratia suscepti, diriguntur.

Pour de telles entreprises Nous estimons qu' il entre tout spécialement dans Notre rôle non seulement de prêter un appui moral, mais d'y coopérer effectivement, car il s'agit d'un objet souverainement noble de sa nature, et intimement lié avec Notre Auguste ministère lequel, de par le divin Fondateur de l'Eglise, et en vertu de traditions bien de fois séculaires, possède une sorte de haute investiture comme médiateur de la paix. En effet T autorité du Pontificat suprême dépasse les frontières des nations; elle embrasse tous les peuples, afin de les confédérer dans la vraie paix de l'Evangile; son action pour promouvoir le bien général de l'humanité s'élève au dessus des intérêts particuliers qu'ont en vue les divers chefs d'états, et mieux que personne elle sait incliner à la concorde tant de peuples au génie si divers.

Ad istud autem consilium promovendum nostra in primis referre existimamus, ut non solum nomen auctoritatemque nostram, quoad valet, libenter commodemus ; verum etiam ut efficaciter cooperemur : Res enim agitur et praeclarissima per se, atque huic nostro muneri Apostolico, quod sive per divinum Ecclesiae Auctorem, vetustissimam Traditionem hanc dotem possidet, ut qui eo fungitur, supremus quodammodo firmandae pacis sequester constituatur, intime colligata. Enimvero Summi Pontificatus auctoritas nationum confinia transgreditur: omnes populos complectitur, ut eos simul vera Evangelii pace consociet; eiusque actio, ut publicum humanae societatis bonum promoveat, privatum, quod supremi quique cuiusvis ReipublicaeAdministratores curare solent, bonum transigit; ipsaque melius, quam quivis alius e mortalibus, populos adeo inter se discrepantes ad concordiam perducere novit.

L'histoire à son tour vient témoigner de tout ce qu'ont

Historia testis accedit eorum, quae Praedecessores nostri fe-

fait Nos Prédécesseurs pour adoucir par leur influence les lois malheureusement inévitables de la guerre, arrêter même, quand surgissaient des conflits entre peuples ou entre princes, tout combat sanguinaire, terminer à l'amiable les controverses les plus aiguës entre nations, soutenir courageusement le droit des faibles contre les prétentions de forts. Et Nous aussi, malgré l'anormale condition où Nous sommes réduits pour l'heure, il Nous a été donné de mettre fin à de graves différends entre des nations illustres, comme la Germanie et l'Espagne ; et aujourd'hui même Nous avons la confiance de pouvoir bientôt rétablir l'harmonie entre deux nations de l'Amérique du sud, qui ont soumis à Notre arbitrage leur contestation.

Malgré les obstacles qui puissent surgir, Nous continuerons, puisque le devoir Nous en incombe, à remplir cette traditionnelle mission, sans aspirer à d'autre but que le bien public, sans convoiter d'autre gloire que celle de servir la cause sacrée de la civilisation chrétienne.

Nous prions Votre Majesté de vouloir bien agréer les sentiments de Notre particulière

cerunt, ut belli incommoda, quae inde necessario consequuntur, qua possent ope, mitigarent : ut conflictus , qui forte inter populos aut Principes exorti fuissent, cruenti profecto futuri, dirimerent: ut iurgia, vel ferocissima, quae inter nationes exarserant, pacifice compon erent: ut denique debilium contra fortium aggressus iura tuerentur.

Nobis equidem fauste contigit, quamvis interim in tristissima rerum conditione versemur, gravissimis dissidiis inter duas conspicuas nationes, Germaniam atque Hispaniam finem imponere: hodieque fore confidimus ut inter duas Americae Meridionalis nationes, quae litis inter ipsas exardescentis definiendae arbitrium Nobis concessere, pax denuo quam primum firmetur.

Quidquid Nobis obstiturum sit, | Nos utique, quoniam Officii nostri ratio id exposcit, hoc pacis curandae munere, vetustissimis abhinc temporibus Nobis sponte concredito, fungi pergemus, quin aliud, quam publicum bonum, expetamus; nec ad aliam gloriam adspiremus, quam christiano civilique populorum cultui, quoad possu mus, promovendo inservire.

Te nunc, Regina, rogamus, ut peculiaris nostrae erga Te existimationis sensa, et since-

estime et l'expression sincère des voeux que Nous formons pour Sa prospérité et celle de Son royaume.

Du Vatican le 29 Mai 1899.

LEO PP. XIII.

ra, quae pro tua tuique Regni prosperitate, animi nostri vota expromimus, libens excipere velis.

Dat. ex Aed. Vatican, die 29 Maii, anno 1899.

LEO PAPA XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

POLIOASTREN.

IURIUM

Die 29 Aprilis 1899.

Sess. 23, c. 3. Sess. 22, c. 3. De ref.

COMPENDIUM FACTI. In dioecesi Policastren, plures vigebant Ecclesiae ***receptitiae innumeratae,*** iampridem opibus et clero florentes, usque ad annum 1867 quo editae sunt infaustae leges patrimonii ecclesiastici eversivae. Exinde harum Ecclesiarum bona fìsco addicta sunt, atque in posterum prohibitae novae Sacerdotum adscriptiones in huiusmodi coetus ; his vero Sacerdotibus qui tempore editarum legum iam inscripti fuerant, tributa est in eorum vitam, quaedam redituum pars, ***pensionis*** nomine.

Verum ***iure*** perficere non poterant, quae ***facto*** paraverant iniquae leges ; quamobrem solemne fuit Episcopis, has Ecclesias non secus ac antea uti vigentes habere et sinere ut alii inscriberentur sacerdotes cleris receptitiis. - Difficultates autem Ordinarii et ipsi cleri experti sunt in rerum egestate; magnum enim faciebat negptium novis cooptatis fratribus congruam tribuere mercedem -. In nonnullis Ecclesiis pensiones a gubernio concessae in communem massam conlatae sunt cui, aequis portionibus, et veteres et novi

adscripti participarent. Sed hoc propositum non placuit Sacerdotibus ***pensione*** donatis ex clero receptitio Ecclesiae S. Nicolao Barensi dicatae , dioecesis Policastrensis ; siquidem, expetentibus hanc bonorum communionem Sacerdotibus post fìsci surreptionem adscriptis, illi abscisse restiterunt, aientes sibi a Gubernio concedi redituum portionem, ad quam ius certum iam habebant quaesitum; istamque aliis cedere nullo iure cogi. Haec controversia statim ad Episcopum delata est, qui sub initio visus est favere intentioni Sacerdotum ***pensionem*** non obtinentium, sed quaestionem resolvere distulit, quam denique exeunte ***a. 1897 die 28 Ianuarii*** expedivit per decretum, praeviis animadversionibus, quae sequuntur: I°. Etsi pensiones ad vitam statutae pro sacerdotibus Ecclesiae addictis , tempore quo suppressionis leges latae fuerunt, repraesentent antiquos ecclesiasticos redditus, pensionarii maiore fruuntur iure ad integram pensionem ob possessionem, qua gaudebant tempore suppressionis : ***nam in pari causa et delicto melior est conditio possidentis.*** 2°. Appellantes, quamvis pernoscerent bona Ecclesiae iam directa esse, tamen ad clerum adscribi satagerunt, dum alii iam fruebantur assignata sibi pensione, qua frui apprime valent ex eo: ***qui prior in tempore, potior est in iure.*** 3°. Etsi civilis potestas immutare nequeat Ecclesiarum indolem, tamen si adiuncta temporum et locorum notabiliter diversa facta fuerint, etiam cleri statuta modificanda sunt : ceu exemplum dedit S. C. Concilii in Causa A. die 19 Septembris 1885. 4°. Pensio etsi exigua, tamen naturam alimoniae induit, et ridiculum fieret si divisioni et subdivisioni subiiceretur ob pensionariorum obitum, et ingressum aliorum presbyterorum. 5°. Sacra C. C. his aliisque freta animadversionibus aliisque iustis causis in decreto generali diei 22 Februarii 1876, ***dubio — An et quomodo qui post praetensam suppressionem capitulo collegiatae vel clero receptitiae per litteras episcopales cooptantur participare debeant de reditibus qui vitalitiae pensionis titulo singulis praeexistentibus capitularibus vel participantibus a fisco persolvunturì*** rispose: ***Generaliter***

loquendo negative. 6°. Sacerdotes non participantes, etsi non adigantur alios coadiuvare in functionibus quae inhaerent pensionibus iisdem, tamen adesse debent functionibus ritus ob Ecclesiae splendorem, neque ullam facere possunt functionem seorsim ab aliis.

Hinc Ordinarius praemissis hisce omnibus, reiecit petitionem presbyterorum, pensione carentium in Ecclesia Lauriae.

Huic decreto nonnulli acquieverunt ex contradictoribus; alii refragati sunt instituentes apud S. C. C. appellationis iudicium, ad impetrandam decreti Episcopalis rescissionem; sub hac enim rogandi formula hodie proponitur causa, nempe ***« An decretum Episcopi sit confirmandum vel infirmandum in casu ».***

Disceptatio Synoptica.

IURA PENSIONARIORUM. Sacerdotes ***pensionati*** per suum procuratorem, notant leges e versi vas voluisse ecclesias recepti tias omnino evertere et e medio tollere. - In hac tamen iniqui tate, ait procurator, hoc unum aequum sibi lator legis proposuit, ut noluerit illis , quos in possessione fructuum ecclesiarum receptitiarum invenit, inferri detrimentum. Eis propterea annuum reditum, qui, quos amittebant, aequaret fructus, constituit. Ne tamen eorum sors melior fieret, addidit conditionem, « purché continuino ad adempiere gli obblighi annessi a quegli enti ». De clericis, qui, post illud tempus, in receptitias ecclesias recepturi forent, nulla mentio. Imo de eis ne cogitasse quidem legislator dicendus est. Nam, si voluit receptitias ecclesias tolli, voluit etiam, ne quis in posterum in eas ascriberetur. Si igitur legem consideremus, nullum profecto ius in pensiones iis sacerdotibus competit, qui, post pessumdatas a potestate laicali ecclesias receptitias, in eas supervenerunt.

Equidem ultro concedit orator, hanc legem esse iniustam et nullum ius condere, sed ait, in nostra potestate non esse legem abrogare, vel eius iniquitati occurrere. Pensiones, quas solvit fiscus, si dividantur, paucos post annos, veteribus

sacerdotibus omnibus vita functis, nulla amplius extabit pensio, quae dividatur ac subdividatur. Interim illos, iam senio atque infirma valetudine confectos, necessariis vitae auxiliis destituentur.

Hac de causa factum esse arbitratur, quod S. C. C, etsi ab initio, post ecclesiarum receptitiarum abolitionem, per editas instructiones edixerit, pensiones esse in communem massam conferendas ; simul tamen in iisdem instructionibus facultatem tribuerit episcopis, qua vetarent, ullum in iis ecclesiis clericum in posterum recipi posse. Nec ita multo post, reclamantibus sacerdotibus, quibus a fìsco pensiones solvebantur, eadem Congregatio pluries rescripsit, *eos non esse inquiétemelos.* Tandem die 22 Februarii anni 1876 edidit decretum generale: *Ad dirimendas,* iri quo dubio: *An et quomodo qui post praetensam suppressionem capitulo collegiatae vel clero receptitiae per litteras episcopales cooptantur, participare debeant de reditibus, qui vitalitiaepensionis titulo singulis praeexistentibus capitularibus rei participantibus a fisco persolvuntur;* respondit : *Generaliter loquendo, negative.*

Deinde advertit patronus, quod ex cleris receptitiis: non pauci, post eversionis, legem, pensiones cum novis advenientibus clericis communicaverunt; aliqui et ipsi quidem communicaverunt, hac tamen lege, ne qui clerici praeterea in clerum cooptarentur; reliqui communicare pensiones omnino detrectaverunt ; hi sunt, praeter clerum S. Nicolai in oppido Lauria Superiore, de quo agimus, clerus S. Iacobi Lauriae Inferioris, et cleri oppidorum quae vulgo appellantur *Lagonegro* et *Rivello.* Nulla autem adest ratio, praesertim post editum decretum generale *Ad dirimendas,* cur et hi cogantur id agere, quod ceteri dioeceseos cleri fecerunt. Nec ea ratio in hoc inveniri potest, quod cleri dioeceseos policastrensis sint innumerati. Decretum enim *Ad dirimendas* inter numeratos et innumeratos cleros non distinguit: ac propterea utrisque est aptandum.

Praeterea refert quod unus et triginta anni exacti sunt,

ex quo eversionis lex lata est : ex sacerdotibus, quibus tum tributae a fìsco pensiones , quique quatuor et quadraginta fuerunt, novem tantum supersunt : reliquos commune fatum sustulit ; sacerdotes, quibus nullae pensiones a fisco solvuntur, ad quatuordecim numerantur et illorum numerus , ita natura ferente, quotidie minuitur : numerus horum quotidie augetur. Si pensiones communicentur, magnum illis, qui tot., annos eas possederunt, eisque nunc potissimum, ad senectutem sublevandam, egent, afferetur iactura: his iunioribus validioribusque parva ac parvi temporis utilitas. Item advertit advocatus his sacerdotibus, qui pensionibus non fruuntur, quodvis laborum suorum emolumentum omnino non deficere. Sunt enim quidam reditus qui rapacitati fisci subduci potuerunt: hi inter omnes sacerdotes ecclesiae addictos aequis partibus dividuntur. Insuper, quod maioris est momenti, fines paroeciae Lauriae late patent, nec tenues proventus adventicii ex ea percipiuntur, quorum, ut par est, etiam sacerdotes, qui pensionibus carent, in partem vocantur : ita ut hi dici nequeant necessariis ad vitam sustentandam subsidiis esse destituti.

De oneribus propriis autem quae a ***pensionatis*** feruntur nullum ferri a non pensionatis ; quod confirmatur per authenticum testimonium Provicarii generalis curiae polycastrensis, diei 31 martii anni 1898.

Sed adversarii in medium afferunt deliberationem quamdam , in quam convenit clerus lauriensis in coetu habito die ***19 decembris anni 1872.*** Huic conventui, pergit orator, aliquot tantum, non omnes participantes sacerdotes interfuerunt: nam ex ipsa deliberatione habemus, habitum conventum fuisse, « presenti il rev. Arciprete, Cantore Vitarella e Vicario foraneo Alagia e numero competente di sacerdoti partecipanti ». Ex iis autem, qui interfuerunt, duo tantum, nimirum sacerdos Crescentius Marotta, atque abbas Mathias Forestieri, adhuc superstites sunt : etenim reliqui. omnes, qui nunc petunt, ut integrae' sibi pensiones a vobis serventur, conventui non adfuerunt.

At, iuxta patronum, in eo conventu non de pensionibus cum sacerdotibus post eversionem in clerum exceptis participandis actum est, sed de re prorsus diversa. Nam in eam spem, narrat advocatus, venerant sacerdotes ecclesiae lauriensi sancti Nicolai addicti, fore ut in universali bonorum illius ecclesiae sectione, incolumis praestari posset aliqua eorum pars, quae ad persolvendam pecuniam aliis debitam, sumptusque cultus tolerandos in perpetuum inserviret. Igitur decreverunt a fisco peti, ut haec pars bonorum a reliquis bonis, quae publicanda erant, separaretur. Quoniam vero, receptitio clero a lege sub verso, unus archipresbyter, qui animarum curam gereret, erat superfuturus ; ne hic unus hunc reditum administraret, et libito suo erogaret, decreverunt in altera parte deliberationis, eumdem reditum ab omnibus sacerdotibus participantibus aut per ipsos, aut per electum ab iisdem procuratorem esse administrandum.

Iamvero in hoc constituto urget orator, nec unum verbum deprehenditur, quod ad pensiones earumque communicationem possit referri. Imo omnia conspirare videntur ad declarandum, haec constituentes, nedum de pensionibus nihil omnino statuisse , sed de illis ne cogitasse quidem. Aiunt enim: ***innanzi che scorressero i fatali. . . . sia compilata e presentata analoga domanda.*** Igitur de reditu agitur, quem reservare vel non in potestate esse fìsci arbi trabantu r, quique ante confectionem dispositionis publicati patrimonii esset utiliter petendus : quae quidem pensionibus singulis sacerdotibus persolvendis nequeunt aptari. Pensiones enim ab ipsa lege constituuntur, nec in facultate fisci est, concedere eas, vel refutare, nec ius ad eas amittitur, nisi ante compositum patrimonium petantur.

Subdunt deliberantes, petitionem, de qua consulunt, faciendam esse ***per la deduzione delle passività e per rassegno speciale alle spese di culto,*** ac paulo post aiunt: ***il succennato assegno per le spese di culto o di passività qualunque.*** Haec verba ad pensiones referri plane non possunt, instat patronus : quae, non ad solvendum aes alienum, nec ad sus-

tinendas expensas cultus, a legislatore tributae sunt, sed ad sacerdotum participantium alimoniam. Si enim ipse per eas cultui consulere voluisset, easdem perpetuas constituisset,' prout egit in capitulis ecclesiarum cathedralium : quorum quidem bona fìsco addicta sunt: ea tamen lege, ut duodecim canonicis et sex mansionariis praebendae in perpetuum persolvendae essent.

Subiiciunt illi: ***in qualsiasi modo venisse intestato.*** Neque haec verba, iuxta oratorem, possunt pensionibus accommodari : de his enim incerta res esse non potest, quibus singulorum participantium nomen imponitur. Si igitur ea de re consulentes ambigebant," perspicuum est, eos de alia re, non de pensionibus, consuluisse.

Sed agebatur de tali reditu , qui efformandus esset ex quadam parte fructuum publicati patrimonii, ad sustinendas expensas: non de pensionibus res erat quae, lege ita iubente, efficiendae erant ex integris antiquis fructibus, expensis tantum deductis.

Demum advertit patronus , suorum clientum rationem agendi repellere penitus interpretationem quam actui vellent dare adversam; quia illi semper detrectarunt, pensiones in communem massam conferre et restiterunt etiam hortatis hodierni Episcopi, qui omnimode ***sub anno 1873*** ad hoc illos inducere satagebat.

Curia policastrensis, per suam sententiam, distinguit eà sacra, quae in templo S. Nicolai per pia christifidelium legata instituta sunt; ab iis sacris, quae in omnibus ecclesiis, quibus aliquis clerus addictus sit, confici consueverunt; ad quae in lauriensi templo instituenda nulla privatorum fidelium intervenire debuit voluntas, nulla donatio, nullum testamentum : illis sacris onerat eos tantum sacerdotes quibus a fisco pensiones sunt attributae: horum sacrorum iubet omnes sacerdotes, qui ei ecclesiae adscripti sunt, participare ; si sententia policastrensis servetur, prima quidem sacra, cessantibus pensionibus, cessabunt: altera tamen in perpetuum manebunt; si sententia rescindatur, paucos post

annos nulla omnino sacra in templo lauriensi conficientur, concludit advocatus.

IURA NON PENSIONATORUM. EX adverso Sacerdotes qui ***pensionibus*** non fruuntur advertunt, Episcopi ***decretum*** editum fuisse partibus inauditis, imo contra intentionem partium quae ipsum Episcopum , quasi ***arbitrum*** quaestionis, invocaverant.

Meritum causae quod attinet notant, regulam iuris citatami ab Episcopo favore contradictorum, nempe ***in pari causa melior est conditio possidentis,*** ad rem non facere, quia isti nunquam habuerunt pacificam possessionem, quam obtinuerunt non solum contra voluntatem iuris , sed etiam adversus expressam intentionem aliorum Sacerdotum confratrum. - Revera illorum rationem agendi improbavit ipse Episcopus litteris ***diei 13 Oct. 1875*** datis Sac. Iosepho Calcagno, qui saepius comparticipationem horum redituum' expostulaverat.

Revera pluries ita rescripsit S. C. C. ut plenissime videatur confirmasse priorem Episcopi opinionem et hodiernam appellantem intentionem.

Nam adverti debet pluries S. C. C. examinasse huiusmodi quaestionem , et sub pluribus speciebus, sed semper idem fuisse firmatum principium, nempe fìsci direptiones non ***iura,*** sed ***facta*** nempe furta constituere, minime idonea ad mutandam iuridicam rerum constitutionem. Quamobrem notabiliter possunt a Fisco extenuari reditus et pene ad internecionem redigi, sed eorumdem destinationem mutare Fiscus non valet. Inde enata est constans et clara S. C. C. iurisprudentia ; siquidem ad dictam regulam exactae fuerunt sententiae definitivae, veluti in Theanen. ***Adiudicationis redituum diei 8 Iun. 1880;*** in Parmen. ***Distributionum diei 26'Iunii 1886,*** nec non in Cuneen. ***Adiudicationis redituum diei 30 Maii 1892*** et in Aquipendien. ***Adiudicationis redituum diei24 Ian. 1894.*** Ut alteram referam resolutionem, in Theanen, haec facti species. Redactis 26 canonicatibus quibus coalescebat illud capitulum ad 12 et insuper subie-

ctis superstitibus bonis taxae ***30 %₀ pro quolibet centeno,*** quum postea proventuum huius taxae partialis facta fuerit restitutio, ea tamen ratione ut pauperiores praebendae augerentur exorta est quaestio inter octo canonicos pauperiores approbantes et ratam habentes redituum distributionem a Fisco factam et alios quatuor eamdem divisionem improbantes, quique subvertentem praebendarum legitimam rationem. Quaestio fuit proposita S. C. Congregationi hisce dubiis I. ***An restitutio illius sortis, quam gubernium iampridem detraxerat ob tributum 30%₀ cedere debeat in favorem omnium capitularium an potius octo tantummodo in casu.*** II. ***An fructus eiusdem sortis ab anno 1873 ad a. 1886 cumulati, quos gubernium nuper restituit, dividendi sint inter omnes, an potius octo tantummodo in casu ;*** et responsum prodiit : ***Ad I. Affirmative ad primam, partem; negative ad secundam; ad II. Affirmative ad I***[am]***. partem pro rata unicuique debita, negative ad 2***[am]***. -*** In Parmen. in consimili casu S. C. O. canonicis concessit servare novam redituum distributionem a Fisco inductam, at tantummodo « ***Pro gratia facto verbo cum SSmo*** ». In Cuneen, proposito dubio: « ***An et quomodo summa a Fisco assignata pro partiali redintegratione canonicatuum Chisolfi e delia Chiesa sit dividenda inter praebendam eorumdem canonicatuum et communem distributionum massam».*** S. C. C. reposuit: ***€ Affirmative pro rata damnorum, tum praebendae, tum massae et amplius ».***

Praeterea appellantes ut se abstergant a quacumque nota negligentiae in persolvendis sacris functionibus adducunt Archipresbyterum attestantem ***sub die 30 Novemb. 1897 :*** « che i Sacerdoti di questa Chiesa i quali non godono delle pensioni governative ***hanno sempre con edificazione assistito come assistono tuttavia alle funzioni di rito, come le Processioni del Corpus Domini, Ro g azioni*** ecc. ».

Et hac ratione etiam Sacerdotes ***non pensionati*** lucrantur perpaucos reditus massae communis, quae superfuerunt.

Quia vero ipsi non amplius persolvunt functiones pro-

prias ***cleri receptitii,*** quas exclusive obeunt Sacerdotes a Gubernio ***pensionati,*** advertunt inde in ipso sinu Ecclesiae receptitiae, turpem enatam fuisse divisionem, nempe in duos cleros, quam divisionem contrariam iuri communi, et constitutionibus huius Ecclesiae eo magis, aiunt, damnandam esse quia a Gubernio usurpatore originem habuit, quam proinde nullo pacto Episcopus ratam habere poterat.

Aiunt enim responsionem S. G. C. ab Episcopo invocatam, uti fundamentale ius in sua sententia editam fuisse pro Ecclesiis receptitiis innumeratis, quae veras praebendas habent, et hinc istam non respicere Ecclesias non innumeratas, quae nullas habent praebendas.

Demum confugiunt appellantes ad rationem sibi omnino peculiarem, scilicet ad transactionem initam ***die 19 Decembris 1872,*** cuius textum iam retulimus. Huius conventionis intentio , si appellantes audis, est supremae perspicuitatis, siquidem deductae fuerunt in pactum quaecumque obventiones a Fisco derivantes. Iamvero quum caveatur expresse, ***in posterum*** communes fore omnes ***proventus, non secus ac primitus erant reditus*** unde desumuntur , patet mentem fuisse transigentium , sarctam tectam conservare indolem Ecclesiae, quae bona omnia habebat communia, cuius ***reditus*** singuli adscripti in clerum, aequis partibus, participabant, aiunt appellantes.

Quoad iurisprudentiam S. C. C. a nobis adductam, ut probabili argumento explicaremus intentionem appellandum, advertere praestat relatas decisiones se referre ad capitula et collegiatas Ecclesias quae certas habent praebendas legitime institutas, quarum titulus perseverat et ius, deperditis vel diremptis reditibus earum dotem constituentibus. - Quamobrem clerici titulares praebendarum , etsi deficiant omnes reditus a Fisco surrepti, nihilominus integrum servant ius ad eosdem percipiendos] eadem mensura et quantitate qua antea fruebantur.

Ex adverso ad Ecclesias ***receptitias*** potissimum non ***numeratas,*** in regionibus veteris regni Neapolitani constitutas

spectat Breve « ***Impenso,*** » Pii VII iubens ***reduci vel determinari participantium numerum ne aliter singulae portiones illusoriae fierent.*** - Siquidem in istis Ecclesiis non habentur totidem beneficia seu praebendae quot sunt participantes, sed habetur ***massa communis,*** in Ecclesiis receptitiis NUMERATIS constituenda clericis ad certum numerum adscribendis, in Ecclesiis vero ***innumeratis*** distribuenda clericis in incertum numerum adscribendis, prouti fert quantitas redituum-Ecclesiis recepti tiis non numeratis accensetur Ecclesia de qua in themate.

Et Brevis ***-Impenso-*** rationem habuit S. C. C. in causa Andrien. ***die 19 Septembris 1885*** pro loco ***- Minervino Mur g e -.*** Agebatur de sex sacerdotibus qui expetebant participationem pensionum quas Canonici a Fisco recipiebant; et proposito dubio « ***An sit confirmanda*** vel ***infirmanda sententia Curiae Episcopalis in casu*** > rescriptum fuit ***« standum decreto Episcopi diei 22 Decembris 1883 et ad mentem. Mens est, ut fiant nova statuta*** ad rationem ***Brevis*** IMPENSA ***et iuxta votum Episcopi; ita tamen ut duae tertiae redituum partes in novorum beneficiatorum massam particularem cedere incipiant a die quo singuli canonicatus ac singulae participationes erunt primo vacaturae ».***

Demum adverti debet in rescripto ***diei 22 Febr. 1876*** citato ab Episcopo in suo decreto in responsione desiderari aliqua verba ad S. O. C. exprimendam mentem; quippe responsio ita se habet « ***Generaliter loquendo negative, sed inspiciendos casus particulares ».***

Quibus hinc inde animadversis, propositum fuit, diluendum

Dubium

« An decretum curiae Episcopalis Policastrensis sit confirmandum vel infirmandum in casu ».

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 29 Aprilis 1899 censuit respondere : ***Decretum esse confirmandum.***

PARISIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 18 Martii 1899.

Sess. 24. cap. 5. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. In parochiali ecclesia sub titulo Sancti Aloysii d'Antin, dioecesis parisiensis, Ioanna, 27 annos tunc nata, ***die 14 Martii 1896*** matrimonium rite iniit cum quodam Eugenio, causidico, 38 annos agente.

Postridie nuptiarum sponsi rei coniugali operam dare conati sunt, sed matrimonium haud consummasse videntur, et licet tentamina pluries itérassent, haec semper in irritum cessisse coniuges asserunt. Verum in assignanda causa, cur sponsi non coiverint, ipsi inter se non concordant; quandoquidem mulier hoc impotentiae viri, siphilitico morbo laborantis, adscribit, dum vir adversam suae uxoris voluntatem incusat, quae ad prolem evitandam coniugale debitum semper recusavit.

Cum exinde dissensiones inter ipsos exortae fuerint, vir coniugalem domum deseruit, non amplius reversurus, et apud laicum tribunal in ius rapuit Ioannam, petens sententiam divortii, quod revera dumtaxat in mulieris favorem fuit concessum.

Interea mulier sperans se libertatem etiam coram Ecclesia consequuturam, ex consilio Curiae Parisiensis, ad SS. Principem supplicem misit libellum postulans, ut suum matrimonii vinculum dissolveretur, ex eo quod ratum tantum et non consummatum manserit. Emus Archiepiscopus Parisiensis, cui a S. Congregatione preces remissae fuere, per iudicem delegatum ad iuris tramites conficere curavit processum ac Romam acta transmittens, haec S. C. C. significanda esse duxit : « Ex his patet non consummatum fuisse matrimonium . . . . Vir nobis speciali modo a Revmo Archipresbytero Ecclesiae Metropolitanae commendatus est. Illum credimus impotentem. Uxor quamvis a testibus mariti

sit accusata, nobis satis gravis ac religiosa visa est, ut eius voluntati non consummationem matrimonii non tribuamus ».

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Actricis patronus, qui matrimonii inconsummationem ostendere satagit, adnotat in themate omnia ea argumenta et adminicula concurrere, quae iuxta communem canonistarum doctrinam et receptam iurisprudentiam, in huiusmodi causis ad moralem certitudinem de non secuta consummatione gignendam requiritur. Et primo hoc probat ex iurata coniugum depositione. Sane mulier deposuit: « Dès la première nuit Monsieur P. essaya de devenir mon mari, ce fut en vain; il recommença les jours suivants et assez souvent pendant les vingt-et-un jours, où nous avons fait ménage commun et partagé le même lit; ce fut toujours sans le moindre résultat____Oui, j'affirme formellement qu'il n'y a pas eu consommation. J'accepte d'en faire la preuve en me soumettant à une expertise médicale ».

Idipsum affirmat vir, qui ait: « Je jure devant Dieu que le mariage n'a pas été consommé ». Sciscitanti autem iudici huius inconsummationis causam, subdit: « Madame acceptait très bien les caresses et les embrassements, mais des qu'il s'agissait de l'acte conjugal proprement dit, elle se dérobait brusquement, et me renversait ».

Quod si vero coniuges in assignanda non secutae consummationis causa discordes fuerint, cum alter alterum criminetur, hoc, iuxta oratorem, ipsi substantiae quaestionis non officit. Quandoquidem, ait, satis intelligitur cur illae ex ore viri prodierint circa inconsummationis causam assertiones, eo nempe fine ut defectum potentiae vir obtegeret, ludibria vitaret, et proprio prospiceret honori. Quinimo, advertit patronus, coniugum discrepantiam in assignanda inconsummationis causa rei nostrae non parum prodesse ad excludendam collusionem, dum pari consensione instant pro dispensatione obtinenda.

Idipsum orator probat ex iurato septimae manus testimonio; omnes enim testes, tum ex officio, tum ab utraque parte producti, gravitate praestantes et aliqui sacerdotali decore insignes unanimiter deponunt non solum circa religionem ac veracitatem coniugum, sed et propriam persuasionem demonstrant, quod matrimonium numquam fuerit consummatum.

Sane oratricis mater firmiter tenet matrimonium non fuisse consummatum ex virilium inertia, quam veteri morbo siphilitico adscribendum esse arbitratur. Domina Juliot testatur, duos post menses a celebratis nuptiis actricem sibi plerisque continuo declarasse inconsummatum mansisse matrimonium propter viri impotentiam, addens: « Je suis convaincue de la sincérité et de l'honorabilité de Madame Jeanne ».

Et, aliis omissis, idipsum affirmat parochus Hurteaux, qui ait: « Oui, personellement je suis convaincu de la non consommation, parce que ces dames (actrix eiusque mater) me l'ont affirmé à un moment non suspect... Il me semble que s'il y a une responsabilité, elle revient bien au mari, - quia viri amicus - m'a dit que parmi les amis de Mr. P., un certain nombre le regardaient comme impuissant. Il avait fait la vie, avait couru beaucoup, et maintenant ne pouvait plus,... du reste il était intéressé à garder la réserve afin de ne pas s'avouer impuissant ».

Septimae manui mulieris testes a viro inductos plene consonare animadvertit orator/ Sane Anna Braun, ancilla Domini P., a iudice interrogata, an ipsa aliquid sciat circa huius matrimonii non consummationem, fatetur: « Oui, c'est à ma conviction que le mariage n'a pas été consommé. Madame P. n'aime pas son mari, et c'est à elle que s'attribue la responsabilité de la non consommation. La première nuit elle a voulu, puisque son mari s'est approché trois fois; mais après elle ne l'a plus voulu ». Idipsum testatus est Dominicus Georgius Rocher: « Pour moi, d'après toutes les confidences que j'ai reçues, j'ai la conviction que le mariage

n'a pas été consommé ». Nec aliter testatur Dominus Arfridus Bonneau, viri amicus, qui matrimonium non esse consummatum cognovit ex ore ipsius P.

Verum, prosequitur, haud opus est in testium depositione insistere, cum praesto sit evidens physicum argumentum ex duorum medicorum inspectione in corpore Ioannae, iuxta S. C. C. instructionem adamussim expleta. Sane Doctor A. Ferrand iuratus deponit: « L'examen des organes génitaux donne les résultats suivants: Les grandes lèvres écartées laissent voir l'orifice vaginal de dimensions restreintes obturé par une membrane hymène intacte à orifice central, et à bords un peu épaissis, mais sans aucune trace de rupture ». Unde concludit: « Que certainement l'acte du mariage n'a pas été consommé ».

Huic depositioni consonat alter iudicialis cognitor Boucquoy, qui, praevio muljebrium examine, sub fide iuramenti affirmat: « L'absence de toute trace de déchirure de la membrane hymène, ou de cicatrices; les conditions d'étroitesse et de résistance des parois vaginales m'ont semblé en rapport avec ce qui m'avait été dit par cette jeune femme des relations qu'elle avait eue avec son mari; d'où je conclus qu'il n'y a pas eu entre les deux époux des rapports conjugaux régulièrement établis, et qu'il y a tout lieu de croire que le mariage n'a pas été consommé ».

Dispensandi autem causas quod attinet, primam atque gravissimam esse, ait defensor, probabilem viri impotentiam ad coeundum, cum non deficerent gravia huius impotentiae indicia. Sane, ait mulier : « Il était incapable d'avoir presque aucune érection. Il me demandait de l'exciter par des caresses intimes, et lorsqu'il s'approchait de moi, l'érection cessait immédiatement, l'éjaculation était instantanée et précédait l'intromission ». Verum grave dubium viri impotentiae constituere urgentissimam causam ad dispensandum, advertit Card. De Luca/cfo ***matrim, par. 2, dis. 1, n. S).***

Alteram rationem adducit patronus ex mutuo coniugum assensu in dispensatione petenda, quo in casu , canonistae

communiter docent leviorem quamlibet rationem, dummodo non incongruam, admitti: Cosci *de* ***separ.thor. lib A, cap. 16, n. 29.*** Iamvero etiam vir dispensationem efflagitat, aiens: « Je demande pour mon compte la dispense du mariage ».

Tandem tertiam causam deducit ex animorum aversione, nullaque spe pacis conciliandae, quod ad dispensandum gravissimum profecto censetur. Revera Ioanna a iudice interrogata utrum consensura esset ad maritale contubernium redintegrandum, respondit: « Maintenant il est impossible de reprendre la vie commune; le divorce est prononcé et la situation, d'ailleurs, reste la même ». Idipsum affirmat vir, qui fatetur: « La réconciliation est désormais et plus que jamais impossible».

His omnibus accedit periculum incontinentiae, in quo misera versatur actrix adhuc iuvenis et iugalis vitae cupida. Quod magis magisque augetur, si attendatur grave discrimen in quo post civile divortium iam pronuntiatum constituta sit.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS SACRI VINCULI. EX adverso vinculi Defensor ex officio, praemissa factorum narratione, in primis asserit inter contendentes aliquod pactum intercessisse, ex quo facile suspicari licet, coniuges inter se collusisse et fraudes contra sacramenti sanctitatem molitos esse. Conqueritur tamen huius pacti exemplar non inveñisse in actis; sed ad rem affert depositionem ipsius Pauli matris, quae percontata a iudice: « Y a-t-il eu divorce civil? A quelle date a-t-il été prononcé, en faveur de qui, pour quels motifs? » respondet: « Oui, il y a été prononcé vers la fin de 1896, en faveur de la femme. Celle-ci n'avait consenti à déposer sa demande qu'à la condition 1. que le divorce serait prononcé aux torts du mari; ***2.*** qu'il payerait le frais; 3. qu'il payerait les frais de Tannullation du mariage religieux; 4. qu'il consignerait, à cet effet, une somme de cinquante mille francs (50000) qui fut en réalité déposée chez Monsieur Hyver, notaire à Paris ».

Insuper, ad meritum quaestionis descendens, in primis

notat non suffragari testimonium coniugum factum inconsummationis attestantium; quandoquidem isti in suis depositionibus concordes non fuerint, ita ut dicendum sit vel utrumque, vel alterutrum periurasse.

Reque vera Paulus iurat: « Les tentatives ont été fréquentes et en particulier elles ont été la première nuit répétées trois fois. Madame acceptait très bien les caresses et les embrassements, mais dès qu'il s'agissait de l'acte conjugal proprement dit, elle se dérobait brusquement et me renversait. J'attribuais cela à un effet nerveux da sa part, comme elle l'avouait d'ailleurs elle-même ». Et subdit: « Je suis absolument sûr qu'elle ne voulait pas avoir d'enfants, elle me l'a dit d'ailleurs formellement, et je suis convaincu que c'est pour éviter d'en avoir qu'elle refusait systématiquement d'accomplir l'acte du mariage ».

Versa vice Ioanna iuramento pariter obstricta, affirmat: « Nous sommes restés ensemble Mr. P. et moi vingt-et-un jours. Nous avons fait pendant ce temps chambre et lit communs. Dès le premier jour mon mari a fait des tentatives pour remplir le devoir conjugal. Je m'y suis prêtée sans aucune difficulté; mais le résultat a ***été*** toujours négatif; mon mari n'est arrivé à rien. Mon mari n'a jamais' pu réussir dans les tentatives de rapprochement pour consommer le mariage. Il était incapable d'avoir presque aucune érection... Mon mari s'attribuait à lui-même la faute, comme il me l'a dit. Je lui ai en effet demandé si cela dépendait de moi: Non, m'a-t-il répondu, ce n'est pas ta faute, mais la mienne ». Ex quibus arguit orator, testes qui repugnantia loquuntur, dubio procul a veritate deflectunt.

Neque, iuxta defensorem vinculi, multi faciendum testimonium septimae manus, quandoquidem considerandum est illosmet testes qui ad sidera tollunt honestatem et religionem unius coniugum, inter fabulas amandare quae alter coniux iureiurando affirmat.

Re vera Ioanna, quoad obsequia coniugalia, ut vidimus, iurat: «Je m'y suis prêtée sans aucune difficulté... Il était

incapable d'avoir presqu'aucune érection » et ut in virum detorqueat culpam dissociationis vitae coniugalis, iurat: « A son retour de Ardennes, après les vacances de Pâques, au lieu de revenir au domicile conjugal mon mari est rentré dans son appartement de garçon; il était revenu depuis quelques jours quand j'ai appris son retour».

Iam vero Alfridus Bonneau, testis ex officio vocatus, affirmat: « J'ai la certitude que Monsieur P. a fait tout ce qu'il a pu pour consommer le mariage, et qu'il est capable d'accomplir les devoirs d'époux. C'est sa femme qui n'a pas voulu s'y prêter. Elle avait déclaré à son mari qu'elle ne voulait pas avoir des enfants. Jamais Monsieur P. n'a eu la réputation d'être impuissant; avant son mariage il avait une liaison qui a duré cinq ou six ans ». Et quoad dissociationem vitae coniugalis, ait: « La séparation de fait est venue à la suite du refus qu'opposa la jeune femme à suivre son mari à Charleville. A son retour il avait prévenu sa femme. Il ne la trouva pas à la gare. Il m'appela auprès de lui, rue Notre Dame des Victoires, à son étude ».

Pariformiter iurisconsultus Rocher, testis ex officio, iureiurando affirmat : « Je connais Mr. P. depuis longtemps, et jamais il n'a pas passé comme impuissant. Du reste je lui ai connu des relations qui attestent suffisamment qu'il n'est pas impuissant ».

Idipsum affirmant alii testes a viro producti, qui in eo laborant, ut demonstrent viri potentiam ad coeundum et Ioannam matrimonii usui obstitisse ad prolem evitandam.

Versa vice testes a Ioanna inducti contrarium affirmant; atque culpam inconsummationis et dissidii in virum referunt. Quare, notat vinculi defensor, quemadmodum coniuges quae sibi utilia sunt ad iudicem deferunt, refragrante veritate, sic testes, de veritate nihil solliciti, ea quae coniugi placent, a quo quisque inductus est, iudici renuntiant.

Pariter parvi faciendum esse putat defensor argumentum physicum. Praeprimis enim, notat, ne ipsi quidem medici, qui corpus Ioannae recognoverunt, certos se exhibent de

physica Ioannae virginitate. Porro medicus cognitor Buequoy contentus est hac conclusione: « Je conclus qu'il n'y a pas eu entre les deux époux des rapports conjugaux régulièrement établis et qu'il y a tout lieu de croire que le mariage n'a pas été consommé ».

Deinde, prosequitur, medici cognitores, dum testantur de integritate hymenis , rem a veritate alienam affirmant. Quandoquidem Ioanna suo ipsamet ore nitide iureiurando affirmat: « Je dois ajouter que Monsieur P. a introduit en moi le doigt cinq ou six fois. La première fois surtout j'ai ressenti une certaine douleur et j'ai constaté que cette introduction d'un doigt avait amené un peu de sang. ».

Huc accedit quod medici cognitores, contenti asserta integritate hymenis, ob oculos minime habuerint reliquas muliebris corporis partes, quae perscrutandae omnino sunt.

Insuper, pergit orator, neque ex integritate hymenis nihil certi potest affirmari de physica mulieris virginitate. Nam Zacchias ***lib. 4, tit. 2, q. 1, num. 28 seqq.,*** docet: « De integritate hymenis, etiam corrupta existente muliere, patet per ea, quae alias de imperforatis dixi : nam potest virgo deflorari, imo etiam concipere absque eo quod hynien disrumpatur, ut concludunt nonnulli praedictorum auctorum ».

Et inter recentiores, doctor Mahon in opere « ***Medicina legale e Polizia medica », Milano, anno 1804, tom. /, pag. 102.*** Clarius etiam Petrus Budin « ***Ostetricia e Ginecologia*** », ***Parigi 1886.***

Neque, iuxta vinculi defensorem, adest iusta causa ad valide dispensandum. Etenim actricis mater testatur: « Il n'y a eu aucune scène. Il (Ludovicus) est rentré dans son étude, je ne sais pour quel motif. . . . Ils vivaient auparavant en parfaite intelligence, et avaient l'aire très heureux ».

Quod si obiieiatur divortium, quod coniuges inter se colludentes petierunt a laico tribunali et obtinuerunt, orator opponit verba Innocentii III. in ***cap. 14 de usuris*** (ibi): « Frustra legis auxilium invocat qui in legem committit ».

Quibus animadversis, enodandum propositum fuit

Dubium

An consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, re disceptata sub die 18 Martii 1899, censuit respondere: ***Affirmative.***

VALLISOLETANA

DISTRIBUTIONUM

Die 29 Aprilis 1899.

Sess. 24, cap. 12, De reform.

COMPENDIUM PACTI. - In Ecclesia Cathedrali Vallisoletana Canonicus Magistralis, qui nempe ex suo munere Sacram Scripturam interpretatur, ad tramites iuris communis, die quo habet in sua Ecclesia sacram concionem gaudet ***ficta*** praesentia in choro, nimirum quamvis choro non intersit. Ita enim cautum est expresse in statutis Capitularibus. - In eadem vero Ecclesia aliquibus ante annis consuetudo inolevit, sed in actis non innuitur istius initium, qua extensio facta est indulti et tum quoad'tempus et tum quoad ***personas.*** - Revera inductus fuit mos ut in Ecclesia Cathedrali sermonem ***inter sacrum*** habeant in diebus dominicis et festis et in feria sexta toto quadragesimali tempore vel unus e canonicis vel unus e benefìciatis per certum ordinem. - Isti vero, quasi in mercedem laboris, fruuntur ***gratia sermonis*** quam vocant, seu indulto a praesentia in choro, per totam hebdomadam, una tantum hora canonica excepta, ante concionem in die festo habendam. - Quamobrem ipse canonicus Magistralis hoc indulto utitur moribus inducto et longe ampliori eo quod per statuta ei concederetur.

Sed ex canonicis plures dubitantes an probanda esset huiusmodi consuetudo recursum habuerunt ad S. Sedem ut dubium solveretur. - Interim oratores non expresse repro-

bant hunc morem, sed dolent exinde nonnullos abusus irrepsisse : libellus supplex ita se habet :

« Decanus et Capitulum cathedrale sanctae ecclesiae metropolitanae Vallisoleti in Hispania, ea, quae par est, animi demissione ad S. V. pedes provoluti exponunt:

« Nonnullis abhinc annis alma in hac ecclesia concionem inter sacrum fieri consuevit cunctis dominicis et festis diebus, necnon feria sexta, toto quadragesimali tempore. Pro huiusmodi muneris adimpletione, canonicus magistralis duodecim pro populo sacras facit conciones, quatuor canonicus theologus, alius canonicus sex, et duo beneficiati alias sex. Qui a praedictis, ex officio, non praedicantur sermones, ab aliis tum canonicis et beneficialis, cum civitatis clericis zelo, nimis laudabili, praedicantur. Iuxta statuta huius sanctae ecclesiae canonicus magistralis suae tantum concionis die praesentia gaudet in choro ; et nihilhominus, canonicus magistralis et alii, tum canonici cum beneficiati lege residentiae obstricti, tota hebdomada, una tantum hora canonica excepta, ante concionem, sive concio ex officio, sive amore Dei facienda sit, choro haud intersunt, absque distributionum iactura.

« Verum cum plures ex capitulo absentiam a choro, sola praedicationis causa, nulla arbitrentur sanctione sive dispositione canonica fulciri, et tali licentia non iam divina res, sed etiam plurima ecclesiae opera ex. gr. quae capituli a secretis computatoribus, scripturae et caeremoniarum magistris proprio suscipienda sunt officio non raro neglecta appareant, suae paci prospicientes conscientiae, supplices orant ut S. V. dignetur declarare :

« 1. An canonici et beneficiati, lege devincti residentiae, valeant a choro abesse ultra tres menses conciliares et sine distributionum praeiudicio, sola praedicationis causa, per totam ante concionem hebdomadam, una tantum dempta hora canonica; et quatenus affirmative:

« 2. Utrum canonicus magistralis et alii tum canonici tum beneficiati, qui ex speciali ad concionandum deputan-

tur munere, queant, uti dicunt, gratiam invocare sermonis, id est, abesse a choro per totam ante concionis diem hebdomadam, una tantum quotidiana excepta hora canonica ».

Disceptatio Synoptica.

QUAE CONSUETUDINI FAVENT. - « Eminentissimus Ordinarius ait, attente lecta expositione decani et nonnullorum canonicorum nostrae ecclesiae metropolitanae eaque diutius meditata, isti Sacrae Congr. Concilii respondendum censeo, satius esse et praestantius antiquam consuetudinem non immutare immo potius reverenter peto, si necessarium sit, indultum seu gratiam ipsam qua utuntur canonici et beneficiati in matrice praedicantes.

« Quod ut asseram, sequentibus rationibus iuris et aequitatis innitor.

« Sacrum Conc. Tridentin. ***(Sess. XXIV, cap. 4.)*** ait: - Praedicationis munus quod est Episcoporum praecipuum... Sancta Synodus mandat, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos... omnibus dominicis et solemnioribus diebus festis. - Unde infertur: 1. In Ecclesiis Cathedralibus, id enim significant verba in Ecclesia sua, in primis servandam esse praedicationis legem omnibus diebus festis et ieiuniorum ibi enumeratis. 2. Episcopo maxime commendari hanc praedicationem in Cathedrali omnibus festis. 3. Ecclesias Cathedrales, ubi praefatis diebus non praedicatur, imitandas non esse ab Ecclesia Vallisoleti, in qua conciones habentur ad normam Tridentini. 4. Non licere Praelato cooperari ut haec praxis antiqua extinguatur in sua Ecclesia Cathedrali. Et re quidem vera, extingueretur in hac alma Ecclesia Vallisoleti consuetudo antiqua concionandi omnibus diebus festis, si canonicis et beneficiatis adimeretur gratia absendi a choro aliquibus horis per hebdomadam totam praecedentem concioni suae. Et cum maximo scandalo populi, qui a pueritia vidit et audivit talem in Ecclesia hac praxim, coniungeretur plurium concionum suppressio. Etenim haec gratia seu indultum Cleri

cathedralis propter sermonem ad populum, consistit in privilegio seu dispensatione, vi cuius dispensantur a praesentia in choro ipso die quo praedicant et per septem dies praecedentes, sed cum onere interessendi et adstandi saltem per aliquam integram horam canonicam quotidie in huiusmodi diebus. Haeccine gratia persaepe necessaria est, semper autem utilis, ut oratores convenienter orationes suas disponere valeant, et insuper est honestus stimulus, ut sacerdotes choro adscripti non deserant fidelibus praedicare sanctum Evangelium.

« Ad Magistralem Canonicum, cui ex officio competit praedicare, docent theologi commendatissimi eum posse tuta conscientia tali gratia frui, ubi vigeat consuetudo, et nulla est ratio cur ipsamet concessio non extendatur ad alios Canonicos et Beneficiatus praedicantes in matrice Ecclesia, quippe qui hi omnes, ut plurimum, minorem habent facilitatem, et expediti minus sunt ad concionandum coram populo magnis festivitatibus.

« Exempli gratia liceat verba referre PP. Salmaticensium, Doctorum probatissimorum in re morali, ipsi impartiales de oneribus Cathedralium disserentes, utpote regulares. ***Curs. de Theol. Mor. tom. IV, tract. XIV, de Statu Relig. cap. IV, n. 33*** legitur: - Inquires tertio: An Canonicus Magistralis, dum in propria Ecclesia concionatur ut praesens ad lucrandas'distributiones? Respondetur affirmative, quia exequitur ministerium suae Praebendae, quod cedit in Ecclesiae utilitatem. Insuper ex concessione Gregor. XIII et declaratione Cardinalium, non solum in hora in qua concionatur, sed omnibus Horis illius diei, etiamsi absens sit, reputatur ut Choro praesens, eo quod exercet actionem valde laboriosam, et quae specialiter praeparationem requirit, quia tamen in aliquibus Ecclesiis viget consuetudo, ut Canonicus Magistralis non solum die, quo concionatur reputetur praesens, sed per octo dies antecedentes concioni, quia valde necessarii iudicantur, ut debite praeparentur, et absque nimia defatigatione huic muneri, prout

decet, satisfaciat ; videndum erit quid illa consuetudo in usu habeat ? Si enim extenditur, ut non solum pro lucrandis fructibus, sed pro distributionibus illis diebus praesens habeatur, hos et illos licite non assistens lucrari poterit, si solum pro fructibus praesens iudicetur, illos dumtaxat, non distributiones lucrabitur, in hoc standum est consuetudini... -

« In nostra autem Ecclesia consuetudo vetus est, ut per octo dies et fructus et distributiones lucrentur Magistralis et ceteri Canonici ac Beneficiati praedicantes, absque remuneratione aliqua in Cathedrali, quamvis ad unam tantum horam quotidie praesentes sint choro eo intervallo.

« Ad -obiectionem quod neglectus appareat tali gratia cultus divinus chori et altaris, facile respondetur. Etenim in hac alma Ecclesia quatuor et quadraginta inter Dignitates, Canonicos et Beneficiatos numerantur ; praeterea cantores quatuor et Capellani altari inservientes duo vel tres. Ex tanto numero haud difficulter, sine cultus notabili detrimento, subtrahitur unus aut alter, qui operam det quiete ad laborem concionandi, utique pro maiore cultus splendore diebus festis et pro populi aedificatione. Absque dubio cultus splendor minueretur ex suppressione concionum, quae quidem certa est et inevitabilis, si concionatoribus non datur requies ad praeparationem per gratiam absendi a choro diebus hic consuetis.

« Quod attinet ad opera seu munera Canonicorum et Beneficiatorum, qui exercent officia Secretarii, Computatorum, Punctatoris vel Magistri Caeremoniarum, speciosus magis quam solidus est scrupulus. Namque non desunt qui competenter suppleant, vicesque gerant; sunt enim duo magistri Caeremoniarum, duo punctatores, duo computatores redituum et aerarii, et in muneribus ad quae duo Clerici non sunt destinati, nec onera adeo continua sunt, nec difficulter in casu adiuvantur a sociis. Uno verbo quae de Magistrali Canonico dicta sunt, non secus de ceteris etiam dicenda erunt; parque cunctis indulgentia habenda, consue-

tudoque iam pridem introducta, prosequenda est, saltem meo sensu, recta utique conscientia ».

QUAE CONSUETUDINI ADVERSANTUR. At ex adverso plures et non exigui ponderis rationes contra huiusmodi **Votum** petitionemque militare videntur.

Et in primis notandum est, Emum Praesulem suarum rationum aciem dirigere ad demonstrandam omnimodam convenientiam, utilitatem imo et necessitatem usus, qui in sua metropolitana Ecclesia irrepsit, eumque consuetudinis nomine saepe cohonestare, sed inolitam consuetudinem nullis argumentis probare.

Ceterum cum de re agatur tam gravi tamque aliena a iure communi, consuetudinis initium, progressum, exitum Ordinarius debuisset docere.

Sane ius commune quod attinet Cap. unicum ***de Cler. non resid. in 6°,*** quod incipit ***Consuetudinem*** omnino reprobat et districte prohibet consuetudinem tribuendi canonicis et aliis beneficiatis, officiis in ipsis Ecclesiis non interessentibus, distributiones; imo declarat eos, qui aliter distributiones receperint, earum dominium non acquirere, nec eas facere suas, sed teneri ad restitutionem.

Haec habet in cit. cap. Bonifacius VIII « consuetudinem quae inolevit, qua Canonici... seu Clerici Cathedralium distributiones quotidianas (quae alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur et tantum residentibus tribuuntur) qualitercumque in civitatibus seu aliis locis ... sint praesentes licet divinis officiis non intersint, ex integro percipiunt, ac si continue ipsis Ecclesiis in iisdem officiis deservirent, penitus improbantes: statuimus ut distributiones ipsae quotidianae in quibuscumque rebus consistant, Canonicis... Ecclesiarum ipsarum qui eisdem officiis in ipsis Ecclesiae adfuerint tribuantur... Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem quae con-

tra huiusmodi nostram receperit, teneatur ». Item Conc. Trid. ***(Sess. 24 cap. XII)*** improbat quamcumque huius generis consuetudinem, eamdem prohibitionem renovans et quamvis collusionem et remissionem excludens.

Deinde assertae ***consuetudinis*** probationes non ***indulti*** petitio, prorsus destitui iuridico fundamento videntur. Revera quoad ***Ecclesiae utilitatem,*** quam invocat Archiepiscopus, si inspiciatur intentio iuris communis, patet eam Ecclesiae utilitatem haberi ut causam iuridicam dispensationis a choro, quae proveniat ab oneribus adnexis vel praebendae personae, de qua agitur, vel Capitulo, quod per aliquam personam sua iura exerceat. Et sic explicatur quomodo ex Pontificio iure tamquam choro praesentes habeantur Cañcus Theologus tota die, qua legit : ***(Bened. XIV Instit. Eccl. 107 % IX - in causa Mediolanen, anno 1589. et in causa Limensi die 18 Iunii 1622)*** et Canonicus Poenitentiarius dum audit Confessiones ***(Conc. Trid. sess. 24 de Reformat, cap. 8)*** necnon Canonicus Parochus Ecclesiae Cathedralis dum Parochialia munia actu exercet. ***(Conc. Trid. sess. 22. cap. 3 de Reform, et Inst. Eccl. Benedicti XIV I. c. in causa Mediolanen. 13 Februarii 1639).***

Praeterea ex certa iurisprudentia eruitur esse iuridicam causam, utilitatem Ecclesiae, quando haec resolvitur in utilitatem Capituli sive haec spectet ad eius personas sive bona et ad iura. Hinc lucratur distributiones Canonicus absens pro negotiis Capituli ***(Benedict. XIV* Inst. Eccl. I. c. in causa Panormitana anno 1588, et in causa Segub. anno 1589). -*** E contra constat non haberi ut causam iuridicam utilitatem Ecclesiae, in qua residet Beneficium, quando huiusmodi utilitas vergit in favorem Episcopi, Dioecesis, cultus et animarum absque ulla relatione ad praebendam seu massam capitularem, ad universitatem Canonicorum et ad negotia Capituli. Hinc est quod distributiones lucrari nequeunt Canonici assistentes Episcopo celebranti Missam ***privatam*** seu non Pontificalem vel alias functiones peragenti non Pontificales, vel eumdem comitante s in Visi-

tatione Dioecesis ***(Bened. XIVInst. Eccl. I. c. in causa Colonien, anno 1587, in causa Sor. 22 Aprilis 1679 et in causa Sulmonen. die 5 Decemb. 1626),*** item Vicarius Generalis Episcopi ***(ibidem § X, in causa Bitleti 17 Dec. 1627, et in causa Catan, die 9 Maii 1671),*** item Canonici examinatores Synodales, item Canonici voluntarie Missam celebrantes vel Confessiones audientes, dum Horae Canonicae recitantur, ut videre est in causis ibideia relatis.

Multo minus habenda est ut causa iuridica utilitas, quae allegatur in casu, scilicet utilitas proveniens ex praedicatione verbi Dei in Ecclesia Episcopali seu in Cathedrali. Haec utilitas realis et evidens est, sed Canonici ad eam procurandam minime tenentur nec .possunt hac de causa licite abesse a choro, cum adsit Episcopus, cui hoc munus a divino humanoque iure est impositum.

Praeterea hoc advertantur. - Sacra Congr. respondit, Theologum legentem posse ex gratia pro integra die qua legit distributiones lucrari - in Hispalen. - ***die 15 Iulii 1645*** lib. 17. ***Decretorum pag. 496 ;*** non autem die praecedenti in Avinionen. ***Octobris 1686 ad XV Dub. lib. 4 Decr. pag. 187;*** item in Anagnina ***die 16 Decemb. 1645, lib. 17 Decret, pag. 533.*** Neque Canonicus Theologus censetur praesens ad effectum lucrandi distributiones quotidianas matutino, quod recitatur-sero praecedenti pro die subsequenti ex consuetudine Ecclesiae; ***in Dubio ad Cap. 1, Sess. 5 De ref. Posit 89.*** Revera proposito dubio: An Theologus qui pro praesente habetur diebus, quibus legit, censendus etiam sit praesens matutinis, quae ex antiqua Ecclesiae consuetudine dicuntur sero praecedente pro die insequenti : S. Congr. respondit : « ***Non censeri in Hispaniarum mense Decembris 1587, lib. 5 Decret, pag. 71.*** Gaudet vere distributionibus quae dantur pro Anniversariis si incidant diebus quibus legit, in Avenionen. ***Octobris 1586 - ad XVII Dub. - Lib. 4 Decretorum, pag. 188.*** — Et Pignatelli ***Tom. 3, Cons..62, n. 38, a S. Congr. EE. et BR.*** decisum refert, quod si Theologus legat de mane, habetur

pro interessente in choro quoad officium quod dicitur ante meridiem, si de sero pro officio vespertino; sed in continenti subiungit, ***vel ad summum pro tota die qua ex officio legit, sicut et pro tota die qua ex obligatione communem habet j - in Perusina - Theologalis die 30 Iulii 1859 § contra -.***

Edictum fuit, quod si plures Lectores, ab Episcopo eligantur, unus tantum gaudere potest huiusmodi privilegio, ***in Sedunen. Praebendae Theologalis die 24 Ian. 1801. -*** Etenim Episcopus Sedunensis erexit Sacrae Theologiae cathedram et sufficienter per alios tres Canonicos, parvo contentos stipendio, supplebatur Canonici Theologi defectus. Qua de re postulavit Episcopus ut ex Canonicis Lectoribus saltem uni secundum discretionem Episcopi concedi possit privilegium circa praesentiam in choro quod alias de iure convenit Canonico Theologo quando docet; vel potius iuxta votum Capituli - ut singulis tribus Lectoribus vel Professoribus sacrae Theologiae privilegium unius saltem mensis in anno propter lectionem circa praesentiam in choro concedatur, - proposito autem dubio I: « ***An et quomodo Lectori vel Lectoribus Theologiae sit concedendum privilegium abessendi a choro et percipiendi fructus Praebendae in casu »***. S. Congr. respondit: « ***Ad primum Affirmative pro uno lectore, ab Episcopo eligendo, qui vacet a choro iis diebus quibus legit, perceptis etiam distributionibus quotidianis; — in Sedunen. Praebendae Theologalis die 24 Ian. 1801. - Haec*** refert Pallottini ***V. Canonicus Theologus Tom. 4. n. 445 seq.***

Denique S. C. C. nuper negativo responso dimisit ***die 21 Decemb. 1862*** quaestionem nostrae omnino similem qua petebatur legitimam declarari huiusmodi consuetudinem abessendi a choro ratione praedicationis; sin minus implorabatur ***indultum absentiae.***

Namque in hac causa Canonici referebant ex antiqua consuetudine Capitulares absentes a choro, causa praedicationis, lucrari distributiones, et quatenus talis consuetudo

reprobantur, petebant ut distributiones lucrari possent illi saltem Capitulares, qui intra paroeciae fines ministerium praedicationis exercerent. Archiepiscopus vero dempta limitatione petebat ut Capitulares, in quacumque Dioecesis Ecclesia praedicantes, possent distributiones lucrari, et inter cetera, sub n. VI proposito dubio - « ***An et quomodo tuerentur distributiones Canonici absentes a choro, ministerio praedicationis vacantes in casu*** » - rescriptum fuit ***« Negative in omnibus ». -***

In themate talem consuetudinem Emus Archiepiscopus plene approbat; huius consuetudinis non refert initium at eamdem appellat ***veterem*** et asseverat - ***cum maximo scandalo populi qui a*** PUERITIA ***vidit et audivit talem in Ecclesia hac praxim*** » - e medio auferri. - Nihilominus haec consuetudo non videtur tam firma et communiter approbata quum scrupulos excitaverit conscientiae et anxietates in Capitularibus.

Hisce praemissis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

L ***An probanda sit consuetudo, qua Canonicus Magistralis et alii tum canonici, tum beneficiati, ratione muneris concionandi in Eccles. Cathed. habentur praesentes in choro ad effectum lucrandi distributiones quotidianas per totam hebdomadam ante diem concionis una tantum excepta hora canonica in casu.***

Et quatenus negative :

II. ***An indultum .absentiae iuxta Ordinarii pjetita concedere expediat in casu.***

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii, re disceptata sub die 29 Aprilis 1899, censuit respondere: Ad I. ***Negative.*** Ad II. ***Affirmative per duos dies, ad quinquennium.***

AUGUSTANA

IRREGULARITATIS

Die 17 Iunii 1899.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Ludo vicus Hoefner, in aetate 24 annorum constitutus, olim dioecesis Herbipolensis, nunc vero ab Episcopo Herbipolensi in dioecesim Augustanam admissus, iam cum laude humanitatis ac literarum studiis absolutis, nec prima tonsura initiatus, cupit ad sacros ordines conscendere, a quibus aegre repellitur ob visivae facultatis defectum. Hinc ut quod ex ordinario ei iure interdicitur, gratia saltem consequatur, supplicem Sanctissimo obtulit libellum, exposcens veniam super praefata irregularitate facultatemque, ut omnibus ordinibus initiari possit, atque ut ob dictum defectum sibi liceat missam B. Mariae Virg. vel pro defunctis celebrare ac officium B. M. V. recitare loco totius divini Officii.

Episcopus Augustanus has preces, quas ille obtulit valde commendans, haec habet favore oratoris:

« Orator humanitatis ac literarum studiis cum laude peractis, subito quodam frigore affectus est implicatus gravi morbo acutae cerebri inflammationis, quam secuta est talis vis visivae oculorum amborum debilitas permanens, ut orator conditione sua coactus caperet consilium ineundi Institutum Pfaffenhusanum caecis destinatum, in quo per totam vitam, ad mortem usque ex pacto habitare sustentarique posset. Superior Congregationis S. Iosephi Ursbergensis et Rector Instituti caecorum Pfaffenhusani benigne excepit oratorem Hoefner in domum dicti Instituti, ita ut Congregatio Ursbergensis certa ex patrimonio soluta summa per pactum susciperet obligationem et onus, ad mortem usque illi praebendi domicilium et alimenta. Hoc tempore Superior Ursbergensis oratorem iam per duos annos numero alumnorum Seminarii clericalis Dilingani adscribendum et in omnibus

philosophicis et theologicis disciplinis erudiendum curat sperans, ad presbyteratum promotum qua catechistam, concionato rem, confessarium, ss. sacrificium celebrantem sibi in cura animarum caecorum valde esse profuturum.

« Orator, quamvis ex oculorum infirmitate typis literisque ordinariis impressa vel scripta legere non possit, tamen partim per animi attentionem internam in schola auctam, partim misericorditer adiuvantibus coalumnis per repetitionem memoriae infigit, quae in singulis praelectionibus audivit et bona indole praeditus iti studiis et scientiis multos facit progressus. Adiungere hic liceat, oratorem possidere Biblia sacra, nonnulla sacrae doctrinae, nempe dogmaticae, historiae ecclesiasticae, liturgicae, asceticae compendia, librum de Imitatione Christi, nec non officium parvum B. M. V. aliosque libros necessarios, qui praefati omnes exarati sunt typis elevatis caecorum conditioni accommodatis et ex illis more caecorum legentem posse haurire magnam subsidiorum partem ad firmandam scientiam.

« Orator per mores optimos exhibitos non solum rectoribus et magistris suis est gaudio ac condiscipulis exemplo, sed etiam indubiae vocationis praebet indicia.

« Orator etsi medico attestante « atrophia nervi optici » laborans, tamen res ab oculo per spatium dimidii unius metri distantes bene distinguere potest nec non facile legere Missale ad usum sacerdotum caecutientium concinnatum et cum approbatione S. Rituum Congregationis Ratisbonae a Pustet typographo editum non diurno tantum tempore, sed etiam luminibus ardentibus nocturno. Idem tentatus per experimenta cum illa instituta potuit cernere per distantiam quintae unius metri partis etiam hostiae fragmenta in patena et corporali iacentia, bene distinguere hostiae non consecratae particulas frangendas et fractas, secure attingere os et linguam sumentis alicuius hostiam -per modum communionis , certo ponere hostiam in os superque linguam, item alias sanctae Missae caeremonias rite sine ulla difficultate observare ita, ut periculum scandali vel dedecoris non sit

pertimescendum. Praeterea Superior dictae Congregationis Ursbergensis, quae oratoris procurationem omnimodam suscepit, semper prospicere et valet et promisit, ut alius sacerdos in casu necessitatis oratori sacra peracturo assistat.

« Quare cum de oratoris sustentatione satis provisum sit ipseque praeter visus defectum plena corporis sanitate gaudeat, nec non suo tempore catechizare, praedicare, confessiones audire omniaque, quae in celebratione Missae sunt agenda, absque periculo, praecipue altero presbytero assistente, tractare valeat, eiusque scientia, mores, vera vocatio'* ad statum clericalem sint probata, cumque orator scientiis imbutus et ardenter desiderans a gratia sacerdotii reiectus se in tristissima conditione existentem infelicissimumque esset habituras ac insuper Superior S. Iosephi Congregationis Ursbergensis qua rector Instituti caecorum, respiciens commoda spiritualia suo Instituto eventura, suppliciter et instanter exoret, ut alumnus Ludovicus Hoefner ad omnes sacros ordines suscipiendos, usque ad presbyteratum inclusive admittatur et promoveatur, his et omnibus rerum circumstantiis mature perpensis non haesito, preces oratorum: alumni et Superioris dementiae Sanctitatis Vestrae humillime commendans impensissime rogare, ut Sanctitas Vestra benignissime concedere dignetur:

« 1. Dispensationem super irregularitate ex defectu corporis ;

« 2. facultatem quotidie legendi Missam B. M. V. vel pro defunctis;

« 3. licentiam recitandi officium parvum B. M. V. loco totius divini officii ».

Disceptatio synoptica.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. De irregularitate in casu nullimode dubitari posse videtur, cum Canones generatim irregulärem dicant eum qui propter debilitatem corporis secure celebrare non valeat, idque in specie retineri debeat admissum ab hac S. Congregatione duobus in casibus prae-

sertim nostro proxime accedentibus: in ***Neapolitana*** scilicet ***diei 17 Septemb. 1814,*** ceu in ***Thesauro Resolutionum,*** et in ***Vercellen. 18 Iulii 1860,*** inter supplices libellos relata. Etenim in primo acolyhtus Dominicus De Paulis quodam morbo convalescens, tanta nervorum opticorum debilitate laborare incoepit, ut vix lucem a tenebris secerneret: studiis tamen animum applicare pergens, cum in iis multum profecisset simulque in sacris coeremoniis peritus factus esset, SS. Dominum adiit, ad dispensationem super irregularitate impetrandam. Attamen minime propitium ab Emis Patribus responsum obtinuit, quamvis ob egregias clerici dotes eiusque familiae in Ecclesiam merita ab Ordinario multum commendaretur. - In altera vero causa, seu in ***Vercellen.,*** clericus Egidius Ferraris, simplici visivae facultatis debilitate praepediti, petiit a S. C. C. ut sibi concederetur sacris ordinibus initiari, ac diebus festis et duplicibus Missam votivam B. M. V., reliquis vero diebus Missam defunctorum celebrare liceret. Sed non obstantibus litteris commendatitiis proprii Episcopi, S. Congregatio respondit « non expedire ». Ita etiam in quadam ***Colonien, diei 13 Septemb. 1866*** et in quampluribus aliis.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. Verum in supracitatis casibus , uti etiam in praesenti, res erat de promovendo, et dispensatio denegata fuit: graviores tamen impedimenti rationes in citatis causis afferebantur, cum in Neapolitana acolythus De Paulis vix ***lucem a tenebris*** discerneret, et in ***Vercellensi*** clericus Ferraris nullo modo Sacrum in missale legere valeret. Sed in casu nostro Ludovicus Hoefner, res omnes, licet parum distincte et clare videre potest, quas sani vident: Uteris indiget prae ordinariis paulo grandioribus et latioribus, sed paratum habet missale maioribus litteris impressum, quo uti poterit ad Missas celebrandas, et cuius editio approbata fuerit. Qua de re Episcopus testatus oratorem « res ab oculo per spatium dimidii unius metri distantes bene distinguere potest »; imo pergit idem Episcopus : « per experimenta cum illo instituta potuit cernere

per distantiam quintae unius metri partis etiam hostiae fragmenta in patena et corporali iacentia »; quare concludit, « item alias ss. Missae coeremonias rite sine ulla difficultate observare, ita ut periculum scandali vel dedecoris non sit pertimescendum ».

Neque ulterius desunt exempla, difficilioris profecto speciei, in quibus S. C. C. dispensationis indulgentiam adhibendam esse censuerunt. Ita in quadam ***Geneven. Irregularitatis die 20 Martii 1880*** (1), gratia concessa fuit, ut sacrum ordinem presbyteratus susciperet diaconus Franciscus Dufresne, qui oculorum usum ferme amisit, ut ***rerum quemdam generalem et nebulosum conspectum haberet:*** nihilominus EE. PP., attenta oratoris pietate ac Ecclesiae utilitate, rescripserunt: « Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia cum facultate oratori celebrandi missam B. M. V. et obligatione assistentiae alterius sacerdotis vel diaconi, facto verbo cum Sanctissimo ». Item in quadam ***Faventina Irregularitatis 15 Febr. 1879*** (2) gratia elargita fuit clerico Farolfi, loci ***Brisighella,*** qui irregularitate praepeditus erat ob visivae facultatis omnino in oculo dextero defectum, et debilitatem in sinistro, ita ut etiam auxilio optici instrumenti nonnisi ad perbrevem distantiam ***(di un palmo)*** legere valeret. Nuper vero in ***Maioricen. diei 30 Maii 1891*** (3) etiam dispensatio remissa fuit arbitrio et conscientiae Episcopi favore cuiusdam clerici, qui a nativitate ita caecutiens erat ut nonnisi difficulter legere posset in missali, etiam conspicillis munito.

Oratorem praeterea iuvant laudabilia testimonia scientiae, honestatis vitae et indubiaè utilitatis, quae ex eius promotione ad presbyteratum Ecclesiae erit certo obventura; quandoquidem orator iam ingressus est Institutum S. Iosephi Ursbergensis, caecis destinatum, in quo per totam vitam ad mortem usque ex pacto habitare sustentarique possit.

(1) Relata fuit Vol. XIII, 353.
(2) Habes hanc quaestionem Vol. XII, 613.
(3) Prostat Vol. XXIX, 135.

Quare, praefata Congregatio Ursbergensis, fatente Episcopo, sperat eum « ad presbyteratum promotum qua catechistam, concionatorem, confessarium, SS. Sacrificium celebrantem sibi in cura animarum caecorum valde esse profuturum ». Neque, si malum ingravescat, ullum scandalum vel dedecus videtur esse pertimescendum; etenim testatur Episcopus: « Superior dictae Congregationis Ursbergensis, quae oratoris procurationem omnimodam suscepit, semper prospicere et valet et promisit, ut alius sacerdos in casu necessitatis oratori Sacro peracturo assistat ».

Hisce praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C C . re visa sub die 17 Iunii 1899, censuit respondere : ***pro gratia dispensationis ab irregularitatis defectu, dummodo orator celebret cum assistentia sacerdotis, facto verbo cum Sanctissimo.***

CEPHALUDEN.

DUBIA CIRCA FACULTATES DISPENSANDI AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS

Die 22 Iulii 1899.

Sess. 24. cap. V. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Pius PP. IX, inter ceteras sui regiminis Providentias, duas saluberrimas Apostolicas Litteras dedit Siciliae Episcopis ***V Kal. Feb. 1864;*** quarum primis quae incipiunt ***Suprema,*** Apostolicam, quam vocabant, Siciliae Legationem, Monarchiae iudicem, eiusque Tribunal extinxit (1); alteris quarum initium est ***Multis gravissimis,*** cum vellet Siculorum ***fidelium commodis et dispendiis occurrere,*** concessit quasdam facultates circa impedimenta matrimonialia relaxanda ***a Siciliae Antistitibus, quos iidem fideles facilius et commodius adire possunt.***

(1) Relatae fuerunt Vol. III, 177 et 186.

Haec S. C. alia vice, seu sub ***die 26 Aprilis 1873*** (1), dubia examini subiecit et expedivit quoad huiusmodi concessas facultates, de quibus aliam movit quaestionem Episcopus Cephaluden, sequentibus litteris:

« Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX, suppressa Siciliae Legatione, seu Monarchiae Iudice eiusque Tribunali, per litteras Apostolicas ***Suprema*** V Kal. Febr. 1864, publicatas die 10 Octobris 1867, alias simul dedit Apostolicas litteras ***Multis gravissimis,*** quibus voluit Siculorum utilitati et commodo prospicere; et hac causa quasdam dedit Episcopis facultates, quas inter haec numeratur.

« Specialem facultatem tribuimus concedendi matrimoniales dispensationes in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu sive simplici sive duplici, ac etiam mixto, dummodo primum non attingat.

« Cum autem Emi Patres Universalis Inquisitionis, fer. IV, die 2 Iulii 1884, declarando formulam, qua fere iisdem verbis Episcopis Foed. Stat. Americae Sept. facultas tribuitur dispensandi in quibusdam consanguinitatis gradibus, decreverunt particulam ***et*** non copulative sed disiunctive intelligendam esse, et verba formulae ita accipienda esse, ut facultas concessa intelligatur dispensandi tam ab impedimento consanguinitatis, quam ab impedimento affinitatis ***seiunctim*** tamen, non vero quando utrumque impedimentum uno eodemque casu concurrunt: unde dubium exortum est an illa declaratio valeat etiam ad definiendas facultates fere iisdem verbis Episcopis Siciliae concessas.

« I°. Quaeritur igitur: An Siciliae Episcopi dispensare valeant in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu, scilicet duplici et mixto, quando utrumque impedimentum consanguinitatis et affinitatis in uno eodemque casu concurrunt.

2°. Quando affinitas vel consanguinitas, ex quibus mixtio procedit, secundum attingat gradum, ex. gr. si secundum affinitatis cum tertio consanguinitatis concurrat.

(1) Dubia haec habes Vol. VII, 290.

« Interest authenticam habere solutionem, ut conscientiae et validitati Sacramenti matrimonii prospiciatur ».

Quia visa est haec fuisse praxis Episcoporum Siciliae, nempe dispensare in tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis etiam cum ***coniunctim*** seu ***cumulative*** utrumque impedimentum in eodem casu concurrunt, hinc ab Archiepiscopo Panormitano de huiusmodi praxi notitia exquisita fuit; qui retulit eandem esse praxim apud omnes Siciliae Curias episcopales ; ut rescivit a singulis locorum Ordinariis, quos hac de re sciscitavit.

Disceptatio Synoptica

In examen huius quaestionis, in primis iuvat referre quae circa has facultates disceptata sunt ab EE. PP. ***die 26 Aprilis. 1873.*** Iamvero tunc per S. Poenitentiariam ea quae sequuntur-Siculorum Episcoporum dubia, circa facultates dispensandi ab impedimentis matrimonialibus, S. C. C. proposita fuerunt, nimirum:

In Constitutione ***Multis gravissimis, 28 Ianuarii 1864,*** Ordinariis Siciliae indulgetur facultas dispensandi « ***favore illorum, qui vere pauperes sunt in tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis, sive simplici, sive duplici ac etiam mixto, dummodo primum non attingat*** ». Hoc posito quaeritur:

I. An Siciliae Episcopi dispensare valeant in tertio vel quarto consanguinitatis aut affinitatis ***gradu triplici,*** idest ex triplici stipite profìciscente.

II. An iidem Ordinarii dispensare valeant, quando consanguinitas vel affinitas reperiatur in tertio vel quarto gradu ***duplici,*** idest proveniente ex duplici stipite et simul concurrat alius gradus mixtus, puta ex tertio et quarto, a tertio alio stipite proveniens.

III. An valide ab iisdem dispensari possint ii qui pauperes non sunt.

IV. An validae sint dispensationes iis factae, qui falso paupertatem allegarunt.

Et S. C. C. ***die 26 Aprilis 1873*** respondit: Ad I, II, III, IV. ***Negative.***

Praestat in antecessum referre textum Constitutionis ***Multis gravissimis*** in parte quae ad rem spectat. « Siculorum utilitati' et commodo prospicere vehementer cupientes, omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum nullius dioecesis in Sicilia existentibus Ordinariis ac etiam Vicariis Capitularibus canonice electis specialem facultatem tribuimus concedendi matrimoniales dispensationes in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu sive simplici sive duplici ac etiam mixto, dummodo primum non attingat, et dummodo canonica adsit causa ut dispensatio gratis omnino concedatur, nullo prorsus vel minimo recepto emolumento, et in eorum tantum favorem qui vere pauperes sunt. Volumus autem atque praecipimus ut ***in singulis dispensationibus concedendis semper fiat mentio huiusce specialis Apostolicae facultatis.*** Atque etiam volumus, huiusmodi de praedictis matrimonialibus dispensationibus concedendis facultatem a nobis tributam ita omnino ab omnibus esse intelligendam ut nemo unquam eam interpretari queat veluti impedimentum quominus Siculi fideles, si ipsis placuerit, possint supplices hanc Apostolicam Sedem directo adire ad easdem assequendas dispensationes ».

Pontifex has facultates ád decennium tantum valituras concessit, quamobrem, stato tempore, facultatum prorogatio impetranda est.

Ad viam sternendam inquisitioni in haec dubia iuvat praestituere haec principia. — Iuxta communem doctrinam, dispensationis actus et facultas seu indultum dispensandi cum persona determinata strictam habet interpretationem; latam vero habet facultas dispensandi generalis seu quae concessa est ad dispensandum non cum determinata persona. Riganti ***in reg. 14 Cancell. n. 69 seq.*** Hinc diversimode solvuntur variae quaestiones prout ad priorem vel ad posteriorem casum referuntur. Nihilominus iuxta perspectam Sedis Apostolicae praxim, a DD. communiter recognitam, ipsa

etiam facultas generalis dispensandi extendi non potest ab uno impedimento ad aliud, licet minus grave, nisi hoc illo contineatur, neque ab una impedimenti specie ad aliam, neque ab una linea ad aliam, neque a matrimonio contracto ad contrahendum, neque a contrahendo ad contractum et ita porro. Santi, ***Appendici) ad lib. 4. Decret, p. 208.*** Hac de causa dubiis propositis, ut supra relatis, ***die 26 Apr. 1873*** S. C. C. respondit: ***Negative,*** quia indultum dispensationis ***multiplicitatis,*** limites quoad gradus ponit expressos, ultra quos non se porrigit facultas dispensandi.

Item in casu, extra omnem dubitationis aleam posita est generalis doctrina, negans facultatem dispensandi in diversis impedimentis, quando in uno eodemque casu habetur mixtio seu concursus diversorum impedimentorum, utputa consanguineitatis et affinitatis. Revera S. Cong. de Propaganda Fide, huic dubio: « ***Utrum vigore facultatum quas S. Sedes mediante S. C. de Prop. Fide, Episcopis Germaniae ad quinquennium concedere solet, etiam tunc dispensari possit cum nupturientibus siquidem duo vel plura simul concurrant impedimenta canonica super quibus singulis, separatim tamen spectatis, dispensandi facultas ibidem explicito tribuitur?*** » rescripsit ***die 16 Iunii 1868: « In primis attentis declarationibus S. Inq. Tribunalis perspectum est facultates concessas dispensandi super singula impedimenta extendi non posse ad casum quo haec eadem impedimenta simul concurrant et cumulentur*** ». Ad rem S. C. S. O. ***die 18 Maii 1869*** docuit: < ***Ritiensi per massima incontestabile che l'uso di più facoltà non può cumularsi nello stesso caso per la regola che vieta in materia di dispensa F accumulamento, e perciò le dette facoltà sono di stretto diritto, come le dispense stesse, e quindi debbono strettamente interpretarsi, nè estendersi al di là di quel che suonano, cioè dell' espressa volontà del concedente.. Laonde non facendosi, nelle varie facoltà di dispensa per varii gradi, parola alcuna che accenni a cumulativa, ne deriva che chi è di quelle munito non può fame uso simultaneamente nello stesso***

caso ». Et rescriptum ad Episcopos Foed. Stat. Amer. Sept. datum, quod recolit Episcopus Cephaluden., ita se habet: « Ad dub. 1: - In form. I. fac. S. C. de P. ***F. n. 6,*** - facultas tribuitur dispensandi in quibusdam consanguineitatis ***et*** affinitatis gradibus. Dubitatur num particula ***et*** copulative an disiunctive intelligenda sit? » S. Off. 2 Iul. 1884 respondit: « ad secundum, ***Verba formulae ita accipienda esse ut facultas concessa intelligatur dispensandi tam ab impedimento consanguineitatis quam ab impedimento affinitatis, seiunctim tamen; non autem quando utrumque impedimentum in uno eodemque casu concurrunt ».***

Verum, favore intentionis Episcoporum Siciliae adverti potest, ipsis favere consuetudinem ***magis*** quam ***tricennalem;*** consuetudinem autem haberi ***optimam legis interpretem*** neminem latet, adeo ut omnibus DD. in confesso sit, consuetudini ***tricennali*** vim inesse abrogandi vel corrigendi legem contrariam. Ad haec, haud improbabilis est sententia huiusmodi vim adversum legem tribuens consuetudini vel ***decennali;*** uti probat ci. Santi, ***lib. 1. Decret, tit. De consuet.***

Praeterea ipsa facultas dispensandi, quae, uti diximus et late probat Sánchez, ***De mat. VIII. Disp. II. 5,*** est certe favorabilis et latae interpretationis, in casu favorabilior et latioris interpretationis habenda est, quia Pontifex voluit prospicere ***commodo et utilitati fidelium Siculorum.***

Ex adverso autem plura videntur et magni ponderis obstare intentioni Oratorum. — In primis, hae facultates ita concessae sunt ut singulo quoque decennio prorogari seu iterum concedi a S. Sede debeantur. Quare in nova concessione veluti denuo conceditur facultas dispensandi, eademque in hisce terminis et sub hisce conditionibus impertitur, quibus intendit S. Sedes suam cohibere concessionem. — Voluntas vero concedentis in expostulanda indulti prorogatione in certum tempus, ea est ut firmius recognoscatur potestas concedentis, atque ut praecludatur aditus praescriptioni adversus eamdem potestatem.

In eumdem scopum in litteris concessionis cavetur: « Vo-

lumus autem atque praecipimus ***ut in singulis dispensationibus concedendis semper expressa fiat mentio huiusce specialis Apostolicae facultatis*** ». Quam clausulam ita commentatur Feje, ***De imped. et dispensationibus matrimonialibus, quart, edit. n. 633.*** « Exprimere debet Episcopus se procedere ex delegatione Apostolica, idque ad validitatem pertinet quando diserte ita dicit indultum vel quod in hac saltem materia non raro fit per ablativum absolutum vel aliter conditio illa posita fuit ». In hunc sensum expresse interpretatur indultum Siculum Oaillaud, ***Manuel, edit. quart, n. 326.***

Gravior forsan difficultas oritur si tempus perpendatur necessarium huiusmodi inducendae praescriptioni. In themate enim non res est de praescribenda aliqua lege iuris communis, sed agitur de ipso iure seu privilegio Ecclesiae Romanae, quae iura vel nullimode praescribi possunt, vel non praescribuntur nisi tempore ad minus centum annorum, uti exploratissimi iuris est. Re sane vera docet Bened. XIV, ***De Syn. dioeces. IX, II, 6:*** « At dato etiam, in aliquam dioecesim irrepsisse consuetudinem de qua contenditur, ut per eam collatum dicamus Episcopo legitimum ius auferendi impedimenta a Conciliis oecumenicis et a Summis Pontificibus inducta, diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit praevalere legi Episcopo inhibenti ne superioris statutum infringere aut quoquo modo relaxare praesumat. Quin immo cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda et minuenda iura uni competentia Romano Pontifici, praeter ceteras conditiones, necesse est ut centum ad minus annorum spatio sine ulla interruptione perseveraverit. Quocirca citatus Van-Espen, ***I. E. U., P. II, tit. 14, cap. 1,*** *n.* ***11,*** ut Episcopo Leodiensi auctoritatem adstruat dispensandi in tertio et quarto et in tertio hinc inde consanguineitatis aut affinitatis gradu, eamque ex legitima consuetudine ab eo acquisitam evincat, eiusmodi consuetudinem contendit esse immemorabilem. Ad consuetudinem quoque, cuius initii memoria non extat confugit

citatus Auctor Oollationum Parisiensem, ***tom. 3, collat. 2> § 2.*** Verum postremo et potissimum considerandum est, an per eam consuetudinem, si qua inoleverit, ***disrumpatur nervus ecclesiasticae disciplinae:*** in quo eventu nunquam per eam adversus legem praescribi declaravit Innocentius III in ***cap. Cum inter. De consuet.***

Hisce principiis innixa videtur S. Congr. de Prop. Fide reprobasse consuetudinem seu usum quem inolevisse relatum fuit apud Indiarum Vicarios Apostolicos; siquidem edixit huiusmodi usum non suffragatum fuisse Vicariis Apostolicis ut legitime uterentur asserta facultate. Instructio edita ***die 8 Sept. 1869j*** relata in Collectanea S. Congreg, de Prop. Fide ***(Romae 1893)*** ita se habet sub n. 1469: « Quia vero ad S. C. perlatum est, plures ex Indiarum Orientalium Praesulibus usos esse huc usque facultatibus quae respiciunt dispensationes in impedimentis matrimonium dirimentibus etiam ubi eveniat duo impedimenta diversa in eadem persona cumulari putantes, ad id facultates sibi concessas pertingere, quod tamen admitti nequit; cautum est ut quoad praeterita matrimonia in quibus concurrentibus pluribus impedimentis, hac ratione dispensatum est, Apostolici Vicarii sileant et relinquant coniuges in bona fide; quoad futurum vero tempus, recurrant in singulis casibus ac, si praevideant tempus difficile suppetiturum recurrendi ad S. Sedem, petant facultatem pro numero casuum quae ipsis a Summo Pontifice, siquidem opportunum videbitur, concedetur ».

Neque negotium facessunt ea verba: « ***Apostolici Vicarii sileant et relinquant coniuges in bona fide*** », quandoquidem non inde eruitur valide istos dispensasse, sed voluntas exprimitur S. Sedis ***sanandi matrimonia in radice.*** Non semel hoc indultum sanationis significatur expressis [1] verbis * ita S. Poenitentiaria ***14 Iulii 1881,*** apud Feje, ***I. cit.p. 595.***

Quare si EE. PP. placeat respondere « ***Negative*** » ad propositum dubium, iam provisum est etiam ***altero*** dubio, quo specialis casus cumulationis proponitur.

Sed in omnem hypothesim haud inutile erit aliquid dis-

serere etiam de quaestione altero dubio promota. —Revera in formula delegationis concessae litteris, ***Multis gravissimis,*** cavetur etiam de ***gradu*** consanguineitatis aut affinitatis, sive simplici sive duplici ac etiam ***mixto,*** dummodo ***primum non attingat.*** — Porro in diversa significatione apud Auctores occurrit mentio gradus, ***simplicis*** et ***mixti,*** et in ipsis indultis Apostolicis non eodem semper adaequate sensu, hae voces adhibentur. Zitelli, ***De dispens, edit. an. 1887, p. 182.*** - Propria et maxime usitata earum significatio est, ut indicent graduum aequalitatem vel inaequalitatem. Voces « et ***mixti*** » significant aliquando eiusdem in specie impedimenti multiplicitatem ; et aliquando significant diversorum impedimentorum concursum, sed hoc sensu non intelligitur locutio « et ***gradus mixti*** » nisi id diserte exprimatur in indulto. Gasparri, ***De matr. n. 672.*** Quare in themate quaeritur an expressio « ***gradus mixti*** » se referat ad multiplicitatem graduum eiusdem impedimenti , vel ad multiplicitatem diversorum impedimentorum. Quia ex allatis declarationibus clare evincitur non concedi facultatem dispensandi in casibus, in quibus cumulantur et concurrunt diversa impedimenta, nisi disertis verbis exprimatur, sequitur in casu mixtionem et concursum intelligi de variis gradibus eiusdem impedimenti.

Verum in casu quo placeret EE. PP. admittere et probare ius consuetudinarium, investiganda praeterea est quaestio an liceret Episcopis dispensare ***quando affinitas et consanguinitas ex quibus mixtio procedit, secundum attingat gradum.*** — Atqui in Constitutione ***Multis gravissimis,*** conceditur facultas pro gradu etiam ***mixto,*** dummodo ***primum*** non attingat. — Haec reservatio primi ***gradus*** se refert ad praxim in Curia inductam post Constitut. ***Sanctissimus*** S. Pii V, ***diei 26 Aug. 1566.*** Sicilicet si oratores procedant quidem ab uno eodemque stipite, tamen non sint in gradu aequales, haec circumstantia exprimi debet quando unus ex contrahentibus coniungatur cum stipite in primo gradu. Hinc si duo oratores sint in primo et secundo vel in primo et

tertio gradu vel in primo et quarto, uterque gradus est exprimendus sub poena nullitatis vi citatae Pianae Constitutionis. Quin immo in praxi introductum est, ut in genere quoties oratores constituuntur in gradibus inaequalibus manifestetur nedum remotior, sed et proximior gradus. Licet enim dispensatio directe semper cadat super remotiorem gradum, eo quia iuxta regulam canonicampn Ecclesia Occidentali, remotior gradus propinquitatis attenditur, nimirum: ***gradus remotior trahit ad se propinquiorem,*** tamen, ut consanguinei tas aut affinitas undequaque determinetur, non solum remotior sed etiam propinquior gradus indicari debet.

In propositum iuvat referre quae tradit Gasparri, ***De mat. n. 320.*** « Si oratores in consanguineitatis et affinitatis gradu inaequali ***ultra primum*** iuncti sunt, ex. gr. in secundo et tertio vel in tertio et quarto, S. Dataria dispensat in remotiori qui trahit ad se propinquiorem et simul declarat seu, ut dicitur, dat litteras declaratorias quod propinquioris distantia non obstat, his verbis in rescripto « distantiam vero secundi... consanguineitatis gradus huiusmodi eis non obstare declares ». Ita S. Pius V *in* ***Constitut. Sanctissimus, 26 Aug. 1566.*** — De Iustis II, III, n. 39 subdit : « Quae litterae declaratoriae ideo fiunt non quia propinquior obstet matrimonio,.... sed ad tollenda scandala plebis iura ignorantis, quae putat non esse validam dispensationem factam super solo gradu remotiori, imo credit magis necessariam esse super propinquiori cum iuxta illius credulitatem maiorem propinquitatem videatur inducere ». Has litteras declaratorias dare pro propinquiore, sicut dispensationes concedere pro remotiori, pertinet ad Sedem Apostolicam. Duximus ***ultra primum,*** quia si gradus propinquior est primus, praxis Datariae est ut dispensatio concedatur in utroque. Quamobrem quum in litteris indulti Siculi mentio tantum fiat gradus inaequalis attingentis ***primum,*** sequitur in gradibus inaequalibus ***ultra primum*** liberam fuisse concessam facultatem dispensandi.

Demum haud supervacaneum erit advertere, Emum Ar-

chiepiscppum Panormitanum retulisse tantum de receptis moribus |iost editam Constitut. ***Multis gravissimis,*** sed quia Sicilia a remotissima aetate pluribus usa est privilegiis, inquirendum videtur an huiusmodi facultates dispensandi prouti moribus receptae sunt, extiterint ante Const. ***Multis gravissimis,*** quae Constitutio magis contineret veteris iuris confirmationem et ratihabitionem quam novarum facultatum indultum.

Hisce praeiactis, proposita sunt diluenda

Dubia

I. ***An Siciliae Episcopi dispensare valeant in tertio et quarto consanguineitatis et affinitatis gradu, scilicet duplici et mixto, quando utrumque impedimentum consanguineitatis et affinitatis in uno eodemque casu concurrunt in casu.***

II. ***An item valeant dispensare quando affinitas, vel consanguinitas, ex quibus mixtio procedit, secundum attingat gradum in casu.***

RESOLUTIO, S. C. C. re disceptata sub die ***22*** Iulii 1899, censuit respondere: ***Ad I. et II. Negative; et supplicandum Sanctissimo pro sanatione quoad praeteritum.***

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

ROMANA

HABITATIONIS

Die IO Martii 1899.

COMPENDIUM FACTI. Pius Sacerdos Antonius Piatti, prius canonicus Lateranensis et dein etiam Urbis Vicesgerens, Pium Opus Spiritualium exercitiorum instituit, ab eo nuncupatum ***Devotorum B. Mariae Virginis.*** Huic operi a s. m. Cardinali Cristaldi aedificium ad radices Ianiculi montis in

via S. Francisci Salesii donatum fuit, sibi onere annui canonis scutatorum 42 quod aedificium iam gravabat, imposito.

Institutor Piatti quoad usque vixit per se gestionem habuit Pii Operis, cui suppellectile quo aedificium erat instructum et vineam extra portam Lateranensem existentem iam donaverat, et ipsi defuncto an. 1841 successit Administratio a se ipso designata testamento diei 15 Dec. 1840. Anno 1841 mense Decembris praefatum Institutum iam a Pontificibus Pio VII, Leone XII et Gregorio XVI commendatum et ditatum canonice fuit approbatum a Vicegerente Urbis Vespignani.

Anno 1851 Moniales a Divino Amora regulam S. Augustini profitentes et instructioni puellarum addictae, cum aedibus carerent, a .felicis record. Pio IX pium Conservatorum ad montem Ianiculum obtinuerunt: at post 1870 cum ab hoc aedificio ab usurpatore italico gubernio essent expulsae, ipsae, ita disponente eodem Summo Pontifice Pio IX, receptae fuerunt in aedificium Pii Operis Piatti, quoadusque de aedibus ad inhabitandum sibi providerent, et interim assumpta a Monialibus obligatione persolvendi Instituto Piatti annuatim libellas 1000 quae inservire deberent pro spiritualibus exercitiis a pauperibus pueris peragendis in aliis piis domibus.

Interea sese obtulit pia Mulier Principissa Odescalchi quae^ aedificium pro Monialibus extra portam Salariam construere iussit, donata etiam verbo tenus larga fundi adiacentis extensione.

Verum ipsa ex improviso defuncta, dum aedificium iam extruebatur, et nullo extante scripto documento, sed tantummodo verbali donatione, necessaria compositio inter Moniales habuit locum et haeredes Odescalchi qui Monialibus persolverunt 55,000 libellas, postea depositas pro annuis usuris apud aedes Vaticanas.

De hoc certiores facti Administratores Pii Operis Piatti insteterunt apud Moniales ut tandem aliquando aedificium

relinquerent et alibi suos lares figèrent. At incassum. Quandoquidem Moniales recursum habuerunt ad Supremum Pontificem exponentes se in impossibilitate versari domum aedificandi vel acquirendi, aut locandi quae suis necessitatibus responderet, nempe quae contineret 22 religiosas et 40 alumnas. E contra aedificium Pii Operis Piatti, ut ipsae aiebant, statutum fuerat pro exercitiis spiritualibus inibi peragendis a Pontificiae militiae aut civilibus muneribus addictis: ex rescriptis enim Pii VII 25 Februarii 1820 et 15 Octobris 1822 ab aerario Pontificio et Militari determinata summa ad hoc Pio Operi quotannis erat rependenda.

Proinde Moniales concludebant tunc aedificium esse relicturas, quando Gubernium Pontificium restauratum foret, quod in ipsarum votis erat.

Monialium precibus Beatissimo Patri, quem - Deus diu sospitet, relatis, favorabile Monialibus rescriptum prodiit die 30 Ianuarii 1894 Emo Urbis Vicario communicatum , cuius substantia fuit, ut Moniales non amplius inquietarentur ab Administratoribus pii Operis. Qui de hac concessione Pontificia edocti , per appositum supplicem libellum insteterunt apud Eumdem Beatissimum Patrem contendentes, exposita a Monialibus falsitate laborare, atque apostolicum rescriptum nullius esse ponderis. Haec quaestio autem pro solutione remissa fuit ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium, discutienda post expletas rituales solemnitates sub infrascripto dubio.

Disceptatio Synoptica

PRO PIO OPERE PIATTI. Qui huius partes agit praemonet ex Conc. Trid. ***sess. 22 cap. XI. de Ref or.*** Administratores piorum operum teneri nedum ad dotem conservandam, sed et ad erogandos fructus iuxta leges fundationis. Quare Administratio Pii Operis Piatti usque ab initio obstitit ut in aedificio Moniales Divini Amoris reciperentur, et tantum ab oppositione ^destitit tunc, quando sibi compertum fuit expetitam habitationem precariam esse : praesto siquidem

erat pia mulier* Principissa Odescalchi, quae promiserat brevi aedificium extra portam Salariam pro Monialibus esse complendum. Id constare ait ex pluribus documentis uti ex epistola Vices-gerentis 'Lenti diei 25 Iunii 1894, ex libris administrationis Pii Operis an. 1879 in quibus Moniales dicuntur in aedificio ***precario*** receptae, ex declarationibus sacerdotis Polverosi tunc deputati pro spiritualibus exercitiis, et tandem ex confessione ipsarum Monialium, quae non negant domum ad pium Opus Piatti spectare, sed solum asserunt, finem Institutoris nunc non posse obtineri, cum exercitia pro Pontificiis militibus aut addictis servitio Status Pontificii ad actum redigi nequeunt. De natura itaque concessionis precariae ambigi nequit. Iam vero precarium tantum durat quamdiu patitur voluntas concedentis, et hoc valet etiamsi concessum fuerit ad certum tempus uti •v.g. ad Kalendas Iulias quo casu concedens etiam ante praefixum tempus illud revocare valet ***leg. 12 ff. de precario, Ferr. Bibl. can. verh. precarium.*** Hinc erat in facultate Administrationis Pii Operis Piatti sibi vindicandi aedificium a Monialibus possessum, quando sibi libuisset.

Nunc, pergit Advocatus, expendendum est utrum haec conditio mutata fuerit per Pontificium Rescriptum an. 1894. Hoc denegat Advocatus, cum illud ***obreptione et subreptione*** laboret. Moniales siquidem in petitione ad Summum Pontificem porrecta conticuerunt quod earum habitatio in aedificio Instituti esset ***precaria*** seu quoadusque aliam domum non invenissent. Deinde fassae sunt Pium Opus Piatti institutum tantummodo fuisse pro exercitiis peragendis a militibus Pontificiis et addictis servitio status Pontificii, quod falsum erat ; siquidem, uti constat ex tabulis fundationis Instituti ab ipsa ecclesiastica auctoritate recognitis Pium Opus Piatti fundatum fuit uti domus exercitiorum ***pro viris honestioris in societate conditionis.***

Rmus Vices-gerens Urbis s. m. Iulius Lenti in sua epistola declaratoria diei 25 Iunii 1894 enarrat, quod an. 1877 in hac pia domo post an. 1870 adhibita tamquam statione

pro militibus et dein evacuata, habiti sunt spirituales recessus pro viris civilis conditionis et semel etiam pro clero ; et doluit cognoscens, quod aedificium restitutum ad fundatoris scopum, postea fuit ad inhabitandum concessum ut ut ***provisorie*** Monialibus Divini Amoris. Proinde concludit Advocatus, obtentum rescriptum ceu obreptitium et subreplitium nullimode Monialibus suffragari valet ceu docet ***Rota coram Pansirolo Recent, p. 6 decis. 295 Comen.***

Neque aliquid relevat quod Moniales falsum expósuerint, vel verum tacuerint absque dolo et malitia, siquidem obreptio et subreptio pertinet ad substantiam cum sit in causa motiva et deinde sermo est de concessione tertio praeiudiciali; iam vero ***falsa narrativa etiam facta ignoranter vitiat rescriptum quoties est alteri praeiudicialem licet, si tale non esset, ob ignorantiam et bonam fidem*** *impetrantis* ***substineretur f Rota cor. Crescentio decis. 10 N. 2).***

Insuper patronus animadvertit quod praefatum aedificium Pio Operi Piatti, ceu liquet ex instrumento donationis, concessum fuit a Cardinali Cristaldi sub conditione ***reversibilitatis*** ad haeredes, in hypotesi quod amplius non adhiberetur ad spiritualia exercitia ***pro viris honestioris in societate conditionis.*** Verum quidem est quod ex lege italica 17 Iulii 1890 super piis Operibus in art. 103 hae conditiones penitus abolitae sunt ; sed praefata lex percutit opera publicae beneficentiae et cultus uti talia a gubernio recognita : at pium Opus Piatti declaratum est uti opus privatum pro morali instructione et dictae legi non subditur. Hinc est quod hisce postremis annis pluries haeredes Crisfaldi insteterunt apud Praesidem Pii Operis, ceu ipse promptus est ad deponendum cum iuramento, pro recuperatione legati aedificii : huc usque iudicialiter non processerunt, sed si Moniales adhuc perdurent in possessione domus contra pium donantis scopum, pro certo habendum esse, contendit advocatus, dictam domum ab instituto .Piatti brevi amissuram fore.

Tandem Defensor recolit enorme damnum , quod Admi-

nistratio Instituti Piatti persentit ex permanentia Monialium in aedificio. Expensae in ultimo decennio pro huius manutentione factae ab Administratione ascenderunt ad libellas 9589.32, non inclusa taxa quae solvitur super reditu annuo praesumpto libellarum 4000 ex locatione domus tantum, cum viridarium a taxa sit exemptum. Iam vero Moniales solvunt pro locatione annua domus libellas 1050, et pro viridarii fruitione libellas annuas 320, dum hoc ante annum 1870 locabatur pro 500 libellis annuis cum servitute deambulationis tempore spiritualium exercitiorum. Hinc pensio a Monialibus persoluta vix aequat 2 tertias partes summae quam Administratio Pii Operis rependere cogitur pro manutentione aedificii et taxis : et ita proprietarium ens morale seu institutum Piatti est in peiori conditione quam Moniales locatariae quae interim percipiunt fructus ex summa libellarum 55000 apud Vaticanum deposita. Ex hac enormi laesione sequitur quod Administratio adstringatur vel ad dimittendam domum in manu aerarii non solvendo taxas, vel ad se componendum cum haeredibus Cristaldi. Sed cum hoc ruinam Instituti secumferat potius petitur vel ut pensio annua augeatur ad libellas 3600 minimum pensionis exigendae ex 58 cubiculis aedificii cum duobus viridariis, vel sin minus ut Administrationi pars aedificii reddatur.

FAVORE MONIALIUM DIVINI AMORIS. EX alia parte adnotabatur ex officio (cum Moniales nullum patronum constituissent) earum petitionem dici non posse ***obreptitiam*** vel ***subreptitiam*** quoad substantiam. Rationes adductae a Monialibus in petitione Summo Pontifici oblata duae erant. I°. Quia sibi non suppetebant rationes ad aptam domum comparandam, vel aliam locandam. 2°. Quia finis ob quem Pium Opus Piatti fuit institutum, nempe exercitia pro militibus Pontificiis et ligatis servitio status Pontificii, praesentibus perdurantibus circumstantiis, obtineri non poterat. Iam vero prima ratio est eadem quae fuit adducta, quando Moniales primitus nempe anno 1879 receptae fuerunt in aedificio Pii Instituti Piatti, nempe defectus alterius con-

venientis domus. Secunda ratio nempe cessatio finis Instituti Piatti haberi potest ceu secundaria et impulsiva.

Itaque si prima causa quae in casu dici potest motiva, est vera, rescriptum substinetur, cum haec sit quae determinavit Principem ad concessionem : causa secundaria seu impulsiva tunc vitiaret rescriptum cum esset in probatis Moniales eam adduxisse non ex simplicitate et ignorantia, sed ex malitia et dolo iuxta celebrem theoriam ***cap. 20 de rescriptis.*** Sed hoc ex adverso non probatur, et aliunde ***nemo praesumitur maius nisi probetur.***

Hisce utrimque discussis suppositum fuit enodationi sequens

Dubium.

An Pium Opus Piatti ius habeat adigendi Moniales Divini Amoris ad dimittendum aedificium in laniculo monte ab ipsis inhabitatum vel sin minus eas cogere valeat ut augeant annuam summam pro locatione solvendam in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episcopor. et Regul. die 10 Martii 1899, re mature expensa, respondit: ***Affirmative ad primam partem; ad secundam ad mentem; mens est ut Sorores Divini Amoris breviori tempore quo fieri potest, non ultra triennium, sacrum recessum cum viridariis Administratoribus Pii Operis Piatti restituant: interim vero dum ibi commorantur cedant dictis Administratoribus fructus summae provenientis eoo transactione Odescalchi, depositas in aedibus Vaticanis.***

FODIANA SEU TROIANA

PENSIONIS

Die 24 Martii 1899.

COMPENDIUM FACTI. Ad, preces Regis utriusque Siciliae et Episcopi Troiani Pius IX fel. rec. Bulla ***Ex hoc Summi Pontificis*** sub die 25 Iunii 1855 novam erexit dioecesim

Fodianam, dismembrando oppidum Fodiae a dioecesi Troiana et oppidum S. Marci in Lamis a Sypontina.

Quoad novae Sedis dotationem cavit ut iuxta sponsionem datam a Municipio Fodiano pro Antistitis decenti habitatione et pro Cancellaria palatium seu aedificium esset comparatum; et quoadusque id non esset effectum, mensae Episcopali annua biscenta ducata ab eodem Municipio essent rependenda pro convenientis domus conductione. Insuper iuxta alteram solemnem sponsionem Municipio obligatio imposita fuit persolvendi quotannis eidem mensae mille ducata nulli diminutioni obnoxia: et quoniam praefati reditus non erant sufficientes , idem Pontifex voluit ut super reditibus mensae Troianae reservata maneret annua pensio ducatorum 2400 integre persolvenda favore Praesulis pro tempore noviter erectae Sedis Fodianae.

Demum in eadem Bulla cautum fuit ut Municipium Fodianum valeret se redimere ab obligatione praestandi mille ducata, subrogatione fundorum stabilium qui annuatim tantumdem reditus darent ab omni onere exemptos : et item quod pensio gravans mensam Troianam imminuta esset de mille ducatis, quando Regis utriusque Siciliae solemnis sponsio executioni demandata fuisset adiudicándi Mensae Fodianae tot bona stabilia quae annuum aequivalentem reditum nitidum suppeditarent.

Nulla fundorum subrogatio facta fuit, et hinc mensa Episcopalis Troiana nullam pensionis reductionem experiri potuit. Interim anno 1867 edita fuit a Gubernio subalpino lex eversiva proprietatis ecclesiasticae, quae in conversione bonorum stabilium imponebat taxam extraordinariam triginta in singulis centenis : huius taxae retentio facta fuit in pensionis solutione mensae Fodianae. Quoad alteram vero taxam vulgo ***di ricchezza mobile*** retentio initium sumpsit an. 1886 a Praesule Troiano Passero qui ex hoc titulo retinere coepit libellas tercentum in pensionis solutione : Praesul Passero decessit die 8 Septembris 1890 et tum R. Oeconomatus, tum successor Episcopus Tempesta pensionem absque huiusmodi im-

minutione persolvit usque ad totum secundum semestre 1891. Verum ab hac epocha Episcopus Tempesta sequens exemplum sui Decessoris pensionem huic imminutioni subiecit: contra huiusmodi retentionem libellarum tercentum titulo taxae vulgo ***di ricchezza mobile*** primum ad S. Congregationem reclamavit Administrator Apostolicus Fodianus et deinde novus hodiernus Episcopus qui insuper controversiam extendit etiam ad aliam taxam vulgo ***del trenta per cento*** sustinens pensionem nulli imminutioni seu retentioni esse obnoxiam sed integram esse sibi solvendam ad tramitem praescriptionis Bullae Pianae ***Ex hoc Summi Pontificis*** 25 Iunii 1855. Proposita fuit haec quaestio in plenaria Congregatione Eminentissimorum Patrum diei 5 Aprilis 1895, et subiectae rogandi formulae - ***An et quomodo decretum*** Cum Nuperrimis ***applicandum sit in casu*** - responsum fuit, pensatis hinc inde rationibus, prout sequitur - ***quod spectat ad taxam a Gubernio impositam - vulgo dei 30 per 100 — esse ab utraque mensa Episcopali Troiana et Fodiana data proportione supportandam. Quod spectat vero ad aliam taxam quam vocant — di ricchezza mobile - ab Episcopo Troiano sustinendam esse, salvo iure favore eiusdem Episcopi sese ab ea eximendi, transferendo ad mensam Fodianam summam capitalem, quae respondeat reditibus huic taxae obnoxiis.***

Ab hac sententia appellavit tum Episcopus Troianus ob impositum onus vulgo ***di ricchezza mobile,*** tum Episcopus Fodianus ob taxam vulgo ***30 per 100*** a sua mensa iuxta sententiam pro rata supportandam, et beneficium novae audientiae fuit concessum: verum postea Episcopus Fodianus ab appellatione récessif, iustam recognoscens S. Congregationis s*ententiam.

Interea alia exorta est quaestio ; volens Episcopus Troianus ad tramitem relatae decisionis progredi ad solutionem capitalis summae ut se eximeret ab onere pensionis, praetendebat summam tradere quae reditus libellarum 7140 impuros daret : e contra Praesul Fodianus aliter sen tiebat, et

praeter oblatam summam aliam exigebat ad occurrendum oneri taxae vulgo ***di ricchezza mobile*** gravantis reditum libell. 7140. Deinde cum Gubernium post cognitam sententiam diei 5 Aprilis 1895 novam taxam pariter ***di ricchezza mobile*** retroactivam usque ad an. 1893 super summam debitam Episcopo Fodiano imposuerit, Episcopus Troianus sustinet eam ab Episcopo Fodiano esse supportandam; hic tamen contradicit.

Demum in detractione a mensa Troiana summae capitalis pro extinguendo onere pensionis, Episcopus Troianus vellet includere nonnullos canones qui in civitate Fodiana pro summa libell. 2914. 63 exiguntur, dum ex adverso Episcopus Fodianus eos absolute recusat. Hinc nedum de revocatione aut confirmatione editae sententiae sub die 5 Aprilis 1895 res est, sed etiam de eius interpretatione.

Disceptatio Synoptica

DEDUCTIONES EPISCOPI FODIANI. Hic primum recolit quod dotationi suae mensae vi Bullae ***Eas hoc Summi Pontificis,*** duplici assignatione pensionis provisum fuit unius super reditibus Fodiani Municipii alterius super reditibus mensae Troianae: haec autem ante subrogationem fundorum ***erat semper integra persolvenda:*** post constitutionem fundorum pariter Pontifex cavit ut in eadem quota persolventur depurata ab omnibus oneribus quae forte fundos gravarent: ***detractis impendiis et publicis cuiusvis speciei impositionibus.***

Neque ipsae legis civilis Italiae dispositiones, pergit Episcopus Fodianus, ab hoc dissentire videntur. In art. 12 legis 8 Augusti 1895 oeconomicarum provisionum praemisso quod supra relata taxa in genere percutit creditorem, etiamsi hoc onus generice a debitore sit assumptum, ponit exceptionem casus in quo debitor ex pacto speciali ante legis publicationem in se onus id expresse susceperit. Itaque sive Bulla fundationis Mensae Fodianae, sive lex civilis inspiciatur, in comperto est onus taxae vulgo ***di ricchezza mobile*** a mensa Troiana esse sustinendum : et bene id persensit Municipium

Fodianum quod pensionem integram persolvit, talem taxam in se suscipiens. Insuper Episcopus Fodianus invocat sui favore theoriam quod diminutio redituum cedit damno non pensionarii sed titularis dummodo istius congrua salva manet. Rationem hanc reddit Card. De Luca ***(de pens. dis. M n. 4). Cum titularis sit dominus fructuum, eius damno cedere debet illorum diminutio, non autem pensionara, eodem modo quo e contrario eius commodo cederet augmentum absque eo quod pensionarius de illo participationem aliquam praetendere posset, cum augmentum et diminutio sint sequela dominii.*** Verum quidem est quod mensae Troianae reditus aliquam imminutionem sunt passi, attamen eius congrua cum adhuc salva maneat, enunciata taxa ipsam gravare debet, et consequenter pensio assignata integra, ut ab initio est persolvenda.

Hoc praestituto, Episcopus Fodianus transit ad alterum quaestionis punctum nempe ad modum perficiendae separationis summae capitalis favore suae mensae iuxta sententiam S. Congregationis. Ipse contendit ita faciendam esse ut ex magno libro debiti publici distrahatur quota pars favore mensae Fodianae quae annuum reditum lib. 7140 reddat, et insuper alia pars addatur ad onus sustinendum taxae vulgo ***di ricchezza mobile*** dictum reditum gravantis ; neque concordare potest cum confratre Episcopo, ut in hac separatione computari valeant census et canones exigendi in civitate Fodiana pro annua summa lib. 2914., 63, tum quia hi sunt difficilis exactionis, tum quia esse etiam possunt incerti progressu temporis. Aliunde ex praecitata Bulla pensio debet esse certa et invariata, et pro pensionis securitate suppositi sunt universi reditus mensae Troianae, ***integre persolvenda super universis mensae Troianae fructibus et proventibus quibuscumque,*** uti dicitur in saepius adducta Bulla. Cum itaque pensio sit privilegiata non est in facultate Episcopi Troiani debitoris eam substituendi aliis cespitibus etiam incertis, ut ipse vellet.

IURA EPISCOPI TROIANI. EX adverso Episcopus Troianus

observat quod nova taxa vulgo ***di ricchezza mobile*** a Gubernio imposita post decisionem S. Congregationis 5 Aprilis 1895 toto caelo differt ab ea quae totam massam reditus mensae Troianae gravat ; illa enim specialis est et percutit directe tantum summam pro pensione solvendam Episcopo Fodiano. Haec, uti etiam tradunt decisiones ministeriales, supportanda est a mensa Fodiana, et quamvis in facto a mensa Troiana debitrice solvatur tamen huic competit ius regressus in mensam creditricem : et quod ita tenendum sit etiam ipsa aequitatis ratio suadet, alioquin mensa Troiana bis eamdem taxam persolveret : una via superest ad hanc taxam novam vitandam, nempe separatio pensionis debitae mensae Fodianae a mensa Troiana. Si autem haec separatio adhuc effici non potuit, id stetit per Episcopum Fodianum, qui plures óbices suis praetensionibus posuit : interea Episcopus Troianus pro hac speciali taxa plus quam 2000 libellas persolvit,, et alias solvet, quarum restitutionem ab Episcopo Fodiano réclamât.

Quoad modum vero perficiendae distractionis summae capitalis, Episcopus Troianus in Epistola ad S. Congregationem sub die 25 Aprilis 1897 advertit, aequum omnino sibi videri, ut in ea etiam canones et census computentur, qui in civitate Fodiana exiguntur pro libellis 2914. 63. I. Quia dum Episcopo Troiano dispendiosa res est propter locorum distantiam eos exigere, e contra pro Episcopo Fodiano ullum adest dispendium. II. Cum pensio afficiat totos reditus mensae Troianae, qui nunc ex canonibus et schedis debiti publici conflantur, iustum est ut nunc summa capitalis eam repraesentans ex duplici capite componatur.

Insuper advertit Episcopus Troianus quod separatio neri debet in sola summa capitali quae annuas libellas 7140 reddat; alia summa praetensa ab Episcopo Fodiano pro sustinenda taxa vulgo ***di ricchezza mobile*** nullimode concedi potest ; quia haec secunda separatio a Gubernio reiiceretur, cum Gubernium teneat huiusmodi taxam esse ab Episcopo Fodiano sustinendam.

Tandem Episcopus Troianus in uteris diei 19 Iulii 1898 petit, ut enunciata separatio ab ipso fieri possit etiam inconsulto Episcopo Fodiano ad. tramitem resolutionis S. Congregationis. Et secundo quod alia specialis taxa ***transitus ususfructus*** imposita super pensione Fodiana sustineatur uti ex lege ab Episcopo Fodiano ; quam vi s enim ex lege civili eam persolvere debeat mensa Troiana debitrix, tamen huic conceditur ius compensationis in pensionis solutione.

Hisce utrinque delibatis, proposita fuere solutioni sequentia

Dubia

I°. ***An confirmanda vel revocanda sit decisio diei 5 Aprilis 1895 in casui***

2°. ***An nova taxa, vulgo*** DI RICCHEZZA MOBILE, ***sustinenda sit ab Episcopo Troiano vel Fodiano.***

3°. ***Quo sensu intelligendum sit ius Episcopi Troiani quoad separationem pensionis debitae Episcopo Fodiano, idest an Episcopus Troianus teneatur tradere Episcopo Fodiano summam capitalem quae reddat libellas 7140 nitidas, vel quae reddat libellas 7140 non depúralas a taxa.***

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 24 Martii 1899, omnibus rationum momentis aequa lance libratis, respondit:

Ad 1um. ***Sententiam esse confirmandam quoad primam et secundam partem: quoad tertiam providebitur in responsione ad tertium dubium.***

Ad 2um. ***Taxam esse sustinendam ab Episcopo Fodiano.***

Ad 3um. ***Separationem summae capitalis faciendam esse ad normam Episcopi Troiani diei 25 Aprilis 1897.***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ROTHOMAGEN. Canonizationis B. Ioannis Baptistae de La Salle fundatoris Congr. Fratrum Scholarum Christianarum.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum, Tuto *proeedi possit ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem**

Christi Ecclesia quasi consitus ager, industri ac vigili Domini sui manu, non unius generis enitet floribus. Eadem reginae similis perhibetur quae *adstitit.... in mstitu deaurato, eireumdata -varietate.* Quamvis -enim duplicis amoris praecepto' totius legis summa contineatur, pro varia tamen humanae vitae conditione atque opportunitate temporum caritatis ratio manifestatur multiplex. Itaque ut apta cuique aetati excitavit Deus prodigia eius virtutis, ita saeculo xvn exeunte, virum dedit, qui quod tunc erat desiderium, egenorum pueritiae sancte erudiendae prospicere!

Insignis hic Institutor -de Ecclesia ac de civili societate optime meritus fuit Ioannes Baptista de La Salle.

In Parisiensi collegio S. Sulpitii confecto studiorum sacrorum curriculo, sacerdotio auctus est; quo in munere eius gravitas atque solertia ita eluxit, ut statim sacerdotum societati praeponeretur, quibus erat constitutum cuiusdam vicinitatis fideles revocare ad bonam frugem.

Sed opus longe saluberrimum manebat Ioannem, pia adolescentium egenorum institutio ; cui rei visus est divino quodam consilio sensim et quasi inscius accedere. Primum enim Rolandii opera, quo pietatis magistro utebatur, factum est ut Communitati praeficeretur Sororum a Puero Iesu puellis indigentibus probe instituendis; cuius instituti scholae brevi ita floruerunt ut omnibus desiderium iniecerint puerorum quoque doctrinae ac saluti simili modo prospiciendi. Res, exiguis profecta initiis, ludo primum instituto ad Curiam S. Mauritii, brevi, nec ÍRhemensis Dioecesis, nec ipsius Galliae finibus contenta, longe lateque percrebuit, adeo ut anno MDCCXXV ab sancti viri obitu ferme sexto, florentissimum Institutum in piarum Congregationum numerum fuerit relatum per Bullam Benedicti Pa-

pae XIII « *In apostolicae dignitatis solio* ». In hoc autem ministerio mirum quantum viri caritas explicuit virtutis. Neque enim dubitavit, ut populi filios acquireret Christo, abdicare se honoribus, rei familiaris iacturam facere, despectui haberi, ultima quaeque pati ex multorum odio, maxime qui Iansenii faverent partibus, se sui nominis osoribus magnanimum exhibere. His quae ad publicum pertinebant institutoris munus, domesticas virtutes adiecit maximas. Nam exemplo singulari fuit dum vixit, mira animi demissione atque obedientia; flagrans in Eodem ardor pietatis; excellens castitas, praeclara prudentia, abstinentia, austeritas admirabilis. Quibus virtutibus, rerum gestarum fama omnium in se animos atque ora convertit. Iis autem testificandis cum miracula accessissent, eaque fuissent rite probata SUMMUS PONTIFEX LEO XIII Caelitum Beatorum honores illi asseruit. Mox causa denuo agitata, et actione super binis miraculis instituta, idem Sanctissimus Pontifex pridie calendas maias huius anni de utroque constare solemniter decrevit.

Unum reliquum erat iuxta sacri huius fori statuta, ut inquireretur utrum caelitum Sanctorum honores B. Ioanni Baptistae de La Salle TUTO decerni possint. Itaque in generalibus huius S. Congregationis Comitiis, habitis coram Sanctissimo Domino Nostro tertio calendas iunias volventis anni, Emus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Portuensis et S. Rufinae, huius causae Relator, dubium ad discutiendum proposuit: « *An, stante duorum miraculorum approbatione,* TUTO *proeedi possit ad solemnem B. Ioannis Baptistae de La Salle Canonizationem?* » Omnes qui interfuere tum Rmi Patres Cardinales, tum huius Sacrorum Rituum Congregationis Patres Consultores suffragia tulerunt. Sanctitas vero Sua supernae sapientiae lumen impensius imploratura sententiam Suam proferre distulit.

Hodierna vero die, Dominica v post Pentecosten, qua festum Visitationis B. Mariae Virginis percolitur, Eucharistico sacrificio religiosissime litato, in hac Vaticani Aula Pontificio solio assidens ad Se arcessiri iussit Rmos Cardinales Camillum Mazzella, Episcopum Praenestinum SS. RR. Congregationi Praefectum, et Lucidum Mariam Parocchi vice sacra Antistitem Urbis, nec non Ioannem Baptistam Lugari S. Fidei Promotorem, meque infrascriptum Secretarium iisque adstantibus solemniter

pronunciavit: « TUTO *proeedi posse ad solemnem B. Ioannis Baptistae de La Salle Canonizationem ».*

Hoc insuper Decretum publici iuris fieri, et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, litterasque Apostolicas sub plumbo de solemni Canonizationis ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrando expediri iussit sexto nonas quintiles anno MDCCCXCIX.

C. CARD. MAZZELLA, S. *R. C. Praefectus*

L. ©.S.

DIOMBDBS PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

ROMANA seu COSENTINA beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei Bernardi Mariae Clausi sacerdotis professi Ordinis Minimorum s. Francisci de Paula.

Instante Riîio P. Augustino Donadio Sacerdote professo et postulatore generali Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochowski Causae Ven. Servi Dei Bernardi Mariae Clausi Ponens in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis Rotalibus subsignata die ad Vaticanum habitis, iuxta Apostolicas dispositiones annis 1878 et 1895 editas, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An constet de validitate Processuum, tam Apostolica, quam Ordinaria Auctoritate constructorum; testes sint rite examinati et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Sacra porro eadem Congregatio, omnibus accurate perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuit, *Constare,* expunctis tamen in Processu Romano testibus, qui agunt de praesumpto miraculo, et petita sanatione quoad processus additionales factos super iisdem articulis. Die 6 Iunii 1899.

Facta postmodum de his SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, indulta etiam expetita sanatione, die duodecima eiusdem mensis et anni.

C. CARD. MAZZELLA, *S. R. C. Praef.*

L. * S.

DIOMEDBS PANICI, 5. *R. C. Secretarius.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM an absolvi queat, nullo adiecto onere, qui complicem absolvit, In casu quo nec confessor, nec poenitens scribere nequeunt ad s. Poenitentiariam.

Beatissime Pater,

Sacerdos Titius in regionem extraneam se contulit ad confitendum peccatum, Summo Pontifici reservatum. Porro confessori declaravit: I°. nec opera ministerii sui, nec substantiam facultatum sibi permittere iterum aggrediendi iter ad recipiendam responsionem S. Poenitentiariae ; 2°. nimis onerosum sibi fore ad alium confessarium se praesentare in propria regione, quod signanter voluit devitare iter assumens.

Hisce expositis, Episcopus N. pro sua norma humiliter a Sanctitate Vestra petit utrum supradictus casus, etiamsi agatur de absolutione complicis, inter eos annumerari debeat praevisos in Decreto S. Officii diei 9 Nov. 1898 (1), et Confessarius niti possit praelaudato Decreto ad absolutionem impertiendam sine recursu ad S. Poenitentiariam, nec ne.

Feria IV, die 7 Iunii 1899.

In Congregatione Generali habita ab Emis ac Rmis Dominis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, iidem Emi Dñi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum mandarunt:

Non comprehendi.

Sequenti vero feria V loco VI, die 8 eiusdem mensis et anni in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de omnibus relatione SSiîio D. N. Leoni Div. Prov. PP. XIII, idem SSmus Dominus responsionem Emorum PP. approbavit.]

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Notarius.*

(i) Decretum hoc relatum fuit Vol. XXXI, 402.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BONONIBN.

REMOTIONIS S. IMAGINIS

Die 28 Ian. 1899 et 17 Iunii 1899.

Sess. 25 cap. De invoc. Sanet.

COMPENDIUM FACTI. Huius controversiae EE. PP. ***facti-species,*** quoad adiuncta non controversa, paucis expeditur. Res enim est de quadam s. Imagine B. M. Virginis a ss. Rosario (vulgo ***di Pompei),*** uti fertur, egregie depicta, quam sua corona seu ***cornice*** ornatam, duae sorores cognomine ***Frencia*** obtulerunt, mense Maio a. 1888, Parocho ad s. Ioannis Baptistae (vulgo ***dei Celestini)*** in Civitate Bononiensi, ea adiecta conditione, ut publico cultui exponeretur haec imago, quae adhuc in civitate non colebatur, dum ubique in aliis civitatibus et oppidis per Italiam, maxima religione, iampridem coli solebat. Libentissime Parochus piam excepit voluntatem sororum ***Frencia,*** eamque executioni demandare statim deliberavit, destinans Imaginem collocatam iri quasi minorem tabulam, vulgo ***sottoquadro,*** in altari s. Archangelo Raphaeli dicato ; quod ***factum est*** postquam et maior altaris tabula et aliae suppellectiles novae s. Imagini collocandae ***accommodatae sunt.***

Res ab initio plane successit; siquidem late excitatus est in civitate cultus in s. Imaginem et frequentior in dies erat concursus hominum qui supplices ad aram b. Virginis sistebant.

Interim sorores Frencia, quae continua angebantur sollicitudine in cultum Imaginis b. Virginis, semper Parocho aderant et consiliis et incitamentis, ut religionem in oblatam Imaginem ***proveheret*** atque, pecunia de fidelium oblationibus corrugata et apud parochum deposita, nova et magnifica **Usque** ***moliebantur.***

Prima contentionis labes sub initio a. 1891, inter parochum et sorores, habita est de proprietate oblatae tabulae; quam sibi vindicabant sorores, interposita etiam Procuratoris opera. Parochus ut cuicumque controversiae in posterum praecluderetur aditus, consensit publicum confici instrumentum quo tabulae proprietas adiudicaretur sororibus Frencia sub obligatione, sinendi s. Imaginem usque exponi publicae venerationi; dummodo tamen accederet Curiae Archiep. approbatio.

At instrumentum rogatum non fuit, quia sorores quum in eo essent ut suam ***apportèrent*** subscriptionem, veluti poenitentia ductae, suis manibus syngrapham dilacerarunt, uti Parochus refert.

Appropinquante mense Maio eiusdem a. 1891, quia Parochus non arbitrabatur indulgendum esse instantiis Sororum, quibus expetebant et magnas fieri festivitates in honorem b. Virginis, et piam erigi Unionem sub invocatione b. Virginis a Rosario, eaedem Sorores recursum habuerunt ad Emum Card. Battaglini, qui Parochum iuberet, earum satisfacere voluntati.

Sed iam facta referuntur quae non sunt sine contradictione; quippe actrices Parochum accusant uti desidiosum et minus sollicitum de cultu b. Virginis; Parochus vero Sorores traducit in mulieres morosas et inquietas, deturbantes munus parochiale et omnia in suam voluntatem, rerum ignaram, pertrahere volentes. Parochus ait: ***Si sarebbe voluto che si subordinasse a quel quadretto tutta la liturgia.*** Exitus excitatae controversiae hic fuit: Parochus, finito mense Maio, qua imago B..V. in altare principe exposita fuerat, et in pristinum locum restituenda erat, eamdem statuit ab Ecclesia removere, et Sororibus restituere, quod eisdem denunciavit die 30 Maii ad altare s. A. Raphaelis alia B. V. imagine substituta.

Et primo die mensis Iunii hoc propositum executioni demandatum fuit; et hodie adhuc in isto altari imago colitur B. Virginis a Rosario hac ratione, alteri a Sororibus oblatae, substituta.

Quaestionis hodiernae cardo hic est. Sorores nempe alte conqueruntur de violata religione in B. Virginem et de violata promissione sibi solemniter facta et inde postulant, s. Imaginem in proprium locum reponendam esse. Ex adverso Parochus asserit se s. Imaginem removisse ex decreto Emi Archiepiscopi, qui persuasus haud possibile esse morem gerere Sororibus Frencia, decrevit, tabulam removendam esse et propriis dominis restituendam.

Parochus suam assertionem fulcitur, in primis, repetitis attestationibus Vicarii Generalis Curiae Bononien. Nicolai Zoccoli, Episcopi Titularis ; illius qui adhuc hoc munere fungitur et fungebatur tempore motae quaestionis, Praesule Archidioecesis Bononien. Cardinale Battaglini. Praeterea alias adducit virorum attestationes, qui facti controvèrsi vel pars fuerunt vel certam habent notitiam.

Sorores Frencia perfracte negantes Parochi assertionem, iampridem suam defensionem totam confidunt cuidam documento, seu certae scripturae quam Cardinalis Battaglini exaravit die 1 Iunii 1891 e tergo supplicis libelli eidem oblati, per quemdam advocatum, nomine Actricum, dum, recuperandae valetudinis causa rusticabatur in oppido ***Mirabello.*** Textum huius scripturae infra referam.

Etiam quoad sententiam et vim huius scripturae et quoad -eius exhibitionem magna est controversia, et gravis historia. Quia in ea littera Cardinalis loquitur ***de forma iudiciali quam ingrediebatur negotium*** et ***hinc opportunum videri nihil innovare quousque negotii definitio a iudice decerne•retur;*** actrices inferunt, hic haberi verum ***rescriptum*** inhibitorium, proindeque iussum factum fuisse parocho, ne aliquid mutaret in rerum statu.

Curia Bononien., e contra, asserit, editum non fuisse ***rescriptum,*** sed ***instructionem*** datam esse Vicario Generali ut rem componeret ad monita Archiepiscopi, si res ita se habebant, prouti in supplici libello explicaban tur.

Actrices suae insistentes intentioni, iam ab a. 1892 a Curia expostularunt, sibi reddi tale documentum quo Ar-

chiepiscopi voluntatem comprobarent et hinc iniuriam sibi illatam; at frustra, quia Curia usque renuit hoc exhibere documentum, idem vel non haberi asserens vel clarius affirmans illud non esse documentum legale, et iudiciale sed litteram continere datam Vic. Generali pro sua agendi ratione, et suo remissam arbitrio.

Verum, hac instante S. C. , scriptura anno superiore mense Februario a Curia reddita est, eiusque authenticum exemplar actricibus comparatum fuit.

Hactenus de historia controversiae : modo de historia instantiarum iudicialium.

Re sane vera actrices, die 3 Iunii a. 1891, Praetorem adierunt fori civilis Bononien., actionem instituentes ***possessoriam*** adversus spolium, quod se passas fuisse contendebant in facto remotae ***suae*** s. Imaginis absque ulla legitima causa.

At Praetor considerans, tabulam fuisse ***in perpetuum destinatam publico*** cultui, ***possessionem*** abiudicavit actricibus ; earumque instantiam sua sententia reiecit die 30 Ianuarii 1892. Iudex appellationis, primae instantiae sententiam plenissime confirmavit die 26 Maii 1892.

Tunc Sorores Frencia recursum habuerunt, sub die 18 Augusti 1892, ad S. C. Episc, et Regul., quaestionem tum ***m possessorio,*** tum ***in petitorio*** moventes, quippe petebant et s. Imaginem in pristinum locum restituendam et de iniuria sibi illata, in Parochum^ in Curiam iudicium ferendum esse.

Oratrices pro viribus instabant, causam disceptari in plenariis Comitiis ; sed quia visae sunt non sufficienter probasse suam agendi rationem in adeundo iudice laico, quum non constaret veniam accessisse Archiepiscopi, et quia Curia Bononien. asserebat, Parochum fuisse merum executorem decreti Emi Archiepiscopi, die 5 Sept. 1893 prodiit decretum : ***Attentis deductis non esse locum propositioni causae ideoque reponatur.***

At exinde sorores manus non dederunt victas et suppli-

cem libellum, querelis plenum, dederunt Beatissimo Patri quo sospite fruimur, expostulantes causam devolvendam esse ad S. C. C. : Beatissimus Pater arbitratus est aliqua ratione precibus oratricum satisfaciendum esse ; et audito voto Card. Praefecti Congr. EE. et RR. deliberavit, causam disceptandam esse in plenario conventu huius Congr. quin amplius inquireretur an iure vel iniuria sorores Frencia ad laicum tribunal recursum habuerint.

Quae concessio actricibus non placuit ; obiicientibus eam Congregationem sibi evasisse suspectam ob editum decretum: ***Reponatur;*** proindeque dum istae alte protestaban tur se nunquam passuras esse, causam cognosci ab illa Congr. ; quotidie, una simul, instabant ut controversia definiretur a S. C. C. vel a quocumque alio Tribunali Urbis.

Sacratissimus Princeps, benignissime dignatus est excipere Oratricum instantiam, praecipiens die 24 Iulii 1897, causae definitionem devolvi S. C. C. iudicio.

Disceptatio synoptica

IURA SORORUM FRENCIA. Actrices inter alia advertunt, tempore spolii diei 1 Iunii 1891 sese reperiisse in pacifica publica possessione aut quasi possessione Tabulae B. Virginis a SSmo Rosario ***di Pompei;*** at meliori ex possessionibus frui nempe illa quae ex iure proprietatis descendit.

Neque dici posset res addictas cultui divino, incapaces absolute esse privati dominii. Nam quum sint materia, in dominio privatorum esse possunt ceu habet S. R. R. coram Calcagnino 23 Iunii 1742 ***Romana Translationis imaginis, § 4, ivi:*** « Hinc autem receptissimae traditioni, nihil officit, quod sacrae res in nullius dominio sint, quodque de iis, citra simoniae labem disponi non possit, at quatenus etiam haec ipsa' imago vere sacra dici possit : neque sequeretur quin ratione materiae elaboratique operis in nostro dominio esse queat ac ratione eiusdem operis et materiae de eadem sine ullo simoniae periculo non disponere valeamus iuxta

distinctionem traditam per Gonzal. in ***cap. 12 de Simon., num. 8*** ».

Eiusmodi possessio aut quasi possessio admissa etiam fuit ab ipso tribunali civili.

Possessionem vero sibi solemniter recognovisse et tueri intendisse, aiunt actrices, Card. Battaglini per suum decretum diei 1 Iunii 1891, cuiuscumque mutationis inhibitorium.

Hinc sororum Frencia ius, ut restituatur tabula B. Virginis in Altari, fulcitur tribus rationibus a natura promanantibus. Quas rationes actrices deducunt primo, ***ex voto*** quod aiunt se nuncupasse de exhibenda huiusmodi s. Imagine publico cultui, auctore quodam pio defuncto; secundo ***ex contractu*** inito cum Parocho Bacchi ei tradendo s. Imaginem in perpetuum publicae venerationi expositam; tertio ***ex re,*** seu ex subiecta materia.

Ast certum est tabulam eiusmodi benedictam fuisse eiusque destinationem confirmatam a R. Pontifice, tresque per annos expositam fuisse publicae venerationi ; et ideo rem benedictam effectam fuisse. Quae egressa ex dominio privato et commercio, amplius inibi redire non posset, ex regula « semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum » ***Reg. 51 in 6.*** Reiffenstuel : « Res quae per consecrationem vel per benedictionem sacratae vel sacrae factae sunt veluti Ecclesiae, altaria, coemeteria monstrantiae, calices, patenae, paramenta ecclesiastica et reliqua sacra ***suppellex:*** item monasteria, hospitalia aliaque loca pia, auctoritate populi vel Episcopali ad usum divinum, seu sacrum ministerium ad laicorum profanos usus transferenda vel adhibenda amplius non sunt, et ratio est quia reverentia praefatis sacris, seu sacratis rebus debita merito exigit ne contra primum et principalem finem ad profanos saecularium usus amplius applicentur, cum qui contra debitam reverentiam facit, sacrilegium committit > quod concordat textui canonico: « Qui revocandum putat, quod ecclesiae contulit, sacrilegium crimen incurrit ». ***Dec. caus. 17, q. 4> cap. 2.***

Qua de re imagines sacrae nequeunt in commercium iterum redire, quin sacrilegio infìciatur, qui id faceret: et ratio huius facti notatur a Fargna *de iurepatr. part.* ***2,*** *con.* ***4j*** *eas.* ***5,*** *n.* ***4:*** « Per hanc assignationem et oblationem ornamentorum facta a patrono propriae Capellae illa effecta fuerunt sacra, et Deo dicata, ac proinde non potest patronus ea petere, ut sibi in hoc casu restituantur, nec Rector Ecclesiae, in qua Capella patronalis sita erat, potest illa patrono restituere, sed permanere debent in ecclesia de novo construenda, cum omnibus notum sit res sacras et Deo dicatas, ac ad divinum cultum destinatas in ullius commercio esse non posse, nec converti aut transferri in usus profanos et personarum saecularium ».

Ferraris v. *Imago n.* ***37 : «*** Imagines devotae non possunt ex una in aliam Ecclesiam transferri sine beneplacito Apostolico, et si sine tali beneplacito sit iam facta translatio non sustinetur nec est approbanda ».

S. C. C. *Nullius Ferentilli* 31 Iulii 1706 relata a Card. Petra in Commentariis ad Constitut. Paulinam *tom.* 5. S. Romana Rota *coram Calcagnino* 17 Marzo 1738.

« Wlatislavien. *Translationis imaginis,* Lunae 17 Martii 1738.

« Admirabili, ac memorando eventu contigit Ioanni Henrico Zmieszkallo reperitio Imaginis semper B. Virginis, quam filio suo tunc Parochialis Ecclesiae Lubecensis de iure patronatus equitis Petri Garnerii eiusdemque Ecclesiae Parocho dictus Ioannes Henricus donaverat, ibidemque publicae venerationi expositam perassiduis miraculis devotissime frequentatam.

« Cum Vicarius Generalis Wlatislaviensis postmodum, nulla manifestata causa, eam, inopinate et secreto, apud Episcopalem Cancellariam recondere fecit, periato huiusque amotionis nuncio ad praefatum equitem Garnerium maximo percitum dolore, interpositis apud Episcopalem Curiam incassum rogationibus, re sua putavit S. C. C. rogare, ut restituendam in pristinum locum praelaudatam imaginem ipsa iuberet.

« Sapientissimi tamen Patres ea qua pollent prudentia, moderamine, ut moris est, prius instrui de veritate per relationem ufficialis "vratislaviensis voluere, quam cum habuerint, sub die 7 Februarii 1735 rescripserunt - ad Ordinarium qui pro suo arbitrio procedat - idcirco praelaudatus Vicarius generalis eiusque Assessores decreverunt petitae restitutioni sacrae Imagini locum non esse, ex quo non competeret neque concedi possit.

« Maximum hinc sibi illatum esse gravamen persentiens dictus Grarnerius, illico renovavit recursum ad praelaudatam S. C. C, quae cum rescripserit - utatur iure suo in gradu appellationis. - Idcirco... dubium proposui : ***An Deiparae Virginis imago Lubecio Wlatislaviam translata, sit reponenda ad pristinum locum seu potius sit restituenda illius domino in casu*** et persistente in contumaciali diutino silentio Promotore Fiscali Episcopalis Curiae Wlatislaviensis resolutio hac mane pro Informante prodita est.

« Quamvis enim inficias non eamus, locorum Ordinariis praecipuam esse vigilantiam, seu sollicitudinem, circa sacrarum imaginum cultum id quod etiam sancitum fuisse Oecumenicis Apostolicae Ecclesiae Conciliis, praesertim Nicaeno , advertitur in Synodo Tridentina *sess.* ***25 de Pur g. ;*** Hieronymus Rom. ***lib. 4 de Rep. Christ, cap. 7, n. 8;*** Vasquez ***in tract, de adorat. Imag. lib. 3, disp. 3, n. 8;*** Card. Bellarm. ***in Cont. eat. 7, lib. 1;*** Pax lord, ***elucub. tom. 1, lib. 7, tit. 1, n. 147;*** nihilominus a primaevis catholicae Religionis temporibus sanctorumque Patrum consensione receptum fuerit, atque Ecclesiastica Traditione comprobatum, Sacris Imaginibus attributum fuisse cultum, et honorem, ex quo alacrius fidelium religio et pietas in D. O. M. fertur, quemadmodum ex testamento veteri tum novo admonet Divus Thomas ***2-2, quaest. 103, art. 3, et in 3 distinc, quaest. 1, art. 2...*** et ex sacris Canonibus ***cap.*** Venerabiles ***ex consecr. dist. 3.,*** S. Conc. Tridentinum supracitata *sess.* ***25 latissime probat*** F. Blasius a Purificatione ***in eius tract, de adorat, disp. 3,*** fere per totum.

« Cum itaque ex actis processus de partibus vigore dictae Compulsoriae A. C. ad Urbem transmissae, eorumdem actorum revolutione, haud quidquam repertum fuerit, quod vertatur in detrimentum vel diminutionem dicti laudabilis Catholici Instituti, facile consequitur praedictam Deiparae Virginis semper B. Imaginem fidelium venerationi restituendam esse. Nam nemini pingi aut insculpi facere liceat aliquam in Ecclesia insolitam Imaginem nec exponere citra Episcopi consensum, ne quid veritati scripturarum, traditionum, aut Ecclesiasticarum Historiarum adversetur, huiusmodi tamen prohibitio non complectitur Imagines venerari solitas, cuius procul dubio generis est Sacratissima semper Virgo, ut distinguendo refert, et probat Pignatel. ***cons. 186, t. 9.***

« Nulla itaque adducta in praefatis actis processus rationabili et iusta causa Catholica et laudabili, in hunc vetustissimum semperque laudabilem Catholicae Religionis ritum adversiva, ob quam dicta sacra Imago in pristinum locum recolenda non sit, ita rationi congruit et quidem iuxta Canonicas Ordinationes, ut quaevis iuridica exulat excusatio ob quam eiusdem sacrae Imaginis restituentia praefatae Parochiali Ecclesiae refutari debeat; urgente praesertim spectatissimo iure, quo secundum dictas Canonicas Ordinationes interdicta est, nedum immobilium, sed etiam mobilium, pretiosarum rerum Ecclesiae pertinentium alienatio, seu distraevo absque Sedis Apostolicae licentia aliisque de iure requisitis solemnitatibus, ut passim advertunt Canonistae in Extrav. ***Ambitiosae...*** Quamobrem cum supra omnem certitudinem inter praetiosissimas dictae Parochialis Ecclesiae res illa praelaudata Imago, de qua sermo est, princeps sit, nedum ob excellentem supremamque eiusdem repraesentationem (posthabito materiali ipsius tabulae pictae pretio) sed et ulterius habita animadversione ad divinum prodigium quo eiusdem reperitio contigit; idem insimul a toto Lubecensi populo devotissime exculpta. Idcirco dum ipsae sanctorum reliquiae ac Imagines, his de causis, habentur pro rebus pretiosissimis ac impensiori ratione inter pretiosissimas di-

ctae Lubecensis Ecclesiae res recensenda est praelaudata B. V. Imago, quae supra aliorum Sanctorum imagines ac reliquias, longe lateque praecellentem eminentiam obtinet, ut late probat praecitatus Blasius a Purifie, ***disp. 3*** et consonant relata per Pignatell. ***consult. 75, n. 26, tom. 10.***

« Qua de re procul dubio deprehenditur dictam occultam translationem praelaudatae s. Imaginis penes Cancellariam Episcopalem, seu alium in locum, indebito iure evenisse; etenim probatissimo iure vetitum esse constat, sanctorum reliquias nec etiam alienari, nec de una in aliam Ecclesiam transferri posse ad Tex. in Can. ***Beatus Petrus et Paulu.***

« Quapropter cum praelaudata sacratissima Imago remota fuerit a praedicta Parochiali Ecclesia absque concursu et verificatione praefatarum circumstantiarum merito iure postulatum est, ut ea in pristinum reponetur locum ad tradita per Ventrigliol. ***tom. 2, annot. 27, n. 26.***

« Quibus adstipulatur praeiudicium Parochiali Lubecensi eiusque Ecclesiae patrono ex praefata amotione seu translatione illatum, cum enim ex facto constet memoratam Imaginem uberi miraculorum copia coelitus decoratam, coactis ex impensa fidelium devotione donariis, et excoli religiosissime consuevisse, ac exploratissimi iuris esse dicta donaria seu eleemosynas cedere commodo Ecclesiae ubi dicta semper laudatissima V. Imago recolitur in augmentum elegantioris ampliorisque ornatus ipsius imaginis et Ecclesiae ; ad Tex. ***in cap.*** Hanc, ***caus. 10, quaest. 9, cap.*** Pastoralis ***de iis quae fiunt a Praelato sine cons.***

« Illico profecto sequi videtur quod per dictam amotionem praelaudatae s. Imaginis, tum populi ad Ecclesiam concursu, tum praefatae Ecclesiae decus quodammodo diminutum extiterit inficias *ire* nequit, praegrande eidem Ecclesiae Parochiali Lubecensi eiusque Parocho et patrono praeiudicium fuisse irrogatum, et promete ut illud ne retardata reportatione in pristinum perseveret in dies, et augeatur, merito postulatam repositionem indulgendam esse aequi bonique

ratio postulat, quandoquidem Episcopo seu Ordinario ex propria etiam auctoritate licitum non est easdem sacras Imagines Rectore Ecclesiae contradicente, transferre.

« Indubitantius, quia constat controversam Imaginem dono fuisse datam pro conservanda donator is memoria, idcirco ne ista pereat, aut deleatur pium donantis votum, atque in exemplum, seu imitamentum caeterorum fidelium conservetur ex deductis per Rot. ***dec. 1369, n. 91, cor. Lancetta,*** ubi concordantes, praesertim quia in iudicio pro eiusdem restitutione in pristinum agit ipse patronus ratione tum peculiaris suae devotionis atque decoris et ornamenti pro sua Ecclesia patronali, ita ut adeo iustae et piae petitioni assentire fas est ut advertunt Felin. in cap. ***Cum Venerabilis n. 37 de except. ».***

IURA PAROCHI. Parochus in suis animadversionibus duas refert litteras, ab actricibus datas die 2 Augusti, et die 1 Septembris, in quibus, notat Parochus, nullam fieri mentionem de decreto ab Archiepiscopo edito cui Parochus non obtemperaverit, sed submisse et simpliciter expeti ab Emo Archiepiscopo decretum edi ***restitutionis in integrum,*** atque instanter advertit unum sufficere archiepiscopi verbum, ut Parochus illico obediat.

Ex officio autem nonnulla animadversa fuerunt ***in meritum quaestionis.*** Et quia instantia tum ***in possessorio*** tum ***in petitorio*** promota est, antea de actione ***in possessorio*** aliquid disseram ; iuxta notam legem ***12 % 1 ff. De acquir. vel amitt. possession. « Nihil commune habet proprietas cum possessione ».***

Quare etsi Sorores Frencia proprietatem retinuerint depictae tabulae, tamen inquirendum est coram quo habita sit possessio. Iamvero ex ipsis actricum assertionibus patet, ipsas usum cessisse s. Imaginis, ut in perpetuum haec exponeretur publico cultui; unde videtur exinde constituta ***servitiis usus*** favore Ecclesiae parochialis s. Ioannis et hac ratione fuisse limitatum ius proprietatis apud Sorores Frencia. In ipsis vero s. Imaginibus intelligi huiusmodi servi-

tutes, usus et ususfructus, probat Fagnanus aiens, ad cap. ***Pastoralis, De his quae fiunt a Praelat., n. 15.*** « Privata persona non potest habere oblationes vel ***ususfructum*** alicuius rei religiosae, quales sunt picturae, vel imagines Sanctorum etc ».

Leges vero positivae rom. et canonicae liberum exercitium eorumdem iurium tueri statuerunt non tantum per remedia ***petitoria,*** sed etiam per ***possessoria;*** constituta iurium ***quasi-possessione;*** ad rem haec docet Reiffenstuel, cum communi Canonistarum, ***tit. De causa poss. et propriet. n. 6:*** « Unde incorporalia sicut non possunt corporaliter apprehendi seu detineri ita proprie non possidentur, sed dicuntur ***quasi possideri;*** prout liquet ex c. ***Cum Eccles. 3 h. t.,*** et c. ***Constitutus 16 De foro compet.,*** ubi Pontifex possessionem iuris spiritualis eligendi appellat ***quasi possessionem.*** Quod ipsum Glossa in cit. cap. ***Conquestus,*** vers. ***Quasi possessione,*** extendit ad omnia ***iuria spiritualia ;*** et ***Servitutes ;*** arg. 1. ***Sequitur, § Si viam ff. De usucapión.*** Concordat textus in 1. ***Si quis diuturno ff. Si servitus vendicetur,*** ibi : *SY ***quis diuturno usu et longa quasi possessione ius aquae ducendae nactus fuerit*** ». Quocirca ***quasi possessio usus*** s. Imaginis competit ***usuario*** seu Ecclesiae Parochiali et populo christiano huic usui admisso, nec non sororibus Frencia, non quatenus dominium habent s. Imaginis, sed quatenus in populo christiano comprehenduntur. Dumtaxat indirecte seu quia ius Can. admittit etiam ***actiones populares,*** prouti explicat Cardin. De Luca ***De iud. disc. 12, n. 6,*** actrices possent intelligi huiusmodi actionem habere, nomine populi Christiani, qui prohibitus sit, ***per spolium,*** a veneratione s. Imaginis. Sed ***vim actionis popularis*** iam explicavit Paulus in ***%lff> De popul. actionibus,*** aiens : « ***Eam popularem actionem dicimus quae suum ius populi tuetur*** ». Quocirca incongruum est admittere exercitium huius actionis, quando populus non indubie significavit, suum ius nullam passum fuisse iacturam. Atqui ex actis constat fideles admonitos fuisse de remotione s. Imaginis,

at ne unum quidem reclamasse aut signa dedisse reprobationis, auferendo donaria ad altare B. Virginis delata. Quocirca Sapientia EE. PP. deliberabit, an locus sit actioni possessoriae in themate.

Modo gradus faciendus est ad ***actionem petitoriam,*** qua actrices contendunt sibi iniuriam fuisse illatam ob non servatam pactionem cum Parocho initam.

Ast quaestio praeiudicialis moveri posset, an nempe valeat huiusmodi pactio, quum non accesserit Archiepiscopi approbatio, prouti ex actis constat. Siquidem praecipit Tridentinum Concil, ***sess. 25 De invocat. Sanctorum ;*** scilicet ***« Statuit s. Synodus, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, nullam insolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, nisi approbante Episcopo ».***

Verum uti docet Pignatelli ***cons. 186, tom. 9,*** huiusmodi praescriptio complecti non videtur Imagines venerari solitas, quarum cultus nullum scandalum nullumque praeiudicium in populo christiano parere valet. Nihilominus nemo non videt, Episcopis integrum esse iubere, nullam exponi publico cultui s. Imaginem,,absque eorum approbatione, ad praecavendas cuiusque generis perturbationes.

Pactio autem, de qua in themate, quatenus suam habuerit vim, illud tantum operari valuit, ut S. Imaginis ***usus*** concederetur Ecclesiae Parochiali, minime vero ***proprietas;*** quare invocari non potest praescriptum Const. ***Ambitiosae*** ordinatum ad ***res Ecclesiae alienandas*** seu distrahendas ab eius patrimonio. Huc spectat auctoritas Card. Petra in suo commentario ad hanc Const. aientis : « Haec S. C. Concilii denegavit licentiam Abbati generali s. Basilii Magni donandi Clero cuiusdam in Sicilia Reliquiam insignem s. Pancratii die 14 Ian. 1792. ***Et etiam in translatione Imaginis devotae ab una Ecclesia ad aliam requiri beneplacitum*** (nempe S. Sedis) ac non sustineri eam factam nec esse approbandam, censuit ***S. Congr. in Nullius Ferentilli 31 Iul. 1706.***

Porro, ***usus*** qua talis, alicuius s. Imaginis exponendae non est res pretio aestimabilis, prouti est tabula depicta ;

et tantum intelligitur pretio aestimabilis, quatenus secumfert fidelium oblationes et eleemosynas, veluti patet ex citato textu Fagnani, seu quatenus ***usus*** parit ***ususfructum.*** Sed, in casu, substituta fuit alia Imago B. V. a Rosario atque omnes asserunt, cultum nullam passum fuisse iacturam, neque Ecclesiam amisisse fidelium eleemosynas ; quod est veritati consentaneum quum non ageretur de veteri Imagine, cultus et prodigiorum antiquitate insigni, sed de Imagine recens exposita et depicta.

Quamobrem in hac Imagine removenda nulla videtur facta fuisse alienatio iurium Ecclesiasticorum; nullumque expostulari beneplacitum S. Sedis ; ast patet rem totam spectare ad illud ius quo pollet Episcopus, divini cultus ad normas iuris com. moderator et custos, iuxta Tridentini decretum in ***loc. cit.*** ita expressum: ***€ Postremo tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, -ut nihil inordinatum aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil prophanum nihilque inhonestum appareat, quum Domum Dei deceat sanctitudo ».***

In themate autem non agitur de cultu variando aut prohibendo, sed dumtaxat de materiali s. Imaginis substitutione; seu agitur de renunciatione facta ***iuris usus;*** nempe initi contractus. Parochus asserit se huic renunciatum et s. Imaginis restitutioni operam dedisse ex Archiepiscopi imperio. Iamvero si hoc admittatur, nulla adest difficultas quo minus rata et firma dicenda sit huiusmodi rescissio pactionis, quum Praesul iudicaverit hoc bonum opportunumque esse.

Si vero Parochus, marte suo, huic iuri cessit, videretur, nihilo secius, sustinenda huiusmodi deliberatio, quum ex actis constet, hanc conventionem initam fuisse tantum a Parocho, nullo curiae accedente consensu, et aliunde ***quaecumque res per quas causas nascitur per easdem dissolvitur.*** Ceterum haud dubium est, ex Parochi sententia, huiusmodi remotionem et ipsi Parocho et Ecclesiae non parvam peperisse utilitatem.

Praeterea dicendus est, quacumque in hypothesi, Archiepiscopi consensus non defecisse nempe ***ex ratihabitione,*** quia remota iam s. Imagine, Ipse quum sua auctoritate id iubere posset, non praecepit, Imaginis in pristinum locum restitutionem neque contra factum protestatus est, unde viget ***regula 10 iuris in 6: «Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari ».***

Principia vero quae invocantur in decis. Rotali Wlatislavien. videntur se referre ad aliam ***facti-speciem,*** quia ibi agebatur de remotione facta a Vic. generali, invito Parocho , de imagine antiquitate et prodigiis veneranda, quae substitui non poterat quaeque sibi specialem conciliabat universi populi venerationem. Vicarius generalis certe alienare non valet quae sunt in patrimonio Ecclesiae.

In alia decisione Rotali coram Calcagnino diei 23 Iunii 1742 agitur de s. Imagine depicta exterius in quadam domo quarumdam monialium, quae domus continebatur intra fines Parochiae Basilicae Lateranensis. Res erat de transferenda hac Imagine ad quam populus frequens concurrere solebat, quare ad Eius pedes pingues deferebantur oblationes. Hanc s. Imaginem sibi vindicabant et Ecclesia Parochialis et Moniales; eamque s. Rota adiudicavit Ecclesiae Monialium.

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An iure remota fuerit a publica veneratione Imago B. M. Virginis a Rosario in casu.***

II. ***An sit locus restitutioni s. Imaginis in pristinum locum et damnorum re fectioni in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 17 Iunii 1899, censuit respondere : Ad I. ***Affirmative et amplius.*** Ad II. ***Negative et amplius.***

FOROLIVIEN.

MATRIMONII

Die 29 Aprilis 1899.

Sess. 24, cap. 5, de ref. matr.

COMPENDIUM PACTI. Die 23 Ianuarii 1889 in Ecclesia Archipresbyterali s. Cassiani in Appennino, Dioecesis Brictinoriensis, servata forma Tridentina, Antonius et Ioanna matrimonium inierunt, in aetate ille annorum 26, haec 23 constituti.

Hae nuptiae licet tribus abhinc annis conciliatae fuerint, quo tempore sponsi mutuo amore se prosecuti sunt, tamen narratur, mulierem tribus mensibus ante matrimonium animum mutasse ; adeo ut Ioanna Antonio haud nupsisset, nisi aliquam parentum coactionem subiisset. Sed quidquid sit de hac re, certum est quod brevi post, hoc coniugium infelices exitus habuit. Etenim, vix quinque elapsis diebus ab initis nuptiis, mulier virum reliquit, animo non amplius revertendi, ea potissimum ratione ducta, quod vir Antonius ad coniugalia officia explenda omnino impar esset.

Archipresbyter loci s. Cassiani frustra tentavit coniuges ad mutuam cohabitationem adigere, eosque super hoc gravi negotio separatim interrogavit et ab utroque accepit frustra inter se copulam tentasse, quia vir partes suas maritales in coeundo explere nequiverat ; quin imo a muliere addebatur, quod ipsi ante matrimonium pluries coire tentarunt, numquam vero vir vas mulieris penetrare potuerat.

Hac de re Ioanna paulo post ad Episcopum Brictinoriensem supplicem misit libellum, petens ut supra matrimonii nullitate ob viri impotentiam iudicium institueretur. Revera eodem anno causa processualis in Curia Brictinoriensi initium habuit ; sed qua de causa huiusmodi processus ad exitum perductus non fuerit, ex actis non plene constat.

Interim vir, volvente mense Novembri 1891, impio ausu, vinculo, ut aiunt, civili novas nuptias conciliavit, et ex hac

adulterina unione plures habuit filios ; quare nunc poenitentia ductus ac percupiens legitimationi prolis prospicere ad Sacratissimum Principem recursum habuit, postulans dispensationem a matrimonio rato, quod cum Ioanna contraxit, quodque tunc temporis consummari non potuit ob suam transitoriam inhabilitatem, ex syphilitico morbo contractam.

Iuxta morem oblatae preces ad Curiam Foroliviensem transmissae fuere, ut super asserta inconsummatione et causis ad dispensandum, processum instrueret. Revera, auditi fuerunt coniuges, atque utriusque partis septimae manus testes, nec non medici qui corpus viri inspexerunt atque syphilitico morbo curarunt. Aceita etiam fuit mulier ad suam virginitatem iudiciali medicoque examine firmandam ; sed hoc subire renuit, quum sui corporis copiam alteri fecerit.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Omissa igitur quaestione de matrimonii invaliditate ex metu, inquirendum est utrum locum habere possit ipsius matrimonii dispensatio. Certe Summus Pontifex pro suprema qua gaudet potestate indulgere potest dispensationem super matrimonio rato et non consummato. Talis autem dispensatio concedi haud potest nisi moraliter certo constet de eius inconsummatione et adsit gravis causa. Cum autem in praesenti casu certo constet, virum et mulierem per quinque dies noctesque simul cohabitasse et condormisse, habetur fortissima praesumptio de matrimonii consummatione, contra quam non admittuntur probationes nisi sint plenissime concludentes. Hae autem probationes habentur per iuratam coniugum confessionem, septimae manus testimonium et corporum inspectionem cap. ***Laudabilem*** de frigid, et malef. ; Instruct. ***Cum moneat*** S. C. C. Ad partium porro depositionem quod attinet tum vir, tum mulier concorditer affirmant nunquam se cognovisse, licet per quinque noctes condormierint. At licet membrum vas mulieris

aliquantisper penetrasset, tamen matrimonium haud dici potest consummatum sine seminum commixtione, ex qua fit una caro.

Utraque pars simul aeque convenit in asserenda matrimonii inconsummatione et in eius causa determinanda, nempe, inhabilitate, licet temporali, viri ad coeundum, quam ipse vir ingenue fatetur. Nec ulla inter ipsos collusio est pertimescenda quia, uti ipsi et testes deponunt, a die separationis nullum unquam inter se commercium habuere, nec alter alterum unquam vidit nisi semel tantum, qua occasione alapa a viro fuisse percussa mulier testatur.

Ad testes quod attinet licet de matrimonii inconsummatione nihil directe et explicite asserere possint, tamen omnes unanimiter testantur de impotentia, qua vir laborabat ac proinde implicite matrimonii inconsummationem fatentur omnesque praedicant utriusque partis sinceritatem atque veracitatem, licet de mulieris honestate non omnes bene sentiant.

At audiamus medicos, qui viri corpus inspexerunt, quorum primus extraiudicialiter ; alter vero de mandato Curiae Brictinoriensis inspectionem peragisse asserit in sua relatione ; et licet neuter uti peritus iudicialis habeatur, tamen eorum depositiones coram iudicibus factae ac iuramento firmatae maximi momenti sunt habendae. Doctor igitur Theodorus Prati qui Antonium inviserat, quando morbo laborabat, testatur: sese censuisse hac in conditione viri consummari matrimonium nequivisse, deficiente penetratione in vase mulieris; quae penetratio ex morbo praepediebatur.

Aliter sentire videtur Doctor Alexander Amaducci, qui censuit possibilem copulam ex normali conditione viri in momento inspectionis. Quare hi duo periti sibi contradicere videntur, quod enim prior negat secundus affirmat. At notandum est Doctorem Amaducci suam inspectionem peregisse die 2 Iunii 1889 quando ipse Antonius a morbo plene convaluerat ac proinde iudicium suum non refertur ad statum infirmitatis, sed sanitatis, quando, nempe viri genitalia a

morbo plene sanata, aptitudinem ad copulam recuperaverant. Nam et Doctor Prati asserit morbum perdurasse 50 circiter diebus, et ideo mense Februario decurrente plene convaluit atque habilis factus est ad copulam. Nil igitur mirum si Doctor Amaducci mense Iunio ad copulam habilem ipsum invenit. Ergo Antonius licet tunc temporis a morbo plene convaluisset adhuc tamen praeseferebat indicia siphilidis, ex qua venit anaphrodiosis licet temporanea et sanabilis uti reapse fuit, ac proinde dicendum quod Doctor Prati invenit Antonium siphilide affectum, Doctor vero Amaducci a morbo sanatum quidem, sed ipsius morbi signa adhuc habentem. Uterque igitur Doctor in eamdem sententiam convenit, Antonium, nempe, morbo siphilitico fuisse affectum ac proinde per id temporis, quo tali morbo afficiebatur, impotentia coeundi laborasse, unde matrimonium consummare haud potuit.

Quare sive ex mutua partium confessione, sive ex testium depositionibus concludendum mihi videtur reapse constare de matrimonii inconsummatione ex capite impotentiae pro parte viri.

Deest vero tertia conditio nempe iudicialis inspectio corporis tum viri tum mulieris. At in casu praesenti talis inspectio nullo modo fieri poterat. Non poterat sane inspici corpus viri, qui utpote a morbo sanatus, habilis factus est ad copulam peragendam et matrimonium consummandum, uti factum comprobavit cum iam habuerit duos filios ex muliere, cum qua ab aliquibus annis vivit, vinculo tantum civili coniunctus. Nec i a corpus mulieris perfici poterat inspectio, cum ex plurium testium depositione non valde honeste ipsa vivat, et uti asserit Archipresbyter s. Cassiani in attestatione de eius vita et moribus, quam Iudici exhibuit postquam ipsa virum reliquit « ***publica opinio in eam dicere coepit et nunc quoque dicit, ratio quia cuidam viro famulatu est, cum quo malam consuetudinem retinet, imo bis vel ter peperisse fertur*** » et ipsa Iudici interroganti an modo adhuc sit virgo, negavit. Post haec ad quid inspectio eius corporis ? Quare nullius momenti erat hoc in casu inspectio

corporalis, tum viri, tum mulieris. His addatur talem inspectionem per se constituere probationem tantum adminiculativam et adhibendam esse praecipue quando coniuges sibi contradicunt, dum nempe unus negat alter affirmat consummationem matrimonii, quando autem uterque convenit in affirmanda inconsummatione et eorum sententia confirmatur testimonio septimae manus, tunc iuxta c. ***Laudabilem*** de frig. et malef. habetur moralis certitudo quod matrimonium non fuerit consummatum.

Cum ergo ex disputatis appareat matrimonii inconsummatio, inquirendum restat utrum adsint graves causae ad huius matrimonii dispensationem indulgendam. At huiusmodi graves causas adesse evidenter in mutua animorum alienatione, scandali reparatione, prolis legitimatione et conscientiae pacificatione, quae sunt causae sat graves ut sperari possit dispensatio a Summi Pontificis benignitate.

Ut igitur meam sententiam, quaecumque sit, proferam, dico constare de inconsummatione matrimonii rati ac proinde consulendum esse SS. pro eiusdem dispensatione.

VOTUM CANONISTAE. DUO sibi perficienda esse, ait consultor, ad rem sibi commissam exauriendam, nempe :

I° An constet de Matrimonii nullitate in casu.

Et quatenus negative :

2° An sit consulendum SSmo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu.

Ad primam quod attinet quaestionem animum vere cornino vent verba Hormisdae Giunchi Archipresbyteri s. Cassiani qui Matrimonii ritui praefuit. Hic enim asseruit Ioannam bis aut ter rogatam fuisse ut assensum praeberet: cuius rationem explicat Antonius aiens : dubitavit illa forsan, suum praebere assensum eoquod me noverat impotentem ad coeundum tres menses ante matrimonium.

His attentis nil mirum si Tribunal Foroliviense concluserit: ***Progressu Iudicialis causae non levia dubia nullitatis exorta esse.***

Revera, cum certum sit Matrimonium actu quo contrahi-

tur et uti aiunt ***in fieri*** (Grury ***de Nat. Matr. art. 1, n. 745)*** in ***vero*** seu mutuo, de praesenti, deliberato et voluntario consensu signis externis manifestato sic consistere, ut in aliquo eodem deficiente non stet Matrimonium, neque in ***fieri*** neque in ***facto esse.*** Cumque dicatur cap. 14 De Spons. et Matr. : ***Matrimonium debere plena libertate gaudere,*** quae canonum vv. sic cl. Deangelis hic n. 4 commentât: ***Ecclesia in Matrimoniis vult plenam libertatem, omnem timorem vult esse exclusum*** subiungens quod addit cap. cit.: ***ne per timorem dicat sibi placere quod odit et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire;*** rem oporteret concludere cum parocho, qui censuit defuisse in muliere consensum internum.

Ut ergo intimius quaestionem ingrediamur et de voluntate iudicemus, quam attulit mulier ad actum matrimonii et quemnam consensum vere actui eidem praestiterit, parum interest, credo, in metu, vi, vel minis et etiam matris officiis insistere in casu, neque enim magni ponderis haec omnia mihi videntur fuisse, neque mulier talis quae his serio turbari posset. Converti nos potius oportet ad ideam considerandam et iudicium quod fixum erat mulieri de positiva inhabilitate viri cui nupsisset, cuiuscumque haec naturae esset, quod nesciebat.

Profecto, id maximopere eam commovere debebat cum certa esset, inutilem ei futurum esse hominem illum. Hinc non aliter puto sibi has nuptias imposuisse importunitatibus etiam parentum et propinquorum divexatam quam hoc modo : ***fiat tandem hoc matrimonium, experiar adhuc, verum si et inutile hoc erit, illico eum deseram et pro semper.***

Nunc, ad quid haec animi mulieris dispositio reducitur? Ad summum ad consensum praestitum sub conditione, et sub conditione de praesenti : ***ei nubo si est potens, secus non nubo*** et relinquam eum illico. Atqui Matrimonium sub conditione honesta et possibili docent Canones et Canonistae quantumcumque illicitum validum esse, vel non validum, secundum quod conditio verificetur vel non ; et cum conditio

sit de praeterito vel de praesenti non suspenditur obligatio sed statim aut firmatur aut tollitur ; cap. V ***De Cond. ap-p>os.*** etc. ; Deangelis ***prael. lib. 4, tit. 5, nn. 1, 3.*** Ergo etc.

Sed videretur esse inhonesta conditio in casu et ex cap. 7 tit. cit. pro non adiecta esset. Inhonesta in se, minime gentium ; inhonesta quoad modum verificationis, transeat, vel etiam concedo, id quod tamen non obstat : Deangelis ***I. c.*** Inhonesta autem conditio habetur pro non adiecta ex praesumptione iuris quod non serio adiecta fuerit, quae praesumptio cederet veritati in casu nostro ; Deangelis ***I. c. n. 4.***

Attamen quamvis a citatis hucusque locis processualium tabularum et a pluribus aliis consonis satis emergat hanc fuisse Ioannae voluntatem in contrahendo, ulterior nihilominus hac de re exploratio et accuratius habita tutiores nos redderet si prima hac quaestione rem dirimere vellemus reponendo ad 1[um] ***Affirmative.*** Hinc dicerem potius: ***Dilata et ad mentem*** quae deberet esse : Interrogetur iterum Ioanna super his : perlegatur depositio et respondeat viro asserenti ante matrimonium sex menses copulam carnalem habuisse perfectam cum futura coniuge.

Si ad quaestionem alteram dispensationis sermo convertatur, duo serio probanda essent : Matrimonium consummatum non fuisse, et rationes adesse quasi dicerem Canonicas pro dispensatione.

Quoad primum : non parum certe adest, collatis invicem testibus, quare imprimis fides viro adhibenda sit asserenti copulam perfectam non adfuisse ; quod firmatur per mulieris depositionem.

Non parum adest, collatis omnibus quae a partibus aliisque dicuntur, quare sub aliqua veritatis specie statuatur Matrimonium in casu consummatum non fuisse.

Testes septimae manus ex parte seu viri seu mulieris sunt omnes ex auditu quoad consummationis factum eiusque rationibus, ex auditu inquam partium aut vulgi ; hinc quoad istud credibibilitati rei neque addunt neque detrahunt.

Favet imprimis, D[em]. Prati intervenire, quatenus ab ad-

ducto morbo Antonium curaverit, et tempore amussim indicato idest mensibus Ianuario et seqq. 1889 ; ***2.*** D[em] Amaducci inspectionem peregisse Antonio iam valetudini restituto; 3. ambos intervenisse in primo Brictinoriensi processu, cum viro non erat in votis dispensationem largiri; 4. demum eosdem incontestabili scientia pollere et fidem undequaque moereri.

Nunc autem vocatus iterum D. Amaducci Brictinorii ex delegatione Curiae Forolivien. Ad Interr. 4 et seqq. ait quae supra attulimus. Evidens est spectatissimum virum id unum sibi proposuisse; non diiudicandi nisi de eo quod videret.

His omnibus consideratis, et considerato praesertim, ob brevissimum tempus quo convixerunt partes, et quod eo tempore indubitanter morbo venereo affectus erat vir, totam rem peritorum iudicio deferendam esse, in sententiam Doctoris Prati concédèrent, Matrimonium in casu consummatum non fuisse. Nihilominus cum ad moralem externam certitudinem assequendam multum prodesset in casu explicitior concordia inter Doctores ; hinc, supposito causas non deesse ad elargiendam dispensationem, quod mox videbimus, quaestionemque velle dirimi hoc ex capite, quod melius certo esset ; praemisso ad 1[um] dubium : ***provisum in secundo,*** ad 2[um] dicerem: Dilata, et ***vel*** Dr. Amaducci iterum et plenius interrogetur eique postea Doctoris Prati examen perlegatur ad exceptiones si quae esse possent producendas : ***vel*** per R. P. D. Secretarium S. Cong. Doctoris periti iudicium exquiratur super relationes et dicta Doctorum peritorum iudicialium in casu.

Ad causarum quaestionem devenientes, praecipuas, quae favent in casu nostro, attingamus. Suspicio nullitatis, ne spernenda quidem ut initio locuti sumus, causam haud levem praebet. Sit quod eadem legalium probationum defectu ad matrimonium solvendum non valeat, ad idem tamen dispensandum suapte 'natura movere debet.

Gravissima est causa vinculum civile Antonium inter et Malvinam Bargozzi quinque abhinc annis contractum.

Neque hic dicatur ex cap. 14 ***De usurisi Frustra legis auxilium invocat qui committit in legem.*** Resipuisse Antonium, et velle sibi consulere testes sunt et in primis Ordinarius. Quomodo vero id ipse consequetur nunc temporis adversum inexorabile ius et consequentias eius ? optime ad rem Coscius, ***lib. 3 de Sep. Tori cap. 2, n. 106,*** ait: ***Summi Pontificis est hoc remedio coniugum quieti providere eorumque saluti spirituali et temporali, auferre peccatorum occasionem et animarum periculis occurrere.***

Accedit huic causae, quod provideretur legitimationi prolis Antonii : ***Ad dispensationem saepe et merito pro causa allegari solet legitimatio prolis,*** ait Reiffenstuel ***lib. 4, tit. 17.***

Nonne etiam ex parte sponsae haberetur causa gravis dispensationis obtinendae cum, uti videtur, incestuose vivat prolemque semel atque iterum genuerit?

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO.

Coniuges, qui iam ambo dimicant adversus matrimonium, in dubium tum illius revocant valorem, quasi mulier nupserit invita, tum consummationem. Sed immerito.

Enimvero quoad primum, praeterquam quod facta exulant necessaria ad coactionem astruendam, peremptoria est ipsiusmet Ioannae confessio : nam etsi primitus non responderit Parocho roganti, secundo assensum praebuit, quia iam statuerat nuptias inire ut illa asseruit.

Neque ad matrimonii tuendum valorem opus est ut demonstrent Ioannam Antonio non nupsisse ***a malincuore.*** Mirum namque non est quod Ioanna nuptiis villici Iosephi Succi, cui non minus quam Antonio copiam corporis fecerat, inhiaverit; sed cum in perditis ac desperatis eas haberet, Antonio denubere potius quam meretricium cum Iosepho exercere statuerit, praesertim quia morbum necdum plene cognoverat, quo afflictabatur Antonius.

De praetensa autem matrimonii inconsummatione, cum extra controversiam sit condormitio coniugum per quinque noctes, agi nequit, nisi certa sit vel physica mulieris virginitas vel impotentia viri. Iam vero in confessis est fio-

rem virginalem a Ioanna amissum fuisse, nec viri, cuius comperta est potentia ***habitualis,*** in probatis est impotentia ***temporalis.***

Relationes namque facti speciminis in corpore Antonii a peritis Alexandro Amaducci et Theodoro Prati, nihil probant, quia I° explorationes illae omnibus destitutae sunt circumspectionibus a iure requisitis ut in pretio haberi queant; et a medico Prati non statim factae explorationis relatio, sed aliquot post menses est scripta; 2° medici temporalem illam impotentiam non ***certam*** habent, sed tantum ***possibilem.***

Perperam lectissimi contradictores arbitrantur Theodorum Prati a perito Amaducci dissentire. Huc accedit quod medicus Prati studium suffragandi actori manifeste prodat. Ceterum et ipse medicus Prati ad quaestionem: « Referat explicationes quoad morbum Antonii » reponit: sese non excludere possibilitatem habendi copulam et matrimonium consummandi in infirmitate, qua Antonius afficiebatur.

Nec relevat confessio coniugum. In primis enim vir consummationem potius matrimonii quam inconsummationem confitetur.

Deinde, confessio coniugum, quantumvis conformis, iurata et septima suffulta manu, nunquam tamen ex se rem certam facit.

Hisce animadversis proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An constet de nullitate matrimonii in casu.***

Et quatenus Negative :

II. ***An sit consulendum SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C C. re disceptata sub die 29 Aprilis 1899 censuit respondere: Ad I. ***Negative.*** Ad II. ***Ex deductis non constare de matrimonii non consummatione.***

SORANA

IURIUM

Die 29 Aprilis 1899.

Sess. 22, cap. 8, de Ref.

COMPENDIUM FACTI. In oppido vulgo ***Gallinaro*** dioecesis Soranae, duae a remotissima aetate extabant Ecclesiae parochiales; altera sub titulo S. Leonardi; sub titulo S. Nicolai altera; sed hodie, dirutis Ecclesiis seu solo aequatis, bini supersunt tituli parochiales, qui, ordinario iure, duobus sacerdotibus conferuntur pro explendis muniis parochialibus. Verum ***una*** tantum Ecclesia S. Ioanni Baptistae et Evangelistae dicata functionibus parochialibus obeundis destinata est, et istam appellat ***suam*** Ecclesiam unus et alter parochus. Parochus, cui titulus S. Nicolai, honestatur ***Archipresbyteri*** nomine: alius cui titulus S.Leonardi, ***Abbas*** vulgo nuncupatur. Quia iuribus parochialibus aeque pollet et Archipresbyter et Abbas ; proinde quisque suis subditis sacramenta administrat; sacra vero in Ecclesia parochiali ***alternis hebdomadis*** explent duo parochi, nempe concionem habent ad populum die dominica, et docent Catechesim alterna vice. Nihilominus plane intelligitur, quanam ratione controversiae usque exarserint Archipresbyterum inter et Abbatem de sacrarum functionum ordinatione et de praecedentia in iisdem obeundis ; quamobrem hodie etiam apud S. C. C. quaeritur an praecedentiae ius et honos competat Archipresbytero in solemnioribus functionibus.

Praeterea alius et gravior subest discordiarum fomes in constitutione harum parochiarum. Siquidem ***utraque*** Ecclesia parochialis nonnullas iampridem habuit filiales Ecclesias seu ***cappellas.*** Primitus quinque recensebantur in oppido Gallinaro ***cappellae*** seu ***beneficia simplicia,*** quae suos habebant Clericos Rectores ; et in hos, contradicente nemine, et iurisdictionem seu ***primatum*** et praecedentiam exercebat

Archipresbyter. Progressu aetatum non amplius destinati sunt speciales Rectores hisce ***bnefidis*** seu ***cappellis ;*** sed alterum ***beneficium*** nuncupatum ***S. Salvatoris*** adiunctum fuit beneficio Archipresbyterali a. 1559; duo nempe beneficia ***S. Oer ardi*** et ***S. Mariae supra gyrum*** a. 1667, beneficio Abbatiali ; et reliqua aliis Ecclesiis circumstantium oppidorum adiuncta fuerunt.

Ex hoc tempore, asserit Abbas S. Leonardi, Archipresbyteri iurisdictionem et iura praecedentiae in clerum oppidi resoluta fuisse, quippe non amplius constituti sunt Rectores filialium Ecclesiarum.

E duobus ***cappellis*** seu ***beneficiis*** quae assecutus est Abbas S. Leonardi, omnium longe praestantissimum iamdiu extitit beneficium et sacellum S. Gerardi, cuius mortales exuviae inibi asservantur. Non enim incolae tantum oppidi ***Gallinaro,*** sed oppidani late circumstantes divum Gerardum magna devotione prosequuntur ad eumque turmatim accurrere, stato tempore, solent, plura eaque pinguia et omnigena donaria deferentes. Inde alia controversiarum occasio; quoniam Archipresbyter vel oblationum partem vel earumdem administrationem sibi vindicare cepit, nec non contendere non pleno iure neque in perpetuum beneficium S. Gerardi fuisse concessum Parocho S. Leonardi.

Huiusmodi quaestiones, vehementius sub hisce postremis annis agitatae, delatae sunt ad Curiam Episcopalem ; et haec in primis incubuit in perquirendis antiquis documentis, quae docerent statum et iuridicas relationes contendentium Ecclesiarum. Exinde e latebris Archivii in lucem vindicatum fuit quoddam decretum Episcopi Giovanelli qui occasione S. Visitationis a. 1610 iussit, in Sanctuarium S. Gerardi neque Archipresbytero neque Parocho immediate competere curam et munus Administratoris, sed immediate Episcopo; cuius erat Sacerdotem, pro suo arbitrio, ad hoc munus destinare. Huic evulgato decreto neque Archipresbyter, neque Abbas acquieverunt et apud S. O. C. instarunt pro suis tutandis iuribus quae arbitrabantur isto decreto pessumdari.

Verum quia nihil certi deductum fuit adversus edictum Episcopi Giovanelli, rescriptum, fuit die 10 Iulii 1897: ***Serventur decreta S. Visitationis.***

Quum lites ardentius excitarentur, Episcopus occasione s. Visitationis die 10 Sept. 1897 decretum edidit, ut dirimerentur tres priores quaestiones quae animos apprime agitabant.

Et quoad primam quaestionem constituit : I. directionem Ecclesiae s. Gerardi cum annexis oneribus esse debere penes Abbatem ***pro tempore,*** vi Bullae unionis concessae a Clemente IX, 11 Ianuarii 1667, quod postea ab Ordinariis recognitum fuit.

II. Praeeminentiam honoris esse debere penes Archipresbyterum ***pro tempore :*** scilicet competit eidem canere missam per dies solemnes in Ecclesia duobus parochis communi, excepta feria V maioris hebdomadae, Sabbato Sancto, die Paschatis, et sabbato ante Pentecostem ; quibus diebus functiones **fient** per turnum annualem : etc. eidemque competere moderari sacras functiones, quae non sint paroeciales, Abbati spectantes; ***ceterisque servatis de iure servandis.***

III. Administrationem oblationum pro Missis, aliisque precibus manere apud Ordinarium ; qui per delegatam personam, munus eiusmodi explebit.

Archipresbyter acquievit episcopali decreto, sed Abbas eidem contradixit quoad ***secundum*** et ***tertium*** punctum, appellatione interposita apud S. C. C.

Disceptatio synoptica

DEFENSIO ABBATIS. Abbas per adlectum procuratorem haec advertit. Dolet in primis advocatus editum fuisse decretum dum res ad S. C. C. iam erat delata, quamobrem Episcopo haud fas erat aliquid, sua auctoritate, decernere.

Meritum quaestionis dein ingreditur, sed a ***tertio*** exorditur ***capite,*** nempe a iure administrandi fidelium oblationes, quod ius, iniuria, asserit, Episcopum sibi vindicasse.

Advertit enim quod ubi primum pia fidelium munificentia, succrevit, quaesitum est cui cederent dona, quae ad ecclesias copiosissime ferebantur. Et responsum est, ea cedere Parocho, sive ad templum parochiale, sive ad reliquas intra fines Paroeciae Ecclesias et sacella ferrentur. Nec aliter si ferrentur ad aediculas, quas fideles in suis domibus exstruxissent aut denique ad coelitum imagines, quae saepius in parietibus exponi solent. « Nam Parochus est sequester et medius inter Deum et populum, et ut ad eum pertineat divina Dogmata et Sacramenta exhibere populo: ita versa vice ea quae sunt populi, nempe preces, sacrificia et oblationes quae a populo Deo exhibentur ad parochum pertinent » ***(Pirhing, Ius. Eccl. I. 3, tit. 30, sect. 7, n. 179.*** V. ***cap. Pastoralis, 9, de his quae fiunt, lib. 3, tit. 10, Decret.).*** Qua de re cum de Parochis egisset Decretalium compositor ***(lib. 3, tit. 29 decr.)*** continuo de decimis, primitiis et oblationibus, ***(lib. 3, tit. 30 decr.)*** continuo tractavit.

Haec ita commentatur Reiffenstuel : « Omnes et singulas oblationes, quae inter limites alicuius paroeciae fiunt, de iure communi ad loci parochum spectant, ita ut is pro se fundatam intentionem in iure habeat sive dein in, sive extra Ecclesiam parochialem e. g. in oratorio sive in sacello privato vel ad imaginem devotam aut miraculosam etiam in domo laici depictam, vel alibi, extra Ecclesiam intra limites tamen Parochiae existentem, offerantur : nisi aliud habeat loci legitima introducta consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione et voluntate » ***{ius. can. univ. ad tit. de dec, prim. et oblat., art. 9, § 190, vol. 3, pag. 457).*** Fagnanus haec habet: «Ecclesia Parochialis habet intentionem fundatam de iure communi super omnibus reditibus spiritualibus intra limites. Ex hoc infero ad quaestionem, an oblationes factae imagini alicuius Sancti depictae in pariete extra parochialem, sed infra limites paroeciae debeantur ipsi parochiali, nec ne... Haec igitur sit conclusio. Oblationes factae imagini Beatissimae Virginis vel alterius sancti depictae, vel aifixae in pariete seu muro

alicuius privati, debentur Ecclesiae Parochiali in cuius limitibus est illa imago... quod procedet etiam si oblationes fiunt ad altare in capella alicuius Ecclesiae. Nam nihilominus cedunt Parochiali, intra cuius limites Ecclesia illa sita est » ***(comm. in Decr. ad cap. 9, Pastoralis, de his quae fiunt, n. 13, 14, 16 et 25).*** Et denique, haec docet Augustinus Barbosa : « Verior et hodie receptissima sententia est quod sive in parochiali positae sint sacrae imagines : sive extra, intra limites tamen paroeciae, habet fundatam intentionem Parochus super omnibus oblationibus contingentibus intra limites et ad eum spectant » ***(de off. et pot. Parochi de oblat. cap. 24, n. 29).*** « Oblationes quae fiunt in parochia sunt parochi; et quae fiunt capellae vel picturae sitae intra limites paroeciae Sacerdoti rectori seu parocho illius paroeciae competunt ».

Qui non modo hanc regulam tradunt, pergit orator, sed ita interpretantur, ut in partem quae Parocho faveat, si quid dubium videatur, accipiant. Fieri potest ut in aliquo sacello sit minister (vulgo ***capellanus),*** qui sacris operetur, quique dona a fidelibus lata sibimet ipsi debere contendat. Sed responsum est, parochi iura sarta tecta servanda : et parocho, non sacelli ministro dona 'ista deberi. « Oblationes quae fiunt in capella vel oratorio sito intra fines paroeciae non capellae vel ***cappellano,*** sed Ecclesiae parochiali vel parocho debentur » (Pirhing. ***ius Eccl. I. 3, tit. 30 sect. 7, § 179).*** Haud aliter si Caelitum imagines Cathedrali in Ecclesia colantur : et Episcopus, in sua tamquam Ecclesia sibi stipem assumat : « Ampliata eadem conclusio ut locum habeat etiam in oblationibus factis sacrae imagini existenti in Cathedrali Ecclesia : quia non quaeruntur Episcopo sed Archipresbytero curam animarum ibi exercente » (Fagnanus ***loc. cit. n. 26).*** Nec aliter si sacerdos inter sacra muneribus a populo muneretur : « Ampliatur ut procedat etiam si oblationes offerantur in missa presbytero celebranti : non enim cedunt Presbytero, sed Rectori Ecclesiae » (idest Parocho) (Fagnanus ***ibid. n. 27).***

Unum et alterum S. Rotae affertur responsum. Quorum primo coercitus Episcopus qui imperio abutebatur; et Capitulum, quod curam animarum agebat, hisce donis spoliaret. Visum est enim tunc tantummodo dona a sacrorum Antistite lucrifieri, quum, nullius (quod rarum) paroeciae intra fines aedicula sita sit. « Domini responderunt pro capitulo, cui favet dispositio iuris communis, quia canonici sunt parochi et exercent- curam animarum verior et receptissima est sententia quod sive in Ecclesia parochiali positae sint huiusmodi sacrae imagines sive extra, inter tamen limites paroeciae, ad Parochum spectant. Episcopo solum debentur oblationes quando sacrae imagines reperiuntur extra omnem paroeciam» (S. Rota in ***Lünen. Sarzanen., Oblationum*** coram Merlino ***diei Lunae 8 Febr. 1627, t. 1, p. 5, rec. § 1 ad 4).***

Altero responso iudicatum est de donis, quae ad Ecclesiam haud Parochialem ferebantur. Placuit, autem, ut Parocho dona assignarentur. « Cum Dominis placuisset die 24 Maii 1610 capere resolutionem, erectionem Ecclesiae sub invocatione Beatae Mariae ad Praesepe intra fines Ecclesiae antiquae et Baptismalis loci de Paganica, ac dismembrationem partis curae animarum eiusdem esse nullam, suborta exinde est alia non levis dubitatio, ad quem spectarent Ecclesia erecta et oblationes illius. Omissa disputatione de Ecclesia, dubium proposui stricte ad oblationes. Et dictum fuit illas spectare ad Ecclesiam parochialem loci praedicti de Paganica, quia oblationes sunt de iure parochiali » (Rota coram Pirovano in ***Aquilan. Nullitatis erectionis. Die Lunae 20 Dec. 1610, 255, p. 1 etc.).***

Neque obstant speciales intentiones offerentium, advertit patronus ; nam haec Parocho relinquenda provincia, ut donata administret, et in sumptus, quos donantes praestituerint, fideliter eroget. Nec Episcopus ius habet nisi ad exigendas et examinandas redditiones rationum, ad mentem Concilii Trid. « Quod si ex intentione offerentium oblationes non ad Parochum, sed ad Ecclesiam vel alium finem

pertineant : Parochus tamen earum administrationem habet, non quidem ut eas sibi appropriet, sed ut ad debitum finem applicet» (Reiffenstuel, ***loc. cit. § 194).*** «Et quamvis haec conclusio sibi locum vindicet, nisi oblationes in certum usum ex piorum offerentium voluntate fuerint destinatae : in dubio enim solummodo spectant ad Parochum : et quoties a fidelibus praestantur ad certum finem, pro missis scilicet et fabricae, tunc ad Parochum nullo modo spectant, et voluntas eorum, qui eleemosynam seu oblationem dederunt praecise servari debet. Attamen advertendum est quod non habet quidem fundatam intentionem Parochus ad effectum ut hoc casu oblationes convertat in proprium usum, verum administratio oblationum etiam tali casu ad Parochum videtur spectare ex eodem iure parochialitatis : et qua ratione oblationes spectant ad Parochum, nisi fuerint in determinatum usum datae : eadem immo et maiori ratione ad eumdem Parochum spectat saltem administratio oblationum, quoties in certam causam sunt erogandae » (Barbosa, ***loc. cit. § 30).*** « Si oblationes fiant cappellae intuitu vel ad certum effectum... debent secundum voluntatem offerentium converti ad effectum destinatum... attamen semper est verum, quod illarum administratio spectat ad Parochum, uti sponsum Ecclesiae, qui illas tenetur convertere tantum in utilitatem volitam ab offerentibus... In his Episcopus nullum ius habet nisi in iurisdictionalibus revidendi rationes » (Card. Petra in ***const. Anastasii IV, sect. 2, § 19).*** « Pro administrandis oblationibus, quae ex pietate fidelium continuo confluebant ad imaginem Beatae Mariae gratiarum, existentem in quodam muro extra unam ex portis Civitatis Ducalis, ad effectum perficiendae fabricae Ecclesiae iamdudum inceptae, elegerat Episcopus a biennio et ultra quatuor deputatos... Sed praetendente capitulo Ecclesiae Cathedralis, intra cuius paroeciae fines sita est imago praefata, administrationem praedictam ad ipsum privative spectare, habitus fuit recursus ab utraque parte ad S. C. C. Proposito itaque dubio : An administratio oblationum quae fiunt ad imaginem B. Mariae

gratiarum spectet ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis, vel potius ad Episcopum sive ad eius deputatos, et cui seu quibus danda sit manutentio in casu? S. C. responsum dedit: Spectare ad Parochum intra cuius paroeciae fines existit imago sub directione et superintendentia Episcopi » (S. C C. in ***Civitatis Ducalis die 22 Martii 1699, lib. 48 decret, quod Pallottini verb. oblat.).***

Descendens advocatus ad refellenda argumenta quae in suam sententiam attulit Episcopus, notat praecisum argumentum illud esse ; nempe aediculam Divo Gerardo dicatam Sanctuariis annumerari : in quibus haud Parocho, sed Episcopo donorum, quippe saepe ingentium, administratio demandatur. Quod ut probet Episcopus auctore utitur Cardinali De Luca, quem autumat id ipsum sensisse ***(Misceli, disc. 35, §7).***

At reponit patronus aliam esse mentem Card. De Luca qui tenet in celebribus ***sanctuariis*** ad quae dona pergrandia feruntur, conflatam ex hisce gazam a Parocho lucrifieri non posse. Liquet enim, haud ad Parochum locupletandum, sed ad decorem Ecclesiae tanta dona fideles attulisse : « Regula assistit Parocho potius quam Episcopo quoad oblationes. Ea vero plures patitur limitationes praesertim duas : Prima nempe ubi expresse aut etiam adminiculative et coniecturaliter constet de voluntate facientium oblationes et eleemosynas ut ipsi Ecclesiae seu certis usibus applicari debeat, non autem ut ipse rector impinguare tur, atque in privatos usus privatamque utilitatem convertat, cum tunc absque dubio ista voluntas servari debeat, eaque cuicumque iuris dispositioni praevaleat. Secundo, in idem, in ambiguo, ubi ipsarum oblationum qualitas vel quantitas eamdem verissimam voluntatem prae se ferre videatur, quia nempe oblationes ac eleemosynae essent magnae, vel etiam minutae, quae tamen ob nimiam frequentiam magnae quoque dici mererentur, atque verisimilem prae se ferrent voluntatem devel votorum ut pro fabrica vel ornatu seu dote illius capellae Ecclesiae deservirent » (Card. De Luca ***Theatr. ver. et iust.***

de decim. I, XIV, p. 3, disc. sex. % 9 et 10). At primo, quaestione oborta, illud censet De Luca, investigandum, an aedicula in sanctuaria referatur: nam aliter, quamvis magna sint dona, ea Parocho cedunt. « Hinc prosequitur, proinde dicebam quod pro congrua decisione procedendum videtur cum distinctione, quod, aut agitur de imagine de novo reperta, seu etiam de antiqua ad quam ob aliquas contingentias, sive miracula vera vel opinata, populus cum eleemosynis et oblationibus confluat. Et tunc qualescumque illae sint sub dictis limitationibus cadere debent, cum posterior priorem implicite continere videatur : omnino enim probabile est quod populus pro gratiis acceptis vel speratis, ad illam imaginem recurrendo cum eleemosynis et oblationibus, id agat animo donandi ipsi imagini et frequentius ut sumptuosa Ecclesia construatur ac dotetur et ornetur, non autem ad donandum Parocho vel Episcopo seu alteri Praelato ad privatam utilitatem... Aut vere agitur de antiquis Ecclesiis vel imaginibus ad quas singulis annis vel temporibus populus ex devotione vel consuetudine cum oblationibus et eleemosynis confluere solet... ut est casus oblationum in Ecclesia S. Mariae angelorum Assisii in die Portiunculae... et tunc istae oblationes et eleemosynae pertinent ad Parochum seu Rectorem tamquam fructus » ***(ibid., § 11 et 13).*** Mox autem, notat patronus, etsi agatur de sanctuario, et dona quae Parocho non cedant, agnoscit cl. Doctor ea a Parocho administrandi facultatem relinqui. « In primo casu intrat quaestio super administratione, in qua pro veriori magisque recepta opinione regula assistit parocho, quando certum sit de situatione intra limites paroeciae » ***(ibid.,*** § ***12).*** Quod si in alia, cavet orator, quam allegat Episcopus ***(misceli. Eccl. p. 4, disc. 35)*** controversia, diverso modo respondit Card. De Luca : ideo fecit, quia diutina Parocho consuetudo refragabatur. « Praesupposita in facto multorum saeculorum observantia et quoad concernentia custodiam et cultum S. Crucis, sive Insignis simulacri vultus Domini nostri Crucifixi Lucani, administratio fuisset

penes aliquot gubernatores saeculares, qui operarii nuncupantur, deputari soliti a Republica vel ab alia saeculari Universitate cum sola Episcopi approbatione seu confirmatione » *(ibid.,* § ***1).***

Quare, quod Episcopus obiicit, id in templum Gerardianum non cadit, infert advocatus, quod admodum distat a Sanctuariis. Illud putat aediculis aequiparandum, quas De Luca secundo memorat : ubi dona, statis lata temporibus, non modo Parochus administrat, sed lucratur « antiquae Ecclesiae vel imagines, ad quas' singulis annis vel temporibus populus ex devotione vel consuetudine cum oblationibus et -eleemosynis confluere solet ». Quod si velit, Sacellum s. Gerardi, instat orator, Sanctuariis aequiparari, haud Episcopo tamen sed Abbati administratio concedenda est : ea lege, ut in Ecclesiae utilitatem* donatum impendat ; nam « super administratione, pro veriori magisque recepta opinione, regula assistit Parocho » (De Luca *loc. cit.).*

Deinde transit orator ad refellendam aliam obiectionem depromptam ex decreto Episcopi Ioannellii. Et memorat in hoc decreto tria contineri, nempe. I. Quod administratio oblationum resideat vel penes archipresbyterum vel penes Abbatem, arbitrio Episcopi. II. Quod administrator rationem Episcopo reddat suae administrationis. III. Quod dona erogentur in Ecclesiae utilitatem. Quorum secundum et tertium , ait advocatus, sibi non contradicere. Primum vero explicat animadvertendo tunc aediculam s. Gerardi simplex beneficium fuisse, quod nondum Abbati adiunctum fuerat. Quapropter Episcopus eorum sententiam amplecti potuit, qui tenent simplici Ecclesiae Rectori donorum administrationem non competere, sed hanc Parocho deberi : eoque magis quod ante, acto tempore plura incommoda occurrerant : •quibus se Episcopus mederi ¡velle testatur. Et quum duo •essent in oppido Parochi, absque ulla divisione territorii sed tantummodo familiarum, potuit nunc uni nunc alteri administrationem concedere. Sed hodie res sunt longe immutatae quum beneficium s. Gerardi, Parochiali Abbatis beneficio

adiunctum sit. Quod sane necessario consequitur, decretum Episcopi Ioannellii hodie servari non posse: res enim incidit in casum, a quo incipere non poterat.

De tertia obiectione paucis se expedit orator, quatenus Episcopus contendit iustas causas fuisse administrationis avocandae. Nam contendit, has causas iustas non esse. Una tantum de causa, Parochus oblationum administratione privari potest: si nempe in hisce administrandis infidelis sit, at Abbatem non ideo Episcopus administratione privavit, quia infidelitate convictus fuerit: sed quia 1) eius decessor dicitur oblationes in suum lucrum convertisse ; 2) quia actualis Abbas rationes administrationis non reddit, vel non reddit debita forma; 3) quia duo Parochi inter se iurgantur. Sed ***primum,*** ait orator, neutiquam probari. Sed quamvis forte probaretur, haud iustum ob culpam decessoris, successorem, qui in culpa non est, poena mulctare. Quod ad ***alterum*** notat orator, Abbatem rationes reddidisse, quotiescumque Episcopus ab illo repetere voluit. Quod si forma debita non reddidit, ad formam, quam Episcopus indicet, servandam, in posterum paratus est. ***Tertium*** autem ut avocetur administratio nullo pacto cogit: sed tantum ut Parochus, cui administratio non competit, in officio contineatur, ne alium deturbet.

Adnotat dein orator quod diuturna et immemorabilis possessio Abbati suffragatur, unde novus titulus, quoad oblationes administrandas, isti comparatur.

Quoad secundum orationis caput, in qua Archipresbyteri praeeminentiam refellere studet, orator, primum argumentum desumit ex immemorabili consuetudine, quae, auctorum omnium sententia, ad praeeminentias quod attinet, potissima probatio est : ***Diuturna consuetudo in omni materia nimium attendenda est* et multo magis ac peculiariter attendi debet in ista materia praecedentiae, in qua totum facit consuetudo, quae omnimoda régulatrice dicitur*** (De Luca ***de res. disc. 19, n. 7).*** Factum vero consuetudinis comprobat testimonio seniorum loci, ex quo eruitur, Abbatem ab Archipre-

sbytero adeo semper independentem fuisse, ut uterque paribus iuribus potiretur, et omnia sacra alternis hebdomadis in communi Ecclesia celebrarentur. Et siquidem aliqui oppidani, instante Archipresbytero aliud testificati fuerunt: alterum exhibet horum testimonium, quo prius dicta rétractant et reliquorum testificationi accedunt. Testimonium oppidanorum comprobat advocatus pluribus documentis: et praesertim duobus relationibus, quae anno 1703 et 1803 Soranae Curiae missa sunt : Atque in una et altera et praesertim in prima, etiam ab Archipresbytero subscripta, de huiusmodi consuetudine sacra celebrandi per hebdomadam in diebus quoque solemnioribus, memoratur. « ***Nella chiesa ricettizia si benedicono per ebdomada dalli curati le candele e le palme... nel Sabbato Santo e quello della Pentecoste si benedice il fonte battesimale come si è detto di sopra. Nella chiesa ricettizia di s. Giovanni si cantano le Messe solenni in tutte le feste mobili per ebdomada, secondo il decreto di mons. Piccardie.*** Ex quibus postremis verbis alterum titulum ad fulciendam consuetudinem haurit advocatus : quippe quam Episcopus Piccardi per decretum sollemniter confirmant. Cuius decreti frustra exemplar Soranae Curiae expetitum est : ea enim respondit, se illud in tabulario non invenisse.

Denique aliam obiectionem advocatus praeveniens, desumptam ex iuribus honorificis, quibus olim Archipresbyter pollebat reponit haec hodie iura, tum immemorabili consuetudine, tum decreto Episcopi Piccardi abolita fuisse. Quod clarius patere dicit si horum iurium origo spectetur. Quam fundat vel in iurisdictione satis ampla, quam vetus disciplina Archipresbytero tribuebat, vel in existentia cleri receptitii, cuius Archipresbyter caput esse censebatur. At iurisdictio archipresbyteri dudum récessif e moribus : nec cleri receptitii ullum amplius ***Gallinarii*** vestigium est.

DEFENSIO EPISCOPI. EX adverso Episcopus percontatus de suo voto circa instantiam appellationis ab Abbate instauratam, per longam informationem retulit turpi ratione ex-

ceptum fuisse a populo Gallinarii opera Abbatis, qui clam populum agitabat contra decreti latorem. Defendit autem Ordinarius iustitiam decreti, utpote nullius laeserit iura. Quoad tertium caput decreti, quod est maximum hac in causa, adduxit auctoritatem Cardinalis De Luca ***Misceli, disc. 35, n. 7.***

« Post relaxatum mandatum de manutenendo ven tum fuit ad disputationem super petitorio, et proposito dubio, ad quem spectaret administratio oblationum, quae Imagini Sanctissimi Crucifixi a fidelibus illuc religionis causa confluentibus, offeruntur, An scilicet ad Episcopum, vel ad Capitulum, Domini responderunt pro Capitulo, cui favet dispositio iuris communis consuetudo eiusdem Ecclesiae, et particularis conventio inter partes inita.

« Iure inquam communi quia Canonici sunt Parochi, et exercent curam animarum , et licet antiquitus inter DD. fuerit controversia, An oblationes, quae Sanctis Imaginibus deferuntur, debeantur Episcopo, vel Parocho, et multi partes Episcoporum tueantur, ut Angel, in disputatione Incipien. in refulgenti in secundo dub. Maluet. de oblatio, in 4, dub. n. 14. Petro de Ubaldo de Canon. port. cap. 4, q. 16, et refert Decian. cons. 6, sub n. 7, 1. 2. Attamen verior, et hodie receptissima est sententia, quod sive in Ecclesia Parochiali positae sint huiusmodi Sacrae Imagines, sive extra, intra tamen limites Parochiae, habet fundatam intentionem Parochus super omnibus obventionibus contingentibus intra limites suae Parochiae et ad eum spectant, urgensque est textus in cap. ***Pastoralis,*** et ibi Canonistae de his, quae fiunt- a Praelat, sine consens. Capit, et text. in cap. ***Hanc*** 10, qu. 1, et in c. ***Dilectus,*** de Offic, ordin, ubi Abb. n. 4, qui subdit versio, quo ad primam, Episcopo solum deberi oblationes, quando sacrae Imagines reperiuntur extra omnem Parochiam, Felin. ibidem in princ, et n. 3, et Abb. in c. ***Quoniam,*** n. 1 de decim. ubi signanter, quod spectant ad Parochum, et non ad Episcopum. Capel. Tolos, ***dec. 483;*** Ferret, ***cons. 143,*** qui bene distinguit ***n. 2, 3, 4;***

Azor. ***Instit. moral, par. I, I. 7, c. 38, qu. 13;*** Decían, qui fuse pro Parocho contra Episcopum in his oblationibus, quae leoni Sanctiss. Crucifixi offerebantur consuluit ***cons. 16, per tot. I. 2;*** Guttier Canon. qq. ***I. 2, cap. 21, n. 162;*** Modern. Bononien. var. resolut. ***I. 2, cap. 42, n. 6, 7 et 8;*** Rice. dec. Neapol. 170, ***n. 7, part. 4,*** et hanc eamdem opinionem videtur amplexus D. Thom. in 22, ***qu. 86, art. 3,*** praesertim in responsione ad secundum argumentum, et expresse sequuta est Rot. in Aquilana ***Nullitatis in erectionis*** 20 Decembris 1610 coram R. P. D. meo Piro vano, quae est ***dec. 256, part. 1 recent.,*** et in Beneventana ***Spolii*** 2 Decembris 1585 et 2 Decembris 1587 coram Orano, ubi dictum fuit, oblationes factae in Ecclesia Cathedrali spectare non ad Episcopum, sed ad Archipresbyterum, qui curam animarum ibi exercebat, et ibi respondit S. Congregatio illustrissimorum Interpretum Concilii Tridentini in una Caven. Ius enim universale habet Parochus intra limites suae Parochiae, Mediusque est inter Deum, et Populum, unde quemadmodum dogmata, et Sacramenta, quae proveniunt a Deo exhibet Populo, ita vice versa exhibet Deo ea, quae sunt Populi, nempe preces et oblationes, et qui Altari serviunt de Altari participant, ut egregie ratiocinatur D. Th. dict. ***art. 2.***

« Et quamvis haec Conclusio sibi locum vindicet, nisi oblationes in certum usum ex piorum offerentium voluntate, fuerint destinatae, in dubio enim solummodo spectant ad Parochum, at quoties a fidelibus praestantur ad certum finem, ut in casu nostro pro missis, et fabrica, tunc ad Parochum nullo modo spectant, et voluntas eorum, qui eleemosynam, seu oblationes dederunt praecise servari debet, ut praecitati DD. monent, et praesertim Addent, ad Cappell. Tholos. dicta dec. 485; Modern. Bononien. dicto ***cap. 42, n. 1, I. 2;*** Rice, dicta 170, ***n. 1,*** et Rota in Bracharen. ***Oblationum*** 17 Dec. 1612 coram Reverendissimo Patriarcha Panphilio.

« Attamen advertendum est, quod non habet quidem fun-

datam intentionem Parochus, ad effectum, ut hoc casu oblationes convertat in proprium usum, cum debeant in usum a largientibus destinatum erogari. Verum administratio ha^rum oblationum etiam tali casu ad Parochum videtur spectare ex eodem Iure Parochialitatis, etiam qua ratione oblationes spectant ad Parochum nisi fuerint in determinatum usum datae, eadem imo, et maiori ratione ad eumdem Parochum spectat saltem administratio oblationum, quoties in certam causam sunt erogandae, cum et regulariter de istis oblationibus Parochus debeat esse fidelis administrator ac dispensator, partim convertendo in proprium usum, partim erogando in iis, quae concernunt cultum divinum, et partim ad pauperum inopiam sublevandam, ut per D. Thom. loco praeallegato, et de harum oblationum distributione idem sancitum fuit in Can. ***Vulteranae*** et Can. ***Quatuor*** 12, qu. 2, et quod huiusmodi oblationum solus Parochus habeat administrationem dixit Abb. in c. ***Postulastis*** n. 2, vers. ***Administrationem autem,*** de his quae fiunt a Prael. sine consensu Capit, et Ferret, d. ***cons. 143, n. 4,*** vers. ***Et quod.*** Et consequenter licet Canonici non possint con vertere in proprium usum, non tamen inde excludi debent a Iure administrandi, quod in vim Parochialitatis illis competit.

« Canonicis etiam suffragatur nedum privilegium Nicolai V rerum etiam consuetudo, quod semper huiusmodi administrationem oblationum ipsi exercuerint, et in hac materia oblationum plurimum attendendam esse consuetudinem, admittunt omnes, ut per Marian. Socin. de obi at. libell. 18, ***n. 17, 18, 26;*** Maluet. eodem tract, ***part. 4> n. 62;*** Ferret. ***conf. 258;*** Decian. d. ***cons. 16, n. 1 ;*** Rice, dicta ***dec. 170, n. 2,*** et Modern. Roman, discept, fbrens. ***cap. 395, n. 25,*** et ex Theologis admittit Sot. de Iust. et Iur. ***lib. 2, qu. 3, art. 2,*** vers. ***Quidquid.***

« Demum multum movit Dominos transactio inita inter illos de Cattaneis, et Canonicos, quae et praesentia et decreto Episcopi munita fuit, et in ea conventum expresse, quod oblationes, quae Sanctissimo Crucifixo praestarentur

per duas Canonicos singulis annis eligendos, administrarentur, cum onere, ut in fine anni rationem redderent Capitulo, cum praesentia Episcopi, et propterea quatenus etiam haec administratio de Iure spectasset ad Episcopum, attamen potuit ab ipso committi Canonicis, ut in dubitabilioribus, etiam terminis dixit Felin. in cap. ***Dilectus*** in princ, vers. ***Unde valet,***JJec. ***cons. 148, n. 3;*** Ferret, ***cons. 278,*** et Decium sequuta est Rota in Toletana ***Eleemosynarum 24*** Maii 1619 cor. R. P. D. meo Pirovano", Rice. ***dec. 101, n. 2,*** III prax. et dec. Neapol. Cur. Episc. 170, ***part. 4.*** Et quamvis Rebuff. dissentiat ab opinione Decy, quia illi indecorum videtur, quod Laici his sacris oblationibus, quae sunt de Sanctuario Dei, se ingerant, nihilominus hoc indecorum non est in Canonicis, et in his, qui Sacramenta populo exhibent. Et opinio Rebuifi fuit per Rotam reprobata, quoties laicus non convertit in proprios usus oblationes praedictas, et sequitur Rice, dicta ***dec. 170, n. 11 et 12.***

« Nec obstat, quod Episcopus interfuerit transactioni, et decretum interposuerit ad effectum sedandi controversias ortas inter Capitulum, et illos de Cataneis, et ideo non sibi praeiudicaverit, quominus administrationem habeat in hisce oblationibus, iuxta doctrin. Castrens. in 1. ***Cuius, n. 1 ff. de pignorai, act. et cons. 423, col. 2, I. 1,*** ubi quod si quis tamquam Gubernator interposuerit decretum non prohibetur tamquam persona privata etiam impugnare illum actum, et idem de Notario, Tutore et alio, qui ratione sui Officii consensum praestat. Notant DD. in 1. ***Cum quaedam,*** C. de administ. Tutor. Bart, in 1. ***Sicut, § Non videtur, ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solvitur;*** Cephal, ***cons. 148, n. 23;*** Menoch. ***cons. 58, n. 7,*** et late Surd. ***dec. 153, n. 17, et cons. 365, n. 21 et seqq.*** Quoniam haec theorica vera est quoties quis duplicem repraesentat personam, et ideo agenti tamquam privatae personae, non obstat, quod fecit tamquam publica, et in his terminis loquuntur praedicti DD. ut bene per Zucchard. in ***I. 1, n. 110 et 119 C. de pact.*** Surd. dicta dec. et quando id egit ad quod cogi pot-

erat. Verum hoc non applicatur casui nostro, quia Episcopus, et quod fecit in transactione, et quod modo agit in hoc iudicio, semper consideratur tamquam idem Episcopus, non autem tamquam diversa persona, neque ad illud decretum constat quod ratione officii cogi potuisset, et cessat omnis difficultas, quia etiam circumscripta dicta transactione, non tamen ius aliquod competebat Episcopo in his oblationibus, vel in earum administratione, sed id competebat Capitulo, cum Iure, ac vice Parochi fungatur, ut supra dictum fuit, et sic non videtur, quod transactio novum praeiudicium intulerit Episcopo.

« Neque obstant, quod Episcopus regulariter sit executor piarum voluntatum, quia ius Episcopi est generale, Ius autem Parochi, quem repraesentat Capitulum, est speciale, et ideo hoc praevalet, ut bene per Decian. dicto ***cons. 16, n. 17 et seqq., et n. 21,*** vers. ***Non obstat.*** Et quoniam licet sit exequutor, non tamen impedit, quin potuerit tale ministerium alteri demandare, nec in totum a se abdicavit, quia Canonici tenentur singulis annis rationem reddere administrationis Capitulo, praesente eodem Episcopo, ut in transactione cavetur, et propterea Episcopus poterit invigilare, ne voluntates eorum, qui oblationes dederunt, defraudentur, et ut illae oblationes provide pro Missis, et fabrica erogentur etc, ».

Praeterea ***in meritum*** quaestionis haec advertenda videntur. Quia Abbas arbitratur, decretum S. Visitationis edito a. 1610 ab Episcopo Giovanelli non posse amplius applicari post unionem factam beneficii et Sacelli s. Gerardi beneficio parochiali a. 1667, adverti debet, inter se haec duo non pugnare; nimirum quod beneficium et Sacellum accesserit Parochi iuribus, sed non item ei accesserit ius et administratio quoad oblationes fidelium extraordinarias et incertas.

Etenim in primis compertum est, eleemosynas cum sint incertae et a libera fidelium largitione dependeant non esse inter parochialia iura accensenda, tenuit S. Rota ***in dec. 27, n. 12,*** post Antone] lum ***de iur. et oner. clerici*** apud Pal-

lottini, ***tom. 14,*** v. ***Oblationes, n. 15.*** Siquidem eleemosyna praesumitur facta intuitu loci ubi sacra Reliquia vel Imago exponitur, Pignatelli ***consult. 160, n. 1, ad 4, in Aquipendien. Functionum die 18 Dec. 1773. Confidunt.*** Revera S. C. C. iam declaraverat, oblationes quae fiunt in Oratorio B. M. Virginis, esse intuitu Imaginis praelaudatae B. M. V. distribuendas in pios usus, eiusdem Oratorii et Imaginis pro arbitrio et conscientia Episcopi, in Lucana ***die 9 Iul. 1644, lib. 17 decr., p. 7.41 :*** idem censuit ***in Cano?i. Oblationum, die 11 Febr. 1662*** apud Pallottini ***loc. cit.*** Exinde sequeretur, prouti iam deductum est, ipsum Parochum hos redditus administrando in pios usus convertere debere pro voluntate offerentium, eorumque redituum congrua destinatione.

Verum nihil obstat, ipsum ius administrandi non spectare parocho, veluti quando in Ecclesia Filiali vel Oratorio est constitutus Rector, tunc administratio pertinet huic Rectori seu Cappellano, prouti exploratissimi iuris est. Iamvero Decretum Episcopi Giovanelli iam ab a. 1610 edixit harum oblationum Episcopum ***pro tempore,*** esse administratorem ; quod decretum quum non constet fuisse legitime impetitum, at receptis moribus et diuturna observantia executioni fuisse demandatum, iam a 50 annis, quando facta est unio beneficii s. Gerardi beneficio parochiali, nemo non videt Episcopi ius administrandi, nempe has eleemosynas, legitime constitutum fuisse. Neque id resolvi debuit per secutam unionem; quamobrem commode componitur ius Abbatis in beneficium s. Gerardi cum iuribus Episcopalibus, quandoquidem versantur super diverso obiecto.

Ipsae perpetuae contentiones Abbatem inter et Archipresbyterum, docent, illum numquam pacifice ius administrandi exercuisse. Eo magis quod curia forsan in eligendo suo delegato Administratore, modo uni, modo alteri concessit mandatum; non secus ac hodie Episcopale decretum faciendum edicit.

Omni procul dubio, Episcopus minime et nulla in hypothesi gerere posset morem Abbati, qui in reddenda admi-

nistrationis ratione non aliam daret Episcopo rationem quam eam redditam anno 1897. Exacta vero relatio omnium proventuum maxime expostulat subiecta materia, quia pars maior eleemosynarum destinata est ad celebrationem missarum. Porro Episcopale munus videtur pati non posse tam ingentem Missarum numerum relinqui arbitrio Abbatis pro congrua et convenienti celebratione. Haec S. C. usque specialem adhibuit sollicitudinem ad obtinendam missarum diligentem applicationem. Revera, auctoritate ei specialiter delegata ab Urbano VIII, condidit S. C. C. celebria decreta ***de celebratione Missarum,*** quae innovavit Innocentius XII. Horum intentio est praecipua ut Missae celebrentur, etiam non longa interiecta mora ab earum receptione, si agatur de Missis manualibus; et ut in omnibus Missarum fundationibus curetur quacumque meliori ratione, piis fidelium voluntatibus religiose satisfactum iri. Ad rem haec refert Benedictus XIV, ***De Syn. Dioeces, lib. 12, cap. 7, n. 5.*** « Haud absimilis quaestio saepius delata est ad S. C. Conc. a qua petitum fuit quid foret agendum cum ingens eleemosynarum copia in unam conferebatur Ecclesiam, ut tot Missae celebrarentur in uno certo et designato eiusdem Ecclesiae Sacello, quot tamen ibidem celebrare esset impossibile. Et S. C. censuit, Missarum celebrationem non esse ultra hebdomadam differendam, sed in aliis saltem eiusdem Ecclesiae sacellis explendam. Ne autem imponeretur ***(sic)*** fidelibus eleemosynas erogantibus, praescriptam tabellam in visibili Ecclesiae loco exponendam notificari iussit, suscipiendis in posterum Missarum oneribus satisfactum utique iri in Altari a benefactoribus designato ; si tamen intra unius hebdomadae spatium fieri posset, sin minus in aliis eiusdem Ecclesiae altaribus iuxta S. C. rescriptum ». Proindeque assidue Episcopus certior fieri debet de Missarum receptarum numero et modo satisfactionis. Quae vero Missae in Ecclesia, cui oblatae sunt, celebrari non possunt, sane ad manus Episcopi devenire debent, quippe Ipse tantum prospicere valet ut quo citius et fideliter Missarum onera expleantur.

Quamobrem Decretum Episcopi Giovanetti in vindicanda Episcopo eleemosynarum administratione huc praecipue spectavit, nempe ad obtinendam fidelem et sollicitam Missarum celebrationem.

Aliud punctum quaestionis quod attinet", nihil ulterius advertere praestat. Verum huiusmodi praecedentiam honoris vix aut ne vix contestatur Abbas, quippe ab edito decreto visus est in hac parte ei non contradicere. Ceterum Archipresbyter G-entilucci per adlectum Procuratorem in libello qui circumferetur post ***F olii*** distributionem latius adducet sua iura. Interim hoc advertere iuvat, nempe ex intentione tituli ***De maioritate et obedientia,*** ipsum Archipresbyteri nomen satis praedicare praecedentiae iura saltem ***ad honorem;*** quae sane negari non potest, nisi expresse contrarius legitimus mos comprobetur. Item ex historia, praecedentiae iura vindicantur Archipresbytero ; hic enim ante beneficiorum simplicium unionem praecedentiam et iurisdictionem certe exercebat in eorumdem Rectores. Si vero, secuta unione, amisit Archipresbyter ***iurisdictionis*** exercitium, non exinde sequitur amisisse etiam ***praecedentiam,*** unum enim sine altero commode consistere potest.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An Decretum Episcopale sustineatur quoad secundum ***et*** tertium ***punctum in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata sub die 29 Aprilis 1899, censuit respondere : ***Quoad secundum punctum affirmative; quoad tertium dilata et ad mentem.***

SAVÖNEN.

CAPELLANIAE LAICALIS

Die 17 Iunii 1899.

Sess. 21 cap. 3. De ref.

COMPENDIUM FACTI, ioannes Baptista Ricci Sacerdos Dioecesis Savonen., vi iuris patronatus ***passivi,*** quum adhuc ***sacris*** ordinibus non esset initiatus, obtinuit a suo Fratre Sebastiano Ricci, patrono ***activo,*** quamdam Capellaniam laicalem, eodemque institutionis actu, seu ***instrumento*** facultatem obtinuit sibi constituendi istam Capellaniam in ***patrimonium sacrum,*** videlicet ad effectum suscipiendi ordines sacros, prouti factum est.

Hanc Capellaniam fundaverat tabulis testamentariis ***diei 7 oct. 1853*** Sebastianus Folco, Fratrum Ricci avus maternus, adiciens onus quarumdam missarum, et reservato patronatu ***passivo*** pro filiis et descendentibus e duabus suis sororibus nuptis, altera Matthaeo Ricci, altera Carolo Folco ; patronatu autem ***activo*** reservato pro suo nepote Sebastiano Ricci, eiusque descendentibus ; hisce vero deficientibus, pro alio suo nepote Carolo Ricci eiusque descendentibus. - Revera Capellaniae reditus retrahendi erant ex quodam fundo ***Folconi,*** quem testator praelegaverat suo nepoti Sebastiano.

Sebastianus Ricci - uti diximus, primo exercuit suum ius, tribuens Capellaniae ***titulum*** suo fratri Ioanni Baptistae. - Hodie hic est causae ***actor*** adversus suum fratrem ; et quaestionis en ratio.

Sacerdos Ricci sacerdotali ordine auctus ab a. 1859 ad a. 1869 oneribus suae Capellaniae rite satisfecit, sed * ab a. 1870, cum alibi suos lares transtulerit, nimirum primum, Ianuam, et dein Romam, ubi adhuc moratur, haec onera adimplere usque neglexisse dicitur.

Interim fertur, frater saepius monuisse Ioannem sacerdotem, ut onera expleret Capellaniae ; sed incassum ; unde ipse curare debuit onerum satisfactionem, tribuens aliis sacerdotibus missas celebrantibus reditus Capellaniae; at non

desinens urgere fratrem, ut sup muneri responderet. At iste, veluti ad remo vendas molestias, ad iudicium civile rapuit fratrem Sebastianum a. 1893, contendens rem expedire ad normas legum civilium , quibus morem gesserant fratres Ricci redimendo (vulgo ***affrancando)*** dictam Capellaniam, seu onus reale fundo Folconi inhaerens, et reditus inde provenientes constituerunt in summam capitalem, emptis publicis versuris seu singraphis publici aeris alieni. - Tunc Sebastianus, ut contumaciam fratris Sacerdotis compesceret, ei comminata quoque ***remotionis a Capellanía*** poena, interposuit Curiae auctoritatem, quae formali monitione Sacerdotem certiorem reddidit, se privatum iri Capellanía, nisi statuto tempore oneribus congrue obtemperare aggrederetur. At Ioannes respondit, se provocasse ad S. Congregationem Concilii.

Interim civili iudicio dimicatum fuit in prima et altera instantia ; et ab arena iudicii, maiore ex parte, in priori instantia superior discessit Ioannes Sacerdos, innixus legibus rerum ecclesiasticarum eversivis, at in altera haud favorabile obtinuit iudicium, cuius expensas , in duabus tertiis partibus, refundere condemnatus fuit fratri victori. Quia istas solvere detrectabat Ioannes; et solutionis mora reddebat in damnum piae fundationis, cuius reditus Sebastianus erogaverat ad sustinendas iudicii civilis impensas , hic recursum habuit ad S. C. C. ut morosus debitor instantius ad solvendum incitaretur et die ***23 Aug. 1897*** rescriptum fuit « ***Moneatur Sacerdos Ioannes Baptista Ricci ipsum ex conscientia, cum temere litigaverit, teneri ad reiciendas expensas, quas suus frater in causa defendenda sustinere debuit*** ». Quum vero nihili fecisset huiusmodi monita et praecepta Ioannes, sequestro deposita est pensio quae huic a Dataria persolvitur ; neque sequestri vinculum adhuc resolutum fuit.

Praeterea Sebastianus, ulterius institit apud S. C. C. ut peremptorie admonito Ioanne Capellano, gradus fieret ad sententiam remotionis, nisi admonitus ad saniora consilia se

converteret. Tunc S. C. C. respondit Sebastiano Oratori ***die 7 Martii 1898 « Utatur iure suo coram curia Episcopali prout et quatenus de iure ».***

Revera Curia Savonen. sententiam protulit, qua Sacerdos Ricci definitive removetur ab officio et qualitate cappellani dictae Capellaniae ; ita ut liceat patrono Sebastiano Ricci alium nominare Capellanum, et liquidare expensas omnes, solvendas a Sacerdote Ricci.

Quamobrem hodierna causa continetur hac prima rogandi formula, nempe I. ***An sententia iudicis ordinarii Savonen i sit confirmanda vel infirmanda in casu,;*** et praeterea Sebastianus, ***appellatus,*** expetivit ut ipse, qua Capellaniae administrator et patronus, fieret indemnis de quocumque habito damno; et hinc aliud accessit dubium. ***II. An sit locus damnorum re fectioni in casu ».***

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO PATRONI. Advocatus, qui Sebastianum tuetur, notat in primis comperti iuris illud esse, quod capellanus, qui detrectet obligationes, suo munere privari queat. Eo magis quum tabulae fundationis, ut removeatur, diserte cavent. Illud tantum putant inquirendum, sub quibus conditionibus haec remotio ad iuris tramitem, locum habeat. Et statuit, tum D. D. sententia, tum S. C. C. disciplina firmata praesertim in ***Imolen. diei 17 nov. 1641 cl. 41 Decret.:*** tres conditiones requiri. 1. Ut constet onera adimpleta non fuisse. - 2. Ut constet de contumacia. - 3. Ut denique Ecclesiasticae potestatis iudicium interveniat. Quamvis enim removendi facultatem patrono tabulae concedant : iure inductum est, ad incommoda praecavenda, ut ille hac facultate non utatur, nisi prius, instituto iudicio, legitima remotionis causa, manifesto liqueat. At nullum dubium, quin tres hae conditiones ista in causa concurrant. — Quoad ***primum,*** animadvertit advocatus, adeo esse notorium, ut certe demonstratione non indigeat, capellanum Savona digrassimi, ab anno 1870 capellaniae onera prorsus neglexis-

se : nec aliter ea fuisse adimpleta, quam ex pietate patroni, qui curabat, reditum administrans, ut missae celebrarentur. - Quod quidem cum nec ipse patronus diffiteatur, capellaniae onera neglecta fuisse manifesto apparet. - Quoad ***alterum,*** probationem contumaciae suppeditant non modo epistolae Sebastiani, qui instabat ut onera adimplerentur : sed praesertim iudiciales denunciationes quarum una ***die 13 novembris 1893 :*** secunda ***die 25 aprilis 1898 :*** postrema ***die 24 maii*** eiusdem anni sacerdoti Ioanni Baptistae personaliter denunciata est. - In quibus, quum expresse ediceretur, ut capellanus vel per se vel per alium , onera adimpleret et significare, hac spreta monitione, illum munere privatum iri : iam sequitur capellanum non parendo se contumacem praebuisse. - Quoad ***tertiam,*** eam conditionem in casu concurrere, Savonensis Curiae sententia testis est, quae capellanum e capellanía decidisse, instante patrono, declaravit. - Hisce positis, advocatus progreditur ad obiecta refutanda , quae ad tria reducuntur. Obiicitur ***primo,*** primam deesse conditionem: quia onera patronus adimplevit. - Et quum dicatur, ea patronum adimplevisse, ex capellani mandatis, colligitur hunc per alium adimplevisse. - Mox obiicitur deesse alteram conditionem, quia capellanus putabat rem agi apud S. C. C. ideoque Curiae Savonensi, quam iudicabat incompetentem, non respondisse. - Et denique opponitur neque tertiae conditioni rite satisfactum fuisse: quum sententia curiae Savonensis, capellanum qui in capellanía sibi credita sacrum sibi patrimonium constituerat, ordinationis titulo privare non posset. - Quae obiecta arbitratur advocatus non difficile refelli. Quoad primum, praemittit advocatus, substitutionem quoad opera ***per*** alium adimplenda, licet veram, ad caducitatem evitandam , nullo pacto sufficere. Nam tabulae capellano praecipiunt, ut si nequeat per se celebrare, tot missas, quot illi imponuntur, ***suis impensis,*** celebrandas locet. Cui obligationi, ut satisfaciat capellanus , substitutum eligere debet, et illi, pro missis celebratis, stipendium rependere. Nec iuvat advertere, rem to-

tam commissam fuisse patroni arbitrio, ut onera, pro sua conscientia, ipse exequenda curaret. - Nam patronus quamcumque ***substitutionem*** aut ***commissionem,*** abscisse negat, quia fatetur capellanus, per annos tres supra viginti de capellanía se nihil scivisse. Praeterea, Capellanum usque fuisse negligentem in oneribus sive per se, sive per alios explendis deducit advocatus ex tribus denunciationibus, quibus Capellanus ad onera adimplenda incitatus est iudicialiter, ad quas impetendas non accusationem sibi impactam denegavit, sed tergiversan et subterfugere conatus est. Sed defensioni non renunciasset, si defendere se poterat. Ad ***alteram*** obiectionem transiens advocatus eam censet adeo futilem, ut vix digna refutatione videatur. Quum enim illi haud a S. C, sed a curia Savonensi denunciatum fuisset, ut missas celebraret: et quum rescriptum « ***Utatur iure suo coram Curia Episcopali*** » in denunciationibus memoraretur : ille certe ignorare non poterat, causam verti apud curiam Episcopalem. Nec diversum iudicium de tertia obiectione advocatus fert: nam sacrum Ioannis Baptistae patrimonium, in capellaniae reditu, ea lege constitutum est, ut onera diligenter obire, iuxta tabulas, teneretur: et Capellaniam sine mora liberam a tali, onere relinquere si alia bona in posterum possideret. Constitutio igitur sacri patrimonii, ait orator, iure removendi capellanum patronum non orbavit. Nec orbare poterat, secus enim impune capellanus onera negligere potuisset. Ast huiusmodi, constitutio notat patronus, id tantum expostulat ut remotus a capellanía, alium patrimonii titulum ope Curiae praesto habeat. Quod sane non difficile videtur oratori. Nam sacerdos , praeter bona propria, duas pensiones a Pontifice obtinuit: quarum una biscentum libellarum, per aliquot tantum annos pignori est apposita. Alia vero longe maior, et omni onere libera est.

Denique descendit ad ***alterum*** dubium advocatus, et notat S. C. C. iam sanxisse ut damnum, quod", civili controver-^ sia, capellaniae intulerat, a capellano reficeretur. Et merito : nam Ioannis mala fides , post tot monita, perspicue

apparebat, et impensae, quin missae suspenderentur, a capellanía sustineri non poterant. Sed missae suspendi non poterant, tum ne testator suffragiis fraudaretur : tum etiam, -quia, ut patet ex actis, pagus ille ubi extat aedicula, omni Ecclesia caret ; adeo ut nisi missa celebretur , oppidani in periculo versantur Missam non audiendi.

Orationem concludit advocatus, suum clientem purgando ab accusationibus, quibus frater eum adoritur. Et ostendit •Curiae testimonio, et exhibita redituum ratione, Sebastianum rem fideliter administrasse : praescriptas missas celebrandas curasse : et reditum, aere proprio, adauxisse.

DEFENSIO CAPELLANI. EX adverso pro Sacerdote Ioanne •Capellano ex his quae in actis prostant, haec advertenda videntur. Iste pro testatur, se oneribus capellaniae non satisfecisse, quia eius Frater usque instabat ad obtinendam onerum satisfactionem, sed nunquam ei remisit reditus, qui responderent oneribus adimplendis. Ait vero Ioannes, se animum non adiecisse ad huiusmodi munia explenda, non receptis in antecessum capellaniae fructibus ; quippe vehementer timebat ne frater postea plures intersereret excusationes, ^quibus negasset quamcumque redituum exhibitionem. Praeterea notat eius suspicionem non destitui fundamento, siquidem sui fratris agendi ratio usque eo spectavit, ut obtineret veteris capellani remotionem, cui in votis habebat substituere suum filium hodie iam a tribus annis sacerdotio auctum.

Quinam fuerit animus Ioannis sub ipso initio huius controversiae patet ex libello supplici dato die 8 Dec. 1892, huius causae introductivo.

Ioannes autem negat abscisse, se neglexisse onerum **ca**pellaniae adimplementum ; quippe ait, se centies litteras dedisse fratri cui committebat omnem facultatem pro impendendis in pium usum reditibus capellaniae.

Rationem initae litis apud iudicem laicum reddit advertens, aliud sibi praesto non esse medium ad recuperandos reditus, saltem mediae partis summae **capitalis;** frater enim

usque urgebat onerum obligationem, sed ne unum quidem obulum ei praestitit ad eadem onera exequenda. Ait quod iudicium civile in prima et altera instantia revera actum est circa rationes reddendas gestae administrationis, quia iam ab inito iudicio ei obiecta fuit renunciatio quoad summam capitalem, ab eo facta, favore fratris, in ipso actu redemptionis ***(affrancazione)*** capellaniae a manibus Fisci. - Recolit autem, se in suscipiendo iudicio protestationem dedisse apud curiam Savonen.; ut eamdem certiorem redderet, se eidem redditurum esse quidquid per civilem auctoritatem recuperasset de bonis controversae capellaniae. - Alteram huius iudicii instantiam ipse capellanus definire et absolvere intendit, emisso quoad eamdem actu renunciationis, iussu S. C. C. Litterae renunciationis prostant in actis; et ista facta est quia frater mediam partem dotis capellaniae deposuit apud curiam Savonen. eo consilio ut reditus ex publicis versuris cederent sacerdoti capellano.

Verum huiusmodi renunciatio non est sortita effectum perimendi iudicium civile, quia ista renunciatio edita tantum quoad ***acta iudicii*** non visa est sufficiens ad extinguendos effectus ***actionis civilis*** iam instauratae. - Advertit capellanus ementitam fuisse ***depositi*** concessionem, siquidem alia erat mens fratris et alia fuit sequens ratio agendi uti patet ex particula litterarum diei ***3 Ianuarii 1897.***

Denique Sacerdos, ut probet se bona frui fama et existimatione apud alios suos fratres, affert documenta data ***die 16 Decemb. 1893.*** - Fratres testantur de sacerdotis illibata conscientia.

De tribus denunciationibus sibi datis, Curiae auctoritate, et ad instantiam patroni capellaniae, advertit Ioannes se non fuisse contumacem, at litteris respondisse quibus haec eadem: argumenta afferebat et protestabatur, apud S. Sedem suae causae commisisse iudicium.

In ipsam sententiam Curiae Savonen, advertere praestat, in capellaniae privatione decernenda in themate, non tantum spectanda esse onera eiusdem, sed praeterea probe at-

tendendam esse qualitatem ***patrimonii ecclesiastici,*** quae eidem capellaniae accessit favore Ioannis sacerdotis. Porro tralatitii iuris est, patrimonium ecclesiasticum alienari aut mutari aut privari a curia non posse quin alii appositi, eodem titulo, surrogentur reditus ab ipsa ecclesiastica auctoritate. - Iuxta communem Canonistarum doctrinam haec habet Benedictus XIV in ***Inst. Eccl. XXVI § 21.*** « Tridentina Synodus ***(Sess. 21 cap. 3)*** patrimonium debita ratione confectum sine Episcopi consensu alienari prohibet, donec Ordinatus beneficium ecclesiasticum adeptus sit quod pro vita sustendanda satis iudicetur. Uti id melius intelligi possit, nonnulla Sac. Congreg, eiusdem Concilii interpretis decreta subiicientur. - Qui patrimonium divendit nec ullam mentionem facit, se eius titulo Ordines suscepisse, si nullam incurrit censuram, certum tamen est quod huiusmodi alienatio inanis atque irrita ***ipso iure*** decernitur. Ita sancitum fuit ***die 6 Martii 1638*** ». . . . Insuper ***die 20 Iulii a. 1619*** id etiam constitutum fuit. ***Patrimonium, ad cuius titulum aliquis est promotus, posse utique de licentia Episcopi permutan cum aliis bonis non minoris reditus aut valoris, sed debere Episcopum declarare, bona ex permutatione acquisita esse subrogata in locum prioris patrimonii, ita ut deinceps alienari nequeant, nisi servata forma a Concilio praescripta.*** - Postremo ***die 14 Feb. 1652*** haec decreta fuerunt: « ***Sacra etc. respondit renunciationem patrimonii ad cuius titulum clericus simpliciter sacris ordinibus fuit initiatus, absque licentia Episcopi factam non sustineri, etiam post assecutionem beneficii ad eius vitam sustinendam sufficientis.*** - . . . . Die 5 Feb. 1604, ***Sacra Cong. Concilii censuit neque in eiusmodi patrimonio, neque in eius fructibus ad clericum alendum necessariis, executioni locum esse posse. Licere autem capere in causam iudicati eam fructuum partem, quae quotannis superesset ultra eam, quae ad Ordinati sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo iudicis ecclesiastici arbitratu fuerit necessaria. - Posse autem ipsum creditorem accipere in solutum atque***

vendere ius sibi competens ad huiusmodi patrimonium,, quod post mortem ipsius promoti ad creditorem, uti res hereditaria, pertinebit ».

Hisce praeiactis fuerunt proposita diluenda

Dubia

I. ***An sententia iudicis ordinarii Savonen. sit confirmanda vel infirmanda in casu.***

II. ***An sit, et quomodo sit locus damnorum re fectioni in casu,***

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 17 Iunii 1899 censuit respondere: ***Ad I. sententiam esse confirmandam, translato titulo s. Ordinationis super pensionibus, quas Sacerdos Ricci percipit a Dataria Apostolica. Ad II. affirmative iuxta litteras S. Congregationis diei 5 Feb. 1898-***

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

TREVIRENSIS. De extensione Indulgentiarum Psalmi « ***Exaudiat*** » ad Tertiarios Saeculares S. Francisci Assisiensis.

Iam inde ab anno 1623 sub die 23 Decembris a f. r. Urbano VIII. Eremitis Monachis Camaldulensibus indultum erat, et dein a s. m. Pio Pp. IX sub die 7 Augusti 1868 extensum fuit ad Fratres Minores, quos Capucemos nuncupant in Coenobiis degentes, privilegium ut sequitur « qui (ex eis) confessi et S. Sy- « naxi refecti fuerint et Psalmum, cuius initium est ***Exaudiat « te Dominus*** etc., cum orationibus pro Romano Pontifice et « S. Matre Ecclesia recitaverint, et qui illa recitare ignoraverit,. « eiusdem Psalmi et Orationum loco ter Orationem dominicam « et toties Salutationem angelicam dixerint, ac simul pro unione « et pace inter Principes christianos confovenda ac fidei catho- « licae exaltatione oraverint, eas omnes indulgentias et pecca- « torum remissiones consequentur, quas consequerentur, et con- « sequi possunt si quadragesimis et aliis anni temporibus et «diebus Ecclesias et pia loca quaecumque tam in alma Urbe

« nostra, quam extra eam et alibi ubicumque locorum, terra-
« rum et gentium in Orbe christiano existentia, in quibus sta-
« tiones essent indictae, ac Christifidelibus illas visitantibus in-
« dulgentiae et aliae gratiae spirituales sunt propositae, perso-
naliter visitarent et ad illa se conferrent».

Iam vero quum per Breve Apostolicum d. d. 7. Iulii 1896 SSmus Dnus N. Leo Pp. XIII. denuo concessisset ad quinquennium ut Sodales Tertii Ordinis saecularis S, Francisci participes essent Indulgentiarum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet, factum quoque est ut Sodalibus praedicti Tertii Ordinis Indulgentiae pro recitatione Psalmi *Exaudiat* communicatae censerentur; quod alicubi edi et vulgari coeptum est per libellos, schedulas vel folióla. Quum vero de tali communicatione non omnes idem sentirent, id permovit Episcopum Trevirensem, ut hanc S. Congregñem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam adiret et quaereret.

An sustineatur asserta communicatio huius Indulti de Psalmo Exaudiat *omnibus Sodalibus Tertii Ordinis saecularis Franciscalis, vel saltem Sodalibus qui ab Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum dependent?*

Factaque de praefatis omnibus relatione SSmo Dno N. Leoni Pp. XIII. per me infrascriptum S. Congregationis Praefectum in Audientia mihi concessa die 29 Augusti 1899, Sanctitas Sua ad utramque quaesiti partem respondit:

Negative;

Et hanc solutionem communicari mandavit Rmis Ordinariis, ut nec typis imprimi nec fidelibus annuntiari permittant assertam communicationem concessionis, de qua agitur.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 29 Augusti 1899.

FR. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. © S.

Pro R. P. D. ANTONIO ARCHIEP. ANTINOEN., *Secretarius.*

Ios. M. Canonicus COSELLI *Substitutus.*

EX S. G. INDULGENTIARUM

INDULTUM quo prorogatur ad annum, i. e. usque ad diem 2 Oct. 1900, tempus concessum in Constitutione « ***Ubi primum*** » d. d. 2 Oct. 1898 ad petendas Litteras Patentes Revmi P. Magistri Generalis Ord. Praed. pro Confraternitatibus SS. Rosarii sine talibus Litteris ab initio institutis.

Beatissimo Padre,

Fr. Giacinto Maria Cormier, Procuratore Generale dei Predicatori, umilmente prostrato ai piedi di V. S. espone che:

Il n°. III della Costituzione Apostolica « *Ubi primum* » avendo suscitato alcuni dubbi, sottoposti alla S. V. da Monsignor Vescovo di Aosta, e la risposta ai dubbi essendo stata data dalla S. Congregazione delle Indulgenze con approvazione di V. S., solamente il 10 Agosto 1899, l'anno concesso da V. S. nel mentovato n°. III, perchè le Confraternite del S. Rosario che non stanno in regola abbiano tempo di munirsi delle Lettere Patenti del Maestro Generale dei Predicatori, sembra ormai insufficiente per raggiungere lo scopo, giacché la sullodata Constitutione venne publicata *Sexto Nonas Octobris 1898.*

Perciò l'Oratore, nell'interesse delle anime e del lucro delle Indulgenze, implora la Concessione di *un altro anno* di tempo, durante il quale gli Ordinarii ed i Rettori delle Confraternite, conosciute le risposte del 10 Agosto 1899, avranno tutta facilità di munirsi, dato che facesse d'uopo, dei richiesti documenti.

Che della grazia etc.

Ss. D. N. LEO PP. XIII in Audientia habita die 8 Septembris 1899 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 8 Septembris 1899.

FR. HIERONYMUS M. GOTTI, *Praefectus.*

L. & S.

Pro R. P. ANT. A. ARCHIEP. ANTINOEN. *Secretarius.*

Ios. M. Canonicus COSELLI *Subst.*

AUGUSTANA. Dubia varia de Confraternitatibus a SS.mo Rosario nuncupatis.

Episcopus Augustanus plura dubia huic S. Congregationi Indulgentiarum dirimenda proposuit, quae, post Constitutionem *Ubi primum* de Confraternitatibus a SS. Rosario nuncupatis nuper editam iussu SSmi Dfii Nostri Lieonis Papae XIII, ipsi oborta sunt. His et alia superaddidit quae ex nonnullis Decretis huius S. C. repetenda videntur, eo quod quaestio movetur an, et quomodo illa Confraternitatibus SSmi Rosarii sint applicanda.

Dubia vero proposita sunt sequentia:

I. In Dioecesi Augustensi iampridem existunt fere in omnibus ecclesiis parochialibus Confraternitates SS. Rosarii, quin tamen habeantur litterae patentes Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, in plerisque locis deperditae. Quamobrem orator petit, utrum ad canonicam Confraternitatis existentiam sufficiat per aliquod documentum, puta, per processum verbalem ipsius erectionis, vel inscriptionem commemorati vam in Regesto sodalium Confraternitatis, aliudve huiusmodi in documento authentico asservatum, certam haberi notitiam quod litterae Magistri Generalis pro tali ecclesia iam concessae fuerint, an vero novae requirantur litterae patentes ipsius Magistri Generalis?

II. An per Decretum S. C. Indulgentiarum d. d. 20 Maii 1896 in una *Ordinis Praedicatorum* ad llum abrogata censeatur lex a S. C. Indulgentiarum die 8 Ianuarii 1861 sancita (in formula servanda in substantialibus pro erectione confraternitatum) sub n. V. hisce verbis expressa : « quod gratiae et indulgentiae confraternitati communicatae, praevia cognitione Ordinarii, dumtaxat promulgentur»?

Et quatenus negative:

III. An cognitio Ordinarii exprimi debeat in scriptis ad calcem Summarii Indulgentiarum?

IV. An piae Uniones *Rosarii Viventis*, a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum institutae, subiaceant praescriptionibus Glementinae *Quaecumque*, sicut et Confraternitates SS. Rosarii, ad tramitem decreti S. C. Indulgentiarum d. d. 25 Augusti 1897 in una *Urbis et Orbis* ad Ium?

V. An Episcopus tolerare possit sive Confraternitates proprie dictas, sive pias Uniones sub SS. Rosarii titulo, absque

interventu Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum a parochis, vel aliis sacerdotibus institutas, etiam cum conditione vel praetextu, quod huiusmodi Confraternitates vel piae Uniones non gaudent privilegiis et indulgentiis Confraternitatum SS. Rosarii?

VI. An, non obstante Decreto S. C. Indulgentiarum d. d. 25 Augusti 1897 in una ***Urbis et Orbis*** vi specialis privilegii Rectores Confraternitatum SS. Rosarii albo suae Confraternitatis permittere valeant inscribi nomina defunctorum, etiam ad hunc finem dumtaxat, ut defuncti fiant participes meritorum Confraternitatis, et precibus sodalium commendati habeantur?

VII. An Decreta S. C. Indulgentiarum d. d. 12 Decembris 1892 in una ***Coloniensi*** et 15 Novembris 1893 in una pariter ***Coloniensi*** pro sodalitate S. Scapularis, applicari possint Confraternitati SS. Rosarii ita, ut confratres SS. Rosarii recepti et inscripti a sacerdotibus facultatem habentibus, omnes Indulgentias Confraternitatis lucrentur vi ipsius legitimae receptionis, etiamsi eorum nomina cum nominibus aliorum sodalium in albo Confraternitatis non sint adhuc materialiter inscripta?

VIII. An, stante privilegio Confraternitatis SS. Rosarii, quo gratia concessa a S. Sede non censetur revocata, nisi fiat de ea specialis mentio, sacerdotes, utentes formula ab Innocentio XI praescripta pro Indulgentia a confratribus SS. Rosarii in arti' culo mortis lucranda, valide agant, an vero debeant uti formula data in Constitutione Benedicti XIV *Pia Mater?*

IX. An formula pro Indulgentia acquirenda a confratribus in articulo mortis recitari valeat dumtaxat a Rectoribus Confraternitatum et sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum delegatis, an vero, quoad confratres SS. Rosarii, a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem?

X. An Confraternitates SS. Rosarii erectae a Legatis Apostolicis, Nuntiis, ceterisque Praesulibus vi specialis facultatis apostolicae, indigeant nova erectione per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum?

Et Emi ac Rmi Patres in Congregatione Generali, habita ad Vaticanum, rescripserunt die 3 Augusti 1899:

Ad I[um] Affirmative ad 1[am] partem; Negative ad 2[am].

Ad II[um] Negative.

Ad III[um] Non est necesse.

Ad IV[um] Negative.

Ad V^um Reformato dubio uti sequitur:

An per Apostolicas Literas *Ubi primum* datas a SS. D. N. Leone Pp. XIII die 2 Octobris 1898, Episcopis aliisque gaudentibus facultate in genere erigendi confraternitates, revocata fuerit facultas erigendi Confraternitates vel Pias Uniones sub titulo SS. Rosarii absque interventu Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum ?

Respondendum : *Supplicandum SSmo, ut dignetur mentem suam pandere.*

Ad VI^um Negative, facto verbo cum SSmo.

Ad VII^um Affirmative.

Ad VIII^um Reformato dubio uti infra :

An pro impertienda plenaria Indulgentia in articulo mortis confratribus SSrîii Rosarii, adhibenda sit formula ab Innocentio XI approbata, an vero formula a Benedicto XIV praescripta in Constitutione^ *Pia Mater ?*

Respondendum: *Negative* ad 1^am partem; *Affirmative* ad 2^am.

Ad IX^um Reformato dubio hoc modo :

An benedictio in articulo mortis cum adnexa plenaria Indulgentia confratribus SSiïii Rosarii impertienda sit a sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum delegatis, an vero a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem ?

Rescribendum : *Negative* ad 1^am partem •; *Affirmative* ad 2^am.

Ad X^um Non propositum.

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione SSino Dno Nostro Leoni Papae XIII, in audientia habita die 10 Augusti 1899, SSmus omnes resolutiones Eiîiorum Patrum benigne approbavit, mentemque suam quoad V^um dubium pandere dignatus est expresse edicens : « Revocavimus, et ut revocatas haberi volumus facultates quibuscumque concessas erigendi Confraternitates piasque Uniones sub titulo SSmi Rosarii sine litteris patentibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum; ita ut si quae in posterum erigantur sive Confraternitates sive piae Uniones sub titulo SSmi Rosarii absque praefatis litteris, nullis gaudeant beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem a SS. Rosario auxerunt; quin imo

nec gaudeant aliis Indulgentiis, quae communiter conceduntur omnibus sub quovis titulo confraternitatibus, canonice erectis. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae die 10 Augusti 1899.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, ***Praefectus.***

L. * S.

T A. SABATUCCI ARCHIEP. ANTINOEN. ***Secr.***

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM: quaeritur an valida sit Ordinatio presbyteralis, in qua adfuit tantum prima manuum impositio; dubitatur autem pro secunda, an Episcopus, etiam per momentum, manus extenderit super ordinandos.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N., ad pedes S. V. provolutus, exponit sequens dubium circa validitatem ordinationis presbyterorum ab Episcopo huius Dioeceseos, uno ex decessoribus suis, pluribus abhinc annis celebratae.

Videlicet Episcopus ordinans, postquam ambas manus singulis ordinandis imposuerat, ex involuntaria distractione, iam non extendit dexteram supra ordinandos universos (vel ad summum per momentum aliquatenus extendit, prout se vidisse unus ex ordinatis affirmavit, sed nunc certo non recordatur), at mox dextera sua ordinavit librum Pontificalem, et dum exhortationem ***Oremus fratres*** etc. recitabat, eumdem librum ambabus manibus tenuit, ita ut, quamvis brachia et manus haberet materialiter extensa, minime tamen haberet speciem viri super illos dexteram extendentis. Defectum illum animadvertere plures, nemo tamen de illo Episcopum monuit. Peracta autem ordinatione, utrum haec certo valeret, dubium a nonnullis fuit motum. Quapropter Episcopus orator humillime S.V. supplicat, ut quid ipsi in casu sit praestandum iudicare dignetur.

Feria IV, die 19 Iulii 1899.

In Congregatione Generali habita ab Eniis ac Rmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi PP. respondendum censuerunt:

Quum non constet de extensione manuum saltem per momentum, sacram ordinationem privatim repetendam esse sub conditione, etiam extra tempora; et consulendum SSmo ut actus forsan invalide positos et praesertim Missarum defectum ex Ecclesiae Thesauro sanare et supplere dignetur, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Insequenti vero feria VI, die 21 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. PP. XIII relatione, idem SSrñus Dnus responsionem Emorum Patrum in omnibus approbavit, ac sanationem benigne concessit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U, Inquis. Not*

DUBIUM : an liceat interesse medicis disputationibus quoad suggestiones ipnoticas.

Beatissimo Padre,

N. N. Dottore in medicina, prostrato ai piedi della S. V., per tranquillità di sua coscienza, umilmente chiede se può prender parte a dispute che ora si fanno dalla Società delle Scienze Mediche di N. sulle suggestioni ipnotiche nelle cure di fanciulli infermi. Si tratta non solo di discutere su fatti già compiuti, ma ancora di fare esperienze nuove sia che possano spiegarsi con ragioni naturali, sia che no. E però 1' oratore, per non esporsi al pericolo di errare, aspetta docilmente P oracolo della S. Sede.

Feria IV, die 26 Iulii 1899.

In Congregatione Generali habita ab EEmis ac RRmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RRmorum DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Quoad experimenta iam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali; et insuper Orator paratus sit stare mandatis S. Sedis et partes theologi non agat.

Quoad nova experimenta si agatur de factis quae eerto naturae vires praetergrediatur, non licere.; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalis, tolerandum, modo absit periculum scandali.

DUBIUM: an permitti possit Mons pietatis cum usura mensili duarum libellarum pro quolibet centum.

Beatissimo Padre,

Il Vescovo N. N. umilmente espone alla S. V. come nella sua diocesi esiste un monte di pietà con le seguenti condizioni: I°. Fa prestiti coli' interesse mensile del due per cento. — 2°. Il padrone del capitale non prende per sè che il mezzo per cento ciascun mese. — 3°. L'uno per cento occorre alle spese di amministrazione. — 4°. Ciò che resta dopo tali spese si applica a formare il fondo proprio pel detto istituto o ad altre spese di carità e beneficenze. — Si noti che il fondatore di questo monte di pietà sborso a solo fine di beneficenza la somma di quarantamila scudi che gli fruttavano ogni mese il due o tre per cento, e che prima della fondazione di questo monte, le banche di prestito in quel luogo davano il danaro coli'interesse mensile del dieci o dodici per cento, con gravissimo pregiudizio dei poveri.

Il Vescovo oratore intanto implora la facoltà di autorizzare la continuazione delle operazioni di quel monte di pietà nelle condizioni suesposte.

Feria IV, die 26 Iulii 1899.

In Congregatione Generali habita ab Emis et Riìiis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RRmorum DD. Consultorum voto, iidem EErïii ac RRmi Patres respondendum mandarunt :

Acquiescat, modo paratus sit stare mandatis S. Ecclesiae»

Insequenti vero feria VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSmo D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus relatione, SSmus Dnus responsionem Emorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquis. Not.*

DUBIUM : an validum sit matrimonium celebratum coram parocho non proprio per delegationem parochi proprii, quando alter ex sponsis, a proprio designatis, ab alio fuerit repraesentatus.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N., ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit quae sequuntur.

Ioseph F. et Maria G. ambo parochianae Ecclesiae S. Sebastiani , post factas pro ipsis publicationes matrimoniales in praefata propria Ecclesia, petierunt a parocho eiusdem Ecclesiae, ut facultatem ipsis faceret celebrandi matrimonium in alia paroecia, idest in paroecia S. Andreae.

Parochus illis morem gessit deditque illis litteram ad parochum S. Andreae, quibus ipsum delegabat ad benedicendum matrimonium inter duas praefatas personas expresse nominatas, idest Ioseph F. et Mariam G. — Sed coram parocho S. Andreae non apparuit Ioseph F. cum Maria G., sed Georgius M. cum Maria G. ad contrahendum matrimonium.

Parochus S. Andreae, qui personaliter non cognoscebat personas, credens illos esse, de quibus in litteris delegatoriis, benedixit matrimonium inter Georgium M. et Mariam G. et non inter Ioseph F. et Mariam G., prout erat in praefatis litteris delegatoriis.

Quoniam Georgius M. timebat ne matrimonium suum cum Maria G. a parentibus impediretur si nomen ipsius apparuisset in bannorum publicatione, et si personaliter se praesentasset coram proprio parocho, sic de condicto malitiose et de consensu puellae alium suffecit, idest Ioseph F., pro quo factae fuerunt publicationes bannorum, in cuius favorem parochus dedit litteras delegatorias ad alium sacerdotem ad benedicendum matrimonium.

Eo ipso die, quo celebratum fuit huiusmodi matrimonium, parentes et consanguinei Georgii M. impedierunt ne sponsa traderetur ad domum sponsi, et statim detulerunt casum ad Curiam. Episcopus statim ordinavit separationem huiuscemodi nuptorum, quousque causa examinaretur et decideretur.

Instituto igitur et facto processu ad normam Constitutionis *Dei miseratione,* Episcopus tulit sententiam contra validitatem matrimonii attentati inter Georgium M. et Mariam G., declara-

vitque illud invalidum esse et nullum propter impedimentum clandestinitatis. Etenim neuter sponsorum pertinebat ad iurisdictionem parochi S. Andreae, qui benedixit, seu adstitit matrimonio tantum ex delegatione. Delegatio autem data fuit illi a parocho iurisdictionem habente ad benedicendum matrimonium inter Ioseph F. et Mariam G. et non inter Georgium M. et Mariam G. Delegatus vero tantam solummodo facultatem habet, quantam illi delegans communicavit

Episcopus Orator nullum habet dubium circa sententiam a se prolatam et opinatur matrimonium in quaestione omnino invalidum esse. Verum quia aliqui Missionarii et sacerdotes contrariam habent opinionem, postulat humiliter a S. Congregatione, ut ei significare dignetur utrum recte tulerit sententiam de ipsius matrimonii invaliditate.

Feria IV, die 2 Augusti 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis coram Emis et Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Ge neralibus Inquisitoribus habita, proposito supradicto casu, post diligentem accuratamque discussionem, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi ac RRmi Patres rescribendum mandarunt :

Affirmative ; idest sententiam Curiae Episcopalis esse confirmandam.

Sequenti vero feria VI, die **4** eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSiîio Dno N. Leone Pp. XIII R. P. D. Assessori S. Officii impertita, SSmus D. N. praefatam resolutionem EEmorum ac RRmorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI, S. *R. et U. lnquis. Aot.*

EPISTOLA ENCYCLICA SS. D. N. Leonis PP. XIII ad Archiepiscopos, Episcopos et Clerum Galliae.

Vénérables Frères, très chers Fils.

Depuis le jour où Nous avons été élevé à la Chaire pontificale, la France a été constamment l'objet de Notre sollicitude et de Notre affection toute particulière. C'est chez elle, en effet que, dans le cours des siècles, mu par les insondables desseins de sa miséricorde sur le monde, Dieu a choisi de préférence les hommes apostoliques destinés à prêcher la vrai foi jusqu'aux confins du globe, et à porter la lumière de l'Evangile aux nations encore plongées dans les ténèbres du paganisme. Il l'a prédestiné à être le défenseur de son Église et l'instrument de ses grandes œuvres : ***Gesta Dei per Francos.***

A une si haute mission correspondent évidemment de nombreux et graves devoirs. Désireux, comme Nos prédécesseurs, de voir la France accomplir fidèlement le glorieux mandat dont elle a été chargée, Nous lui avons plusieurs fois déjà, durant Notre long Pontificat, adressé Nos conseils, Nos encouragements, Nos exhortations. Nous l'avons fait tout spécialement dans Notre Lettre Encyclique du 8 février 1884, ***Nobilissima Gallorum gens,*** et dans Notre Lettre du 16 février 1892, publiée dans l'idiome de la France et qui commence par ces mots: ***Au milieu de sollicitude.*** Nos paroles ne sont pas demeurées infructueuses, et Nous savons par vous, Vénérables Frères, qu'une grande partie du peuple français tient toujours en honneur la foi de ses ancêtres et remplit avec fidélité les devoirs qu'elle impose. D'autre part, Nous ne saurions ignorer que les ennemis de cette foi sainte ne sont pas demeurés inactifs, et qu'ils sont parvenus à bannir tout principe de religion d'un grande nombre de familles, qui, par suite, vivent dans une lamentable ignorance de la vérité révélée, et dans une complète indifférence pour tout ce qui touche à leurs intérêts spirituels et au salut de leurs âmes.

Si donc, et à bon droit, Nous félicitons la France d'être pour les nations infidèles un foyer d'apostolat, Nous devons encourager aussi les efforts de ceux de ses fils, qui, enrôlés dans le sacerdoce de Jésus-Christ, travaillent à évangéliser leurs compatriotes, à les prémunir contre l'envahissement du natu-

ralisme et de l'incrédulité, avec leurs funestes et inévitables conséquences. Appelés par la volonté de Dieu à être les sauveurs du monde, les prêtres doivent toujours, et avant tout se rappeler qu'ils sont, de par l'institution même de Jésus-Christ, « le sel de la terre » (1), d'où S. Paul, écrivant à son disciple Timothée, conclus avec raison « qu'ils doivent être l'exemple des «fidèles dans leurs paroles et dans leurs rapports avec le pro-« chain, par leur charité, leur foi et leur pureté (2) ».

Qu'il en soit ainsi du Clergé de France, pris dans son ensemble, ce Nous est toujours, Vénérables Frères, une grande consolation de l'apprendre ; soit par les relations quadriennales que vous Nous envoyez sur l'état de vos diocèses, conformément à la Constitution de Sixte-Quint; soit par les communications orales que Nous recevons de vous, lorsque Nous avons la joie de Nous entretenir avec vous et de recevoir vos confidences. Oui, la dignité de la vie, l'ardeur de la foi, l'esprit de dévouement et de sacrifice, l'élan et la générosité du zèle, la charité inépuisable envers le prochain, l'énergie dans toutes les nobles et fécondes entreprises qui ont pour but la gloire de Dieu, le salut des âmes, le bonheur de la patrie : telles sont les traditionnelles et précieuses qualités du clergé français auxquelles Nous sommes heureux de pouvoir rendre ici un public paternel témoignage.

Toutefois, en raison même de la tendre et profonde affection que Nous lui portons; tout à la fois pour satisfaire au devoir de Notre ministère apostolique, et pour répondre à Notre vif désir de le voir demeurer toujours à la hauteur de sa grande mission, Nous avons résolu, Vénérables Frères, de traiter dans la présente Lettre quelques points que les circonstances actuelles recommandent de la façon la plus instante à la consciencieuse attention des premiers Pasteurs de l'Église de France, et des prêtres qui travaillent sous leur autorité.

C'est d'abord chose évidente que, plus un office est relevé, complexe, difficile, plus longue et plus soignée doit être la préparation de ceux qui sont appelés à le remplir. Or existe-t-il sur .la terre une dignité plus haute que celle du sacerdoce, et un ministère imposant, une plus lourde responsabilité, que celui

(1) Matth. V, 13.
(2) I. Tim. IV, 12.

qui a pour objet la sanctification de tous les actes libres de l'homme? N'est-ce pas du gouvernement des âmes que les Pères ont dit avec raison, que c'est « l'art des arts », c'est-à-dire le plus important et le plus délicat de tous les labeurs auxquels un homme puisse être appliqué au profit de ses semblables « ars artium regimen animarum » ? (1) Rien donc ne devra être négligé pour préparer à remplir dignement et fructueusement une telle mission, ceux qu'une vocation divine y appelle.

Avant toute chose, il convient de discerner, parmi les jeunes enfants, ceux en qui le Très-Haut a déposé le germe d'une semblable vocation. Nous savons que, dans un certain nombre de diocèses de France, grâce à vos sages recommandations, les prêtres des paroisses, surtout dans les campagnes, s'appliquent avec un zèle et une abnégation que Nous ne saurions trop louer, à commencer eux-mêmes les études élémentaires des enfants dans lesquels ils ont remarqué des dispositions sérieuses à la piété et des aptitudes au travail intellectuel. Les Ecoles presbytérales sont ainsi comme le premier degré de cette échelle ascendante qui, d'abord par les petits, puis par les grands Séminaires, fera monter jusqu'au sacerdoce les jeunes gens auxquels le Sauveur a répété l'appel adressé à Pierre et André, à Jean et à Jacques : « Laissez vos filets ; suivez-moi ; je veux « faire de vous des pêcheurs d'hommes » (2).

Quant aux petits Séminaires, cette très-salutaire institution a été souvent et justement comparée à ces pépinières, où sont mises à part les plantes qui réclament des soins plus spéciaux et plus assidus, moyennant lesquels seuls elles peuvent porter des fruits et dédommager de leurs peines ceux qui s'appliquent à les cultiver. Nous renouvelons à cet égard la recommandation que, dans son Encyclique du 8 décembre 1849, notre prédécesseur Pie IX adressait aux Evêques. Elle se référait elle-même à une çle plus importantes décisions des Pères du S. Concile de Trente. C'est la gloire de l'Eglise de France, dans le siècle présent d'en avoir tenu le plus grand compte, puisqu'il n'est pas un seul des 94 diocèses dont elle se compose, qui ne soit doté d'un ou de plusieurs petits Séminaires.

Nous savons, Vénérables Frères, de quelles sollicitudes

(-1) S. Greg. M. Lib. Regulae Past. P. 1, c. 1.
(2) Matth. IV, 19.

vous entourez ces institutions, si justement chères à votre zèle pastoral, et Nous vous en félicitons. Les prêtres qui, sous votre haute direction, travaillent à la formation de la jeunesse appelée à s'enrôler plus tard dans les rangs de la milice sacerdotale, ne sauraient trop souvent méditer devant Dieu l'importance exceptionelle de la mission que vous leur confiez. Il ne s'agit pas pour eux, comme pour le commun des maîtres, d'enseigner simplement à ces enfants les éléments des lettres et des sciences humaines. Ce n'est là que la moindre partie de leur tâche. Il faut que leur attention, leur zèle, leur dévouement soient sans cesse en éveil et en action, d'une part pour étudier continuellement sous le regard et dans la lumière de Dieu, les âmes des enfants et les indices significatifs de leur vocation au service des autels; de l'autre, pour aider l'inexpérience et la faiblesse de leurs jeunes disciples, à protéger la grâce si précieuse de l'appel divin contre toutes les influences funestes soit du dehors, soit du dedans. Ils ont donc à remplir un ministère humble, laborieux, délicat, qui exige une constante abnégation. Afin de soutenir leur courage dans l'accomplissement de leurs devoirs, ils auront soin de le retemprer aux sources les plus pures de l'esprit de foi. Ils ne perdront jamais de vue, qu'ils n'ont point à préparer pour des fonctions terrestres, si légitimes et honorables soient-elles, les enfants dont ils forment l'intelligence, le cœur, le caractère. L'Église les leur confie pour qu'ils deviennent capables un jour d'être des prêtres c'est-à-dire des missionnaires de l'Evangile, des continuateurs de l'œuvre de Jésus-Christ, des distributeurs de sa grâce et de ses sacrements. Que cette considération toute surnaturelle se. mêle incessamment à leur double action de professeurs et d'éducateurs, et soit comme ce levain qu'il faut mélanger au meilleur froment, suivant la parabole évangélique pour le transformer en un pain savoureux et substantiel (1).

Si la préoccupation constante d'une première et indispensable formation à l'esprit et aux vertus du sacerdoce doit inspirer les maîtres de vos petits Séminaires dans leurs relations avec leurs élèves, c'est à cette même idée principale et directrice que se rapporteront le plan des études, et toute l'économie de la discipline. Nous n'ignorons pas, Vénérables Frères

(1) Matth. XIII, 33.

que, dans une certaine mesure, vous êtes obligés de compter avec les programmes de l'Etat et les conditions mises par lui à l'obtention des grades universitaires, puisque, dans un certain nombre de cas, ces grades sont exigés des prêtres employés soit à la direction des collèges libres, placés sous la tutèle des Evêques ou des Congrégations religieuses, soit à l'enseignement supérieur dans les Facultés catholiques que vous avez si louablement fondées. Il est d'ailleurs d'un intérêt souverain, pour maintenir l'influence du clergé sur la société, qu'il compte dans ses rangs un assez grand nombre de prêtres ne le cédant en rien pour la science, dont les grades sont la constatation officielle, aux maîtres que l'Etat forme pour ses lycées et ses Universités.

Toutefois, et après avoir fait à cette exigence des programmes la part qu'imposent les circonstances, il faut que les études des aspirants au sacerdoce demeurent fidèles aux méthodes traditionnelles des siècles passés. Ce sont elles qui ont formé les hommes éminents dont l'Eglise de France est fière à si juste titre, les Pétau, les Thomassin, les Mabillon et tant d'autres, sans parler de votre Bossuet, appelé l'aigle de Meaux, parce *que*, soit par l'élévation des pensées, soit par la noblesse du langage, son génie plane dans les plus sublimes régions de la science et de l'éloquence chrétienne. Or, c'est l'étude des belles lettres qui a puissamment aidé ces hommes à devenir de très-vaillants et utiles ouvriers au service de l'Eglise, et les a rendus capables de composer des ouvrages vraiment dignes de passer à la postérité et qui contribuent encore de nos jours à la défense et à la diffusion de la vérité révélée. En effet, c'est le propre des belles lettres, quand elles sont enseignées par des maîtres chrétiens et habiles, de développer rapidement dans l'âme des jeunes gens tous les germes de vie intellectuelle et morale en même temps qu'elles contribuent à donner au jugement, de la rectitude et de l'ampleur, et au langage, de l'élégance et de la distinction.

Cette considération acquiert une importance spéciale quand il s'agit des littératures grecque et latine, dépositaires des chefs-d'œuvre de science sacrée que l'Eglise compte à bon droit parmi ses plus précieux trésors. Il y a un demi-siècle, pendant cette période trop courte de véritable liberté, durant laquelle les Evêques des France pouvaient se réunir et concerter les me-

sures qu'ils estimaient les plus propres à favoriser les progrès- de la religion et, du même coup, les plus profitables à la paix publique, plusieurs de vos Conciles provinciaux, Vénérables Frères, recommandèrent de la façon la plus expresse la culture de la langue et de la littérature latines. Vos collègues d'alors déploraient déjà que, dans votre pays la connaissance du latin tendit à décroître (1).

Si, depuis plusieurs années, les méthodes pédagogiques en vigueur dans les établissements de l'Etat réduisent progressivement l'étude de la langue latine, et suppriment des exercices de prose et poésie que nos devanciers estimaient à bon droit devoir tenir une grande place dans les classes des collèges, les petits Séminaires se mettront en garde contre ces innovations inspirées par des préoccupations utilitaires, et qui tournent au détriment de la solide formation de l'esprit. A ces anciennes méthodes, tant de fois justifiées par leurs résultats, Nous appliquerions volontiers le mot de S. Paul à son disciple Timothée, et avec l'Apôtre, Nous vous dirions, Vénérables Frères : « Gardez-en le dépôt » (2), avec un soin jaloux. Si un jour, ce qu'à Dieu ne plaise, elles devaient disparaître complètement des autres écoles publiques, que vos petits Séminaires et collèges libres les gardent avec une intelligente et patriotique sollicitude. Vous imiterez ainsi les prêtres de Jérusalem qui, voulant soustraire à de barbares envahisseurs le feu sacré du Temple, le cachèrent de manière à pouvoir le retrouver et à lui rendre toute sa splendeur, quand les mauvais jours seraient passés (3).

Une fois en possession de la langue latine, qui est comme la clef dé la science sacrée, et les facultés de l'esprit suffisamment développées par l'étude des belles lettres, les jeunes gens qui se destinent au sacerdoce passent du petit au grand Séminaire. Ils s'y prépareront, par la piété et l'exercice des vertus cléricales, à la réception des saints Ordres, en même temps qu'ils s'y livreront à l'étude de la Philosophie et de la Théologie.

(1) Porro linguam latinam apud nos obsolescere nec quisquam est qui nesciat, et viri prudentes conqueruntur. Discitur tardissime, celerrime dediscitur- (Litt. Synod. Patrum Conc. Paris, ad clericos et fideles, an. 1849, in *Collectio Lacensis* Tom. -IV, coli. 86).

(2) I Tim. VI, 20. ,

(3) Il Mach. 1. 19-22.

Nous le disions dans Notre Encyclique ***Aeterni Patris,*** dont Nous recommandons de nouveau la lecture attentive à vos séminaristes et à leurs maîtres, et Nous le disions en Nous appuyant sur l'autorité de S. Paul: c'est par les vaines subtilités, de la mauvaise philosophie, « ***per philosophiam et inanem fallaeiam*** », (1) que l'esprit des fidèles se laisse le plus souvent tromper, et que la pureté de ïa foi se corrompt parmi les hommes. Nous ajoutions, et les événements accomplis depuis vingt ans ont bien tristemenfconfirmé les réflexions et les appréhensions que Nous exprimions alors : « Si l'on fait attention « aux conditions critiques du temps où nous vivons, si l'on « embrasse par la pensée l'état des affaires tant publiques que « privées, on découvrira sans peine que la cause des maux « qui nous oppriment, comme de ceux qui nous menacent, « consiste en ceci que des opinions erronées sur toutes choses, « divines et humaines, des écoles des philosophes se sont peu « à peu glissées dans tous les rangs de la société et sont ar« rivées à se faire accepter d'un grand nombre d'esprits » (2).

Nous réprouvons de nouveau ces doctrines qui n'ont de la vraie philosophie que le nom, et qui, ébranlant la base même du savoir humain, conduisent logiquement au scepticisme universel et à l'irréligion. Ce nous est une profonde douleur d'apprendre que, depuis quelques années, des catholiques ont cru pouvoir se mettre à la remorque d'une philosophie qui, sous le spécieux prétexte d'affranchir la raison humaine de toute idée préconçue et de toute illusion, lui dénie le droit de rien affirmer au delà de ses propres opérations, sacrifiant ainsi à un subjectivisme radical toutes les certitudes que la métaphysique traditionnelle, consacrée par l'autorité des plus vigoureux esprits, donnait comme nécessaires et inébranlables fondements à la démonstration de l'existence de Dieu, de la spiritualité et de l'immortalité de l'âme, et de la réalité objective du monde extérieur. Il est profondément regrettable que ce scepticisme doctrinal, d'importation étrangère et d'origine protestante, ait pu être accueilli avec tant de faveur dans un pays justement célèbre par son amour pour la clarté des idées et pour celle du langage. Nous savons, Vénérables Frères, à quel

(1) Col. II, 8.

(2) Encyclique *Aeterni Patris,*

point vous partagez là-dessus Nos justes préoccupations, et Nous comptons que vous redoublerez de sollicitude et de vigilance pour écarter de l'enseignement de vos Séminaires cette fallacieuse et dangereuse philosophie, mettant plus que jamais en honneur les méthodes que Nous recommandions dans Notre Encyclique précitée du 4 août 1879.

Moins que jamais à notre époque, les élèves de vos petits et de vos gands Séminaires ne sauraient demeurer étrangers à l'étude des sciences physiques et naturelles. Il convient donc qu'ils y soient appliqués, mais avec mesure et dans de sages proportions. Il n'est donc nullement nécessaire que, dans les cours des sciences, annexés à l'étude de la philosophie, les professeurs se croient obligés d'exposer en détail les applications presque innombrables des sciences physiques et naturelles aux diverses branches de l'industrie humaine. Il suffit que leurs élèves en connaissent avec précision les grands principes et les conclusions sommaires, afin d'être en état de résoudre les objections que les incrédules tirent de ces sciences contre les enseignements de la Révélation.

Par dessus tout, il importe que, durant deux ans au moins, les élèves de vos grands Séminaires étudient avec un soin assidu la philosophie ***rationnelle,*** laquelle, disait un savant bénédictin, l'honneur de son ordre et de la France, D. Mabillon, leur sera d'un si grand secours, non seulement pour leur apprendre à bien raisonner et à porter de justes jugements, mais pour les mettre à même de défendre la foi orthodoxe contre les arguments captieux et souvent sophistiques des adversaires (1).

Viennent ensuite les sciences sacrées proprement dites, à savoir la Théologie dogmatique et la Théologie morale, l'Ecriture Sainte, l'Histoire ecclésiastique et le Droit Canon. Ce sont là les sciences propres au prêtre. Il en reçoit une première initiation pendant son séjour au grand Séminaire; il devra en poursuivre l'étude tout le reste de sa vie.

La Théologie, c'est la science des choses de la foi. Elle s'alimente, nous dit le Pape Sixte-Quint, à ces sources toujours jaillissantes qui sont les Saintes Ecritures, les décisions des Papes, les décrets des Conciles (2).

(1) De Studiis Monasticis Part. II, c. 9.

(2) Const. Apost. « Triumphantis Ierusalem ».

Appelée positive et spéculative, ou scolastique, suivant la méthode qu'on emploie pour l'étudier, la Théologie ne se borne pas à proposer les vérités à croire; elle en scrute le fond intime, elle en montre les rapports, avec la raison humaine, et à l'aide des ressources que lui fournit la vraie philosophie, elle les explique, les développe, et les adapte exactement à tous les besoins de la defense et de la propagation de la foi. A l'instar de Bélèséel, à qui le Seigneur avait donné son esprit de sagesse, d'intelligence et de science, en lui conflant la mission, de bâtir son Temple, le théologien « taille les pierres précieuses «des divins dogmes, les assortit avec art, et par Pencadre-« ment dans lequel il les place, en fait ressortir l'éclat, le charme « et la beauté » (1).

C'est donc avec raison que le même Sixte-Quint appelle cette théologie (et il parle spécialement ici de la théologie scolastique) un don du ciel et demande qu'elle soit maintenue dans les écoles et cultivée avec une grande ardeur, comme étant ce qu'il y a de plus fructueux pour l'Eglise (2).

Est-il besoin d'ajouter que les livres par excellence où les élèves pourront étudier avec plus de profit la théologie scolastique, est la somme théologique de S. Thomas d'Aquin ? Nous voulons donc que les professeurs aient soin d'en expliquer à tous leurs élèves la méthode, ainsi que les principaux articles relatifs à la foi catholique.

Nous recommandons également que tous les Séminaristes aient entre les mains et relisent souvent le livre d'or, connu sous le nom de Catéchisme du S. Concile de Trente ou Catéchisme romain, dédié à tous les prêtres investis de la charge pastorale (Catechismus ad parochos). Remarquable à la fois par la richesse et l'exactitude de la doctrine et par l'élégance du style, ce catéchisme est un précieux abrégé de toute'la théologie dogmatique et morale. Qui le posséderait à fond, aurait toujours à sa disposition les ressources à l'aide desquelles un prêtre peut prêcher avec fruit, s'acquitter dignement de l'important ministère de la confession et de la direction des

(1) Pretiosas divini dogmatis gemmas insculpe, ñdeliter coapta, adorna sapienter; aduce splendorem, gratiam, venustatem. (S. Vinc. Lir. Communit, c. 2).

(2) Même Constitution.

âmes, et être en état de réfuter victorieusement les objections des incrédules.

Au sujet de l'étude des Saintes Ecritures, Nous appelons de nouveau votre attention, Vénérables Frères, sur les enseignements que Nous avons donnés dans Notre Encyclique ***Providentissimus Deus*** (1), dont Nous désirons que les Professeurs donnent connaissance à leurs disciples, en y ajoutant les explications nécessaires. Ils les mettront spécialement en garde contre des tendances inquiétantes qui cherchent à s'introduire dans l'interprétation de la Bible, et qui, si elles venaient à prévaloir, ne tarderaient pas à en ruiner l'inspiration e le caractère surnaturel. Sous le spécieux prétexte d'enlever aux adversaires de la parole révélée l'usage d'arguments qui semblaient irréfutables contre l'authenticité et la véracité des Livres Saints, des écrivains catholiques ont cru très habile de prendre ces arguments à leur compte. En vertu de cette étrange et périlleuse tactique, ils ont travaillé, de leurs propres mains, à faire des brèches dans les murailles de la cité qu'ils avaient mission de défendre. Dans Notre Encyclique précitée, ainsi que dans un autre document (2), Nous avons fait justice de ces dangereuses témérités. Tout en encourageant nos exégètes à se tenir au'courant des progrès de la critique, Nous" avons fermement maintenu les principes sanctionnés en cette matière par l'autorité traditionelle des Pères et des Conciles, et renouvelés de nos jours par le Concile du Vatican.

L'histoire de l'Eglise est comme un miroir, où resplendit la ***me*** de l'Eglise à travers les siècles. Bien plus encore que l'histoire civile et profane, elle démontre la souveraine liberté de Dieu et son action providentielle sur la marche des événements. Ceux qui Pétudient ne doivent jamais perdre de vue qu'elle renferme un ensemble de fait dogmatique, qui s'imposent à la foi et qu'il n'est permis à personne de révoquer en doute. Cette idée directrice et surnaturelle qui préside aux destinées de l'Eglise est en même temps le flambeau dont la lumière éclaire son histoire. Toutefois, et parce que l'Eglise, qui continue parmi les hommes la vie du Verbe incarné, se corn-

Ci) 18 Nov. 1893.

(2) « Genus interpretandi audax atque immodice liberum » (Lettre au Ministre Général des Frères Mineurs, 25 Nov. 1898).

pose d'un élément divin et d'un élément humain, ce dernier doit être exposé par les maîtres et étudié par les élèves avec une grande probité. Comme il est dit au livre de Job «Dieu n'a pas besoin de nos mensonges » (1).

L'historien de l'Eglise sera d'autant plus fort pour faire ressortir son origine divine, supérieurs à tout concept d'ordre purement terrestre et naturel, qu'il aura été plus loyal à ne rien dissimuler des épreuves que les fautes de ses enfants, et parfois même de ses ministres, ont fait subir à cette Epouse du Christ dans les cours des siècles. Etudiée de cette façon, l'histoire de l'Eglise, à elle toute seule, constitue une magnifique et concluante démonstration de la vérité et de la divinité du Christianisme.

Enfin, pour achever le cycle des études par lesquelles les candidats au sacerdoce doivent se préparer à leur futur ministère, il faut mentionner le Droit canonique, ou science des lois et de la jurisprudence de l'Eglise. Cette science se rattache par des liens très-intimes et très-logiques à celle de la Théologie, dont elle montre les applications pratiques à tout ce qui concerne Je gouvernement de l'Eglise, la Dispensation des choses saintes, les droits et les devoirs de ses ministres, l'usage des biens temporels, dont elle a besoin pour l'accomplissement de sa mission. « Sans la connaissance du Droit canonique (disaient « fort bien les Pères d'un de vos conciles provinciaux) la théo- « logie est imparfaite, incomplète, semblable à un homme qui « serait privé d'un bras. C'est l'ignorance du droit canon qui « a favorisé la naissance et la diffusion de nombreuses erreurs « sur les droits des Pontifes Romains, sur ceux des evêques, « et sur la puissance que l'Eglise tient de sa propre constitu- « tion, dont elle proportionne l'exercice aux circonstances » (2).

Nous résumerons tout ce que Nous venons de dire sur vos petits et vos grands Séminaires par cette parole de S. Paul, que Nous recommandons à la frequente méditation des maîtres et des élèves de vos athénées ecclésiastiques : « O Timothée, gar-

(1) ***Nunquid Deus indiget vestro mendacio?*** **(Iob XIII, 77).**

(2) Theologicarum doctrinarum solidae scientiae coniungi debet Sacrorum Canonum cognitio... sine qua theologia erit imperfecta et quasi manca, nec non multi errores de Romani Pontificis, episcoporum iuribus ac praesertim de potestate quam Ecclesia iure proprio exercuit, pro varietate temporum, forsitan serpent et paulatim invalescent. (Conc. prov. Bitur. a. 1868).

« dez avec soin le dépôt qui vous a été confié. Fuyez les pro-
« fanes nouveautés de paroles et les objections qui se couvrent
« du faux nom de science ; car tous ceux qui en ont fait pro-
« fession, ont erré au sujet de la foi » (1).

C'est à vous maintenant, très-chers Fils, qui, ordonnés prêtres, êtes devenus les coopérateurs de vos Evêques, c'est à vous que Nous voulons adresser la parole. Nous connaissons, et le monde entier connaît comme Nous, les qualités qui vous distinguent. Pas une bonne œuvre dont vous ne soyez ou les inspirateurs ou les apôtres. Dociles aux conseils que Nous avons donnés dans Notre Encyclique ***Rerum Novarum,*** vous allez au peuple, aux ouvriers, aux pauvres. Vous cherchez par tous les moyens à leur venir en aide, à les moraliser et à rendre leur sort moins dur. Dans ce but, vous provoquez des réunions et des congrès; vous fondez des patronages, des cercles, des caisses rurales, des bureaux d'assistance et de placement pour les travailleurs. Vous vous ingéniez à introduire des réformes dans l'ordre économique et social, et pour un si difficile labeur vous n'hésitez pas à faire de notables sacrifices de temps et d'argent. C'est encore pour cela que vous écrivez des livres ou des articles dans les jornaux et les revues périodiques. Toutes ces choses, en elles-mêmes, sont très-louables et vous y donnez des preuves non équivoques de bon vouloir, d'intelligent et généreux dévouement aux besoins les plus pressants de la société contemporaine et des âmes.

Toutefois, très-chers Fils, Nous croyons devoir appeler paternellement votre attention sur quelques principes fondamentaux, auxquels vous ne manquerez pas de vous conformer, si vous voulez que votre action soit réellement fructueuse et féconde.

Souvenez-vous avant toute chose que, pour être profitable au bien et digne d'être loué, le zèle doit être « accompagné de discrétion, de rectitude et de pureté ». Ainsi s'exprime le grave et judicieux Thomas a Kempis (2). Avant lui, S. Bernard, la gloire de votre pays au douzième siècle, cet apôtre infatigable de toutes les grandes causes qui touchaient à l'honneur de Dieu, aux droits

(1) ***O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*** **(I Tim. VI, 20-21).**

(2) Zelus animarum laudandus est si sit discretus, rectus et purus.

de l'Eglise, au bien des âmes, n'avait pas craint de dire que « séparée de la science, et de l'esprit de discernement ou de « discrétion, le zèle est insupportable.... que plus le zèle est « ardent, plus il est nécessaire qu'il soit accompagné de cette « discrétion qui met l'ordre dans l'exercice de la charité et sans « laquelle la vertu elle-même peut devenir un défaut et un prin- « cipe de désordre » (1).

Mais la discrétion dans les oeuvres et dans le choix des moyens pour les faire réussir est d'autant plus indispensable. que les temps présents sont plus troublés et hérissés de difficultés plus nombreuses. Tel acte, telle mesure, telle pratique de zèle pourront être excellents en eux mêmes, lesquels, vu les circonstances, ne produiront que des résultats fâcheux. Les prêtres éviteront cet inconvénient et ce malheur si, avant d'agir et dans l'action, ils ont soin de se conformer à l'ordre établi et aux règles de la discipline. Or, la discipline ecclésiastique exige l'union entre les divers membres de la hiérarchie, le respect et l'obéissance des inférieurs á l'égard des supérieurs. Nous le disions naguères dans Nos lettres à l'Archevêque de Tours: « L'édifice de l'Eglise, dont Dieu lui-même est l'architecte, re- « pose sur un très-visible fondement, d'abord sur l'autorité de « Pierre et de ses Successeurs, mais aussi sur les Apôtres, et « les Successeurs des Apôtres, qui sont les Evêques ; de telle « sorte que écouter leur voix ou la mépriser, équivaut à écouter « ou à mépriser Jésus-Christ lui-même » (2).

Ecoutez donc les paroles adressées par le grand martyr d'Antioche, St. Ignace, au clergé de l'église primitive : « Que « tous obéissent à leur Evêque comme Jésus-Christ a obéi à « son Père. Ne faites en dehors de votre Evêque rien de ce « qui touche au service de l'Eglise, et de même que Notre Sei- « gneur n'a rien fait que dans une étroite union avec son Père,

(1) Importabilis siquidem absque scientia est zelus.... Quo igitur zelus fervidior ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientia est quae zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.....Tolle hanc (discretionem) et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur exterminiumque naturae (S. Bern. Serm. XLIX in Cant. n. 5).

(2) Divinum quippe aedificium, quod est Ecclesia, verissime nititur in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et Successoribus eius, proxime in Apostolis et Successoribus eorum, Episcopis, quos, qui audit vel spernit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum (Epist, ad Arch. Turon.).

« vous, prêtres, ne faites rien sans votre Evêque. Que tous les « membres du corps presbytéral lui soient unis, de même que « sont unies à la harpe toutes le cordes de l'instrument» (1).

Si, au contraire, vous agissiez, comme prêtres, en dehors de cette soumission et de cette union à vos Evêques, Nous vous répéterions ce que disait Notre prédécesseur Grégoire XVI, à savoir que, «autant qu'il dépend de votre pouvoir, vous dé« truisez de fond en comble l'ordre établi avec une si sage pré« voyance par Dieu, auteur de PEglise » (2).

Souvenez-vous encore, Nos chers flls, que l'Eglise est avec raison comparée à une armée rangée en bataille, *sicut castrorum acies ordinata* (3), parce qu'elle a pour mission de combattre les ennemis visibles et invisibles de Dieu et des âmes. Voilà pourquoi S. Paul recommandait à Timothée de se comporter « comme un bon soldat du Christ Jésus » (4). Or, ce qui fait la force d'une armée et contribue le plus à la victoire, c'est la discipline, c'est l'obéissance exacte et rigoureuse de tous, à ceux qui ont la charge de commander.

C'est bien ici que le zèle intempestif et sans discrétion peut aisément devenir la cause de véritables désastres. Rappelez-vous un des faits les plus mémorables de l'histoire sainte. Assurément, ils ne manquaient ni de courage, ni de bon vouloir, ni de dévouement à la cause sacrée de la religion, ces prêtres qui s'étaient groupés autour de Judas Machabée pour combattre avec lui les ennemis du vrai Dieu, les profanateurs du temple, lés oppresseurs de leur nation. Toutefois, ayant voulu s'affranchir des règles de la discipline, ils s'engagèrent témérairement dans un combat où ils furent vaincus. L'Esprit-Saint nous dit d'eux « qu'ils n'étaient pas de la race de ceux qui pouvaient sauver Israël ». —• Pourquoi? parce qu'ils avaient voulu n'obéir qu'à leurs propres inspirations et s'étaient jetés en avant sans

(l)iOmnes episcopum sequimini ut Christus Iesus Patrem...... Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam spectant (S. Ign. Ant. Ep. ad Smyrn. 8). Quemadmodum itaque Dominus sine Patre nihil fecit.... sic et vos sine episcopo (idem ad Magn. VII.) Vestrum presbyterium ita coaptatum sit Episcopo ut chordae citharae (idem ad Ephes. IV).

(2) Quantum in vobis est, ordinem ab auctore Ecclesiae Deo providentissime constitutum, funditus avertitis (Greg. XVI, Epist. Encycl. 15 Aug. 1832).

(3) Cant. VI, 3.

(4) II Tim. II, 3.

attendre les ordres de leurs chefs. ***In die illa ceciderunt sacerdotes in bello dum volunt fortiter facere dum sine consilio exeunt in praelium. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel*** (1).

A cet égard, nos ennemis peuvent nous servir d'exemple. Ils savent très-bien que l'union fait la force, « vis unita fortior»; aussi ne manquent-ils pas de s'unir étroitement, dès qu'il s'agit de combattre la sainte Eglise de Jésus-Christ.

Si donc, Nos chers Fils, comme tel est certainement votre cas, vous désirez que, dans la lutte formidable engagée contre l'Eglise par les sectes antichrétiennes et par la cité du démon, la victoire reste à Dieu et à son Eglise, il est d'une absolue nécessité que vous combattiez tous ensemble, en grand ordre et en exacte discipline, sous le commandement de vos chefs hiérarchiques. N'écoutiez pas ces hommes néfastes qui, tout en se disant chrétiens et catholiques, jettent la zizanie dans le champ du Seigneur et sèment la division dans son Eglise en attaquant, et souvent même, en calomniant les Evêques, « établis par l'Esprit saint pour régir l'Eglise de Dieu » (2). Ne lisez ni leurs brochures, ni leurs journaux. Un bon prêtre ne doit autoriser en aucune manière ni leurs idées, ni la licence de leur langage. Pourrait-il jamais oublier que, le jour de son ordination, il a solennellement promis à son Evêque, en face des saints autels, « obedientiam et reverentiam ? »

Par dessus tout, Nos chers Fils, rappelez-vous que la condition indispensable du vrai zèle sacerdotal et le meilleur gage de succès dans les oeuvres auxquelles l'obéissance hiérarchique vous consacre, c'est la pureté et la sainteté de la vie. « Jésus a commencé par faire, avant d'enseigner » (3). Comme lui, c'est par la prédication de l'exemple que le prêtre doit préluder à la prédication de la parole. « Séparés du siècle et de ses affaires, (disent les Pères du S. Concile du Trente) les clercs « ont été placés à une hauteur qui les met en évidence, et les « fidèles regardent dans leur vie comme dans un miroir pour « savoir ce qu'ils doivent imiter. C'est pourqui les clercs, et tous « ceux que Dieu a spécialement appelés à son service, doivent

(1) I Mach. V, 67, 62.
(2) Act. XX, 28.
(3) Act. I, 1.

« si bien régler leurs actions et leurs mœurs que dans leur « manière d'être, leurs mouvements, leurs démarches, leurs « paroles et tous les autres détails de leur vie, il n'y ait rien « qui ne soit grave, modeste, profondément empreint de reli« gion. Ils éviteront avec soin les fautes qui, légères chez les « autres, seraient très-graves pour eux, afin qu'il n'y ait pas « un seul de leurs actes qui n'inspire à tous le respect » (1).

A ces recommandations du saint Concile, que Nous voudrions, Nos chers Fils, graver dans tous vos cœurs, manqueraient assurément les prêtres qui adopteraient dans leurs prédications un langage peu en harmonie avec la dignité de leur sacerdoce et la sainteté de la parole de Dieu ; qui assisteraient à des réunions populaires où leur présence ne servirait qu'à exciter les passions des impies et des ennemis de l'Eglise, et les exposerait eux-mêmes aux plus grossières injures, sans profit pour personne et au grand étonnement, sinon au scandale, des pieux fidèles ; qui prendraient les habitudes, les manières d'être et d'agir, et l'esprit des séculiers. Assurément le sel a besoin d'être mélangé à la masse qu'il doit préserver de la corruption, en même temps que lui-même se défend contre elle, sous peine de perdre toute saveur et de n'être plus bonne à rien, qu'à être jeté dehors et foulé aux pieds (2).

De même, le prêtre, sel de la terre dans son contact obligé avec la société qui l'entoure, doit-il conserver la modestie, la gravité, la sainteté dans son maintien, ses actes, ses paroles, et ne pas se laisser envahir par la légèreté, la dissipation, la vanité des gens du monde. Il faut, au contraire, qu'au milieu des hommes il conserve son âme si unie à Dieu, qu'il n'y perde rien de l'esprit de son saint état et ne soit pas contraint de faire devant Dieu et devant sa conscience ce triste et humiliant aveu : « toutes les fois que j'ai été parmi les laïques, j'en suis revenu moins prêtre ».

(1) Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos coniiciunt ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos • omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem (S. Conc. Trid. Sess. XXII, de Reform, c. 1).

(2) Matth. V, 13.

Ne serait-ce pas pour avoir, par un zèle présomptueux, mis de côté ces règles traditionnelles de la discrétion, de la modestie, de la prudence sacerdotales, que certains prêtres traitent de surannés, d'incompatibles avec les besoins du ministère dans le temps où nous vivons, les principes de discipline et de conduite qu'ils ont reçus de leurs maîtres du grand séminaire ? On les voit aller, comme d'instinct, au devant des innovations, les plus périlleuses de langage, d'allures, de relations. Plusieurs hélas ! engagés témérairement sur des pentes glissantes, où par eux-mêmes ils n'avaient pas la force de se retenir, méprisant les avertissements charitables de leurs supérieurs ou de leurs confrères plus anciens et plus expérimentés, ont abouti à des apostasies qui ont rejoui les adversaires de l'Eglise et fait verser des larmes bien amères à leurs Evêques, à leurs frères dans le sacerdoce et aux pieux fidèles. S. Augustin nous dit : « Plus on marche avec force et rapidité, « quand on est en dehors du bon chemin, et plus on s'é- « gare » (1).

Assurément, il y a des nouveautés avantageuses, propres à faire avancer le royaume de Dieu dans les âmes et dans la société. Mais, nous dit le saint Evangile (2), c'est au ***Père de famille,*** et non aux enfants, ou aux serviteurs, qu'il appartient de les examiner et, s'il le juge à propos, de leur donner droit de cité, à côté des usages anciens et vénérables qui composent l'autre partie de son trésor.

Lorsque naguères Nous remplissions le devoir apostolique de mettre les catholiques de l'Amérique du Nord en garde contre des innovations tendant entre autres choses, à substituer aux principes de perfection consacrés par l'enseignement des docteurs et par la pratique des saints, des maximes ou des règles de vie morale plus ou moins imprégnées de ce naturalisme qui, de nos jours, tend à pénétrer partout, Nous avons hautement proclamé que, loin de répudier et de rejeter en bloc les progrès accomplis dans les temps présents, Nous voulions accueillir très-volontiers tout ce qui peut augmenter le patrimoine de la science ou généraliser davantage les conditions de la prospérité publique. Mais Nous avions soin d'ajouter que ces pro-

ci) Enarr. in Ps. XXXI, n. 4.

(2) Matth. XIII, 52.

grès ne pouvaient servir efficacement la cause du bien, si l'on mettait de côté la sage autorité de l'Eglise (1).

En terminant ces lettres, il Nous plait d'appliquer au clergé de France ce que Nous écrivions jadis aux prêtres de Notre diocèse de Perouse. Nous reproduisons ici une partie de la' Lettre pastorale que Nous leur adressions le 19 juillet 1866.

« Nous demandons aux ecclésiastiques de notre diocèse de « réfléchir sérieusement sur leurs sublimes obligations, sur les « circonstances difficiles que nous traversons, et de faire en sorte « que leur conduite soit en harmonie avec leurs devoirs et tou- « jours conforme aux règles d'un zèle éclairé et prudent. Ainsi « ceux-là même qui sont nos ennemis chercheront en vain de « motifs de reproche et de blâme : ***qui ex adverso est, vereatur « nihil habens malum dicere de nobis*** » (2).

« Bien que les difficultés et les périls se multiplient de jour « en jour, le prêtre pieux et fervent ne doit pas pour cela se « décourager, il ne doit pas abandonner ses devoirs, ni même « s'arrêter dans l'accomplissement de la mission spirituelle « qu'il à reçue pour le bien, pour le salut de l'humanité et « pour le maintien de cette auguste religion, dont il est le hé- « raut et le ministre. Car c'est surtout dans les difficultés, dans « les épreuves que sa vertu s'affirme et se fortifie : c'est dans « les plus grands malheurs, au milieu des transformations po- « litiques et des bouleversements sociaux, que l'action bienfai- « sante et civilisatrice de son ministère se manifeste avec plus « d'éclat.

« . . . . . Pour en venir à la pratique, nous trouvons un en- « seignement parfaitement adapté aux circonstances dans les « quatre maximes que le grand apôtre S. Paul donnait à son « disciple Tite. En toutes choses, donnez le bon exemple par « vos œuvres, par votre doctrine, par l'intégrité de votre vie, « par la gravité de votre conduite, en ne faisant usage que de

(1) Abest profecto a Nobis ut quaecumque horum temporum ingenium parit, omnia repudiemus. Quin potius quidquid indagando veri aut enitendo boni attingitur, ad patrimonium doctrinae augendum publicaeque prosperitatis fines proferendos, libentibus sane Nobis accedit. Id tamen omne, ne solidae utilitatis sit expers, esse ac vigere nequaquam debet Ecclesiae auctoritate sapientiaque posthabita (Epist, ad S. R. E. Presbyt. Card. Gibbons Archiep. Baltimor., die 22 Ian. 1899).

(2) Tit. II, 8.

« paroles saintes et irrépréhensibles (1). Nous voudrions que « chacun des membres de notre clergé méditât ces maximes « et y conformât sa conduite ».

« In omnibus teipsum pruebe exemplum bonorum operum. « En toutes choses donnez l'exemple des bonnes œuvres c'est- « à-dire d'une vie exemplaire et active, animée d'un vérita- « ble esprit de charité et guidée par les maximes de la pru- « dence évangéliquë ; d'une vie de sacrifice et de travail, con- « sacrée à faire du bien au prochain, non pas dans des vues « terrestres et pour une récompense périssable, mais dans un « but surnaturel. Donnez l'exemple de ce langage à la fois « simple, noble et élevé, de cette parole saine et irrépréhensi- « ble, qui confond toute opposition humaine, apaise l'antique « haine que nous a vouée le monde, et nous concilie le respect, « l'estime même des ennemis de la religion. Quiconque c'est « voué au service du sanctuaire a été obligé en tout temps de « se montrer un vivant modèle, un exemplaire parfait de toutes « les vertus ; mais cette obligation est beaucoup plus grande « lorsque, par suite des bouleversements sociaux, on marche « sur un terrain difficile et incertain, où l'on peut trouver à « chaque pas des embûches et des prétextes d'attaque....

... « In doctrina. En présence des efforts combinés de l'in- « crédulité et de l'hérésie pour consommer la ruine de la foi « catholique, ce serait un vrai crime pour le clergé de rester « hésitant et inactif. Au milieu d'un si grand débordement « d'erreurs, d'un tel conflit d'opinions, il ne peut faillir à sa « mission qui est de défendre le dogme attaqué, la morale tra- « vestie et la justice si souvent méconnue. C'est à lui qu'il ap- « partient dé s'opposer comme une barrière à l'erreur envahis- **se** saute et à l'hérésie qui se dissimule ; à lui de surveiller les « agissements des fauteurs d'impiété qui s'attaquent à la fqi et « à l'honneur de cette contrée catholique; à lui de démasquer « leurs ruses et de signaler leurs embûches; à lui de prémunir « les simples, de fortifier les timides, d'ouvrir les yeux aux « aveugles. Une érudition superficielle, une science vulgaire ne « suffisent point pour cela : il faut des études solides, appro- « fondies et continuelles, ën un mot, un ensemble de connais-

(1) ***In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile.*** **(Tit. II, 7-8).**

« sanees doctrinales capables de lutter avec la subtilité et la '« singulière astuce de nos modernes contradicteurs....

... « ***In integritate.*** Rien ne prouve tant l'importance de ce «conseil, que la triste expérience de ce qui se passe autour « de nous. Ne voyons-nous pas en effet que la vie relâchée de « certains ecclésiastiques discrédite et fait mépriser leur minis- « tère et occasionne des scandales? Si des hommes, doués d'un « esprit aussi brillant que remarquable, désertent parfois les « rangs de la sainte milice et se mettent en révolte contre l'E- « glise, cette mère qui, dans son affectueuse tendresse, les avait « préposés au gouvernement et au salut des âmes, leur défe- « ction et leurs égarements n'ont plus souvent pour origine que « leur indiscipline, ou leurs mauvaises mœurs....

... « ***In gravitate.*** Par gravité, il faut entendre cette conduite « sérieuse, pleine de jugement et de tact qui doit être propre « au ministre fidèle et prudent que Dieu a choisi pour le gou- « vernement de sa famille. Celui-ci, en effet, tout en remerciant « Dieu d'avoir daigné l'élever à cet honneur, doit se montrer « fidèle à toutes ses obligations, en même temps que mesuré « et prudent dans tous ses actes ; il ne doit point se laisser do- « miner par de viles passions, ni emporter en paroles violentes « et excessives; il doit compatir avec bonté aux malheurs et « aux faiblesses d'autrui, faire à, chacun tout le bien qu'il peut, « d,'une manière désintéressée, sans ostentation, en maintenant « toujours intact i'honneur de son caractère et de sa subliriie « dignité ».

Nous revenons maintenant à vous, Nos chers fils du clergé français, et Nous avons la ferme confiance que Nos prescriptions et Nos conseils, uniquement inspirés par Notre affection paternelle, seront compris et reçus par vous, selon le sens et la portée que Nous avons voulu leur donner en vous adressant ces Lettres.

Nous attendons beaucoup de vous; parce que Dieu vous a richement pourvus de tous les dons et des toutes les qualités nécessaires pour opérer de grandes et saintes choses à l'avantage de l'Eglise et de la société. Nous voudrions que pas un seul d'entre vous ne se laissât entamer par ces imperfections qui diminuent la splendeur du caractère sacerdotal et nuisent à son efficacité.

Les temps actuels sont tristes; l'avenir est encore plus sombre et plus menaçant ; il semble annoncer l'approche d'une crise redoutable de bouleversements sociaux. Il faut donc, comme Nous l'avons dit en diverses circonstances, que nous mettions en honneur les principes salutaires de la religion, ainsi que ceux de la justice, de la charité, du respect et du devoir. C'est à nous d'en pénétrer profondément les âmes, particulièrement celles qui sont captives de l'incrédulité ou agitées par de funestes passions, de faire régner la grâce et la paix de notre divin Rédempteur, qui est la Lumière, la Résurrection, la Vie, et de réunir en lui tous les hommes, malgré les inévitables distinctions sociales qui les séparent.

Oui, plus que jamais, les jours où nous sommes, réclament le concours et le dévouement de prêtres exemplaires, pleins de foi, de discrétion, de zèle, qui, s'inspirant de la douceur et de l'énergie de Jésus-Christ dont ils sont les véritables ambassadeurs, ***pro Christo legatione fungimur*** (1), annoncent avec une courageuse et indéfectible patience les vérités éternelles, lesquelles sont pour les âmes les semences fécondes des vertus.

Leur ministère sera laborieux ; souvent même pénible, spécialement dans les pays où les populations, absorbées par les intérêts terrestres, vivent dans l'oubli de Dieu et de sa sainte religion. Mais l'action éclairée, charitable, infatigable du prêtre, fortifiée par la grâce divine, opérera, comme elle l'a fait en tous les temps, d'incroyables prodiges de résurrection.

Nous saluons de tous Nos vœux et avec une joie ineffable cette consolante perspective, tandis que, dans toute l'affection de Notre cœur, Nous accordons à vous, Vénérables Frères, au €lergé et à tous les catholiques de France, la Bénédiction Apo^ stolique.

Donné à Rome, près Saint Pierre, le 8 Septembre de l'année 1899, de Notre Pontificat la vingt-deuxième.

LEO PP. XIII.

(1) II Cor. V, 20.

EPISTOLA SS. D. N. Leonis PP. XIII ad Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae.

Venerabiles fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem

Paternae providaeque Nostrae in gentem vestram sollicitudinis magnopere laetamur haud mediocrem fructum, vestra potissimum industria, Venerabiles Fratres, fuisse perceptum. Apostolicis enim Litteris inhaerentes, quas dedimus die II mensis Iulii anno MDCCCXCIV, studio ac labore vestro effecistis ut et excitaretur in populo pietas, et in sacri, ordinis viris vetus disciplina revivisceret. Neque vero Nos latet quantum operae contuleritis ad incolumitatem et iura tuenda religiosorum Sodalium, qui ex antiquis Familiis istius regionis superfuerunt ad eosque in pristinum instituti florem re vocandos ; quibus utilissime consociantur alii ex Europa Fratres, quorum nobilem impetum non longitudo itineris, non inclementia caeli, non dissimulimi mores retardarunt. Accedunt recentius institutae Congregationes, eaeque complures, concordi studio vestro accitae, sive condendis aut moderandis ephebeis, sive sacris missionibus obeundis, sive aliis praestandis in sacerdotali munere, ad quae impar numero clerus iste minime sufficeret. Non ultimam denique afferant solatii causam Seminaria apud vos vel aucta numero vel in melius restituta.

Fausta haec initia et habiti huc usque progressus spem iniiciunt brevi fore, ut amplificatae per Nos istic sacrae Hierarchiae maiora in dies incrementa respondeant. Quod quidem quum probata industria ac perspecta diligentia vestra, Venerabiles Fratres, tum etiam prona ad pietatem et indole et consuetudine Brasilianorum gens satis polliceri videntur.

Sunt quaedam tamen ad rei catholicae profectum ita necessaria, ut ea semel attigisse non satis sit ; commemorari saepius et commendari velint. Huc potissimum pertinet cura in Seminariis collocanda, quorum cum statu fortuna Ecclesiae coniungitur maxime. In eorum igitur disciplina instauranda illud in primis cordi est, quod nonnulli sacrorum antistites iam feliciter praestiterunt, ut separatis aedibus, suisque seorsim institutis ac legibus, degant alumni, qui spem afferant sese Deo mancipandi per sacros ordines, eorumque domus retineant Seminarii nomen ; aliae, instituendis ad civilia munia adolescentibus, Convictus vel Collegia episcopalia nuncupentur. Quotidiano enim usu constat, mixta Seminaria Ecclesiae consilio ac providentiae minus respondere ; ea contubernia cum laicis cau-

sam esse quamobrem clerici plerumque a sancto proposito dimoveantur. Hos decet vel a prima aetate iugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum, in servire sacris ministeriis, vitae sacerdotalis exemplo conformari. Arcendi ergo mature a periculis, seiungendi a profanis, instituendi iuxta propositas a sancto Carolo Borromeo leges saluberrimas, quemadmodum in Europae Seminariis praecipuis fieri videmus.

Eadem vitandi periculi ratio suadet ut comparetur alumnis rusticatio ad feriandum, nec arbitrium relinquatur suae cuique ipsorum adeundae familiae. Multa enim pravitatis exempla manent incautos, praesertim in colonicis iis domibus, ubi operariorum familiae glomerantur ; quo fit ut, in iuveniles cupiditates proni, aut ab incoepto deterreamur, aut sacerdotes futuri sint offensioni populo. Rem istic iam tentatam feliciter a quibusdam Episcopis maxime commendamus, auctoresque sumus vobis, Venerabiles Fratres, ut facta communiter eiusmodi lege adolescentis cleri tutelae melius in posterum prospiciatis.

Nec minus in votis est, quod alias significavimus, ut scribendis vulgandisque catholicis diariis naviter eaque ac prudenter impendatur opera. Vix enim, quae nostra aetas est, aliunde haurit vulgus opiniones sibique fingit mores, quam ex quotidianis hisce lectionibus. Interim aegre est iacere arma haec apud bonos, quae impiorum manibus tractata lenocinio callidissimo, miserrimum fidei et moribus exitium parant. Acuendus igitur stilus est excitandaeque litterae, ut veritati vanitas cedat et incorruptae voci rationis atque iustitiae sensim obsequantur praeiudicatae mentes.

Huic utilitati finitima est alia, quae ex accessione catholicorum hominum ad rempublicam eorumque cooptatione in coetum oratorum legibus ferendis derivatur. Neque enim voce minus quam scripto, neque gratia et auctoritate minus quam litteris optimae quaeque causae iuvari possunt. Adscisci etiam aliquando in eos coetus sacri ordinis viros haud inopportunum videtur; quin etiam iis praesidiis et quasi Religionis excubiis optime licet Ecclesiae iura tueri. Verum illud cavendum maxime, ne ad haec fiat tanta contentio, ut misera ambitione magis aut partium caeco studio, quam rei catholicae cura impelli videantur. Quid enim indignius, quam digladiari sacros ministros ut ex procuratione reipublicae rem perniciosissimam in civitatem inducant, seditionem atque discordiam ? Quid vero

si in deteriorum consilia ruentes constitutae auctoritati perpetuo adversentur? Quae omnia mirum quantum offensionis habent in populo et quantum invidiae conflant in clerum. Modeste igitur utendum iure suffragii; vitanda omnis suspicio amotionis, reipublicae munia capessenda prudenter ; a supremae vero auctoritatis obsequio desciscendum nunquam.

Placuit iterum, Venerabiles Fratres, hortatores esse ad eas artes, quibus christianae rei bono apud vos opportune consulatur. Atque utinam egregiae voluntati vestrae non essent impares vires, nec optimis consiliis in usum deducendis impedimento esset angustia pecuniae. Neque enim, ut antea, ex publico aerario suppeditantur sumptus aut Vobis, aut Canonicorum Collegiis, aut Seminariis, aut Curionibus, aut aedificationi templorum. Una paene restat, cui liceat inniti, gratiflcandi popularis voluntas. Nihilominus hac in re spem affert eximiam Brasilianae gentis consuetudo, ex animi sui nobilitate, in largitiones paratissima, praesertim in iis quae pertinent ad bene de Ecclesia merendum. Atque hanc scilicet ipsorum laudem Litteris Nostris superius memoratis exornavimus, quum de dote constituenda novis dioecesibus, quae opis indigent maxime, nihil habere Nos diximus quod praeciperemus ; in Brasiliani populi pietate ac religione satis Nobis esse fiduciae, ipsum episcopis non defuturam. Ac libenter quidem in exemplum proponeremus effusam benignitatem, qua septentrionalis Americae filii suis episcopis, longe numero pluribus, itemque catholicis collegiis, scholis, ceterisque piis institutis certa tim occurrunt, nisi vestra natio domesticis exemplis iisque splendidissimis abundaret. Memoria ne excidat quot conspicua templa maiores vestri extruenda curaverint, quot monasteriis dotem constituerint, quam grandia christianae pietatis ac beneficentiae vobis monumenta reliquerint.

Opitulandi autem Ecclesiae necessitatibus modi suppetunt plures. In his perutile ducimus ut sua in quaque dioecesi constituatur arca, quo annuam conferant stipem fideles, ab delectis e coetu nobiliore viris ac feminis colligendam, nutu et ductu Curionum. Decet autem horum primas esse in largiendo partes; quod optime efficient, si ex certis redditibus, quibus ipsi fruuntur saepe lautissimis, aliquid cedant, et super incertos proventus vim aliquam pecuniae sibi solvendam imponant, instar vectigalis. — Nec minus auxilio esse possunt episcopis inopia labo-

rantibus monasteria illa piaeque sodalitates, quibus amplior est res; Tectisque publico bono fuerit consultum si arcae dioecesanae destinetur haud exigua illa pecuniae summa, quae in profana spectacula solet a quibusdam ex memoratis sodalitatibus coniici. — Si qui denique, fortunae bonis prae ceteris affluentes, maiorem sectari morem laudabilem velint ac testamento cavere sive piis sodalitatibus sive coetibus aliis exercendae beneficentiae gratia, eos vehementer hortamur ut pecuniae summam aliquam meminerint legare episcopis, qua hi relevati et res Ecclesiae et dignitatem suam tueri valeant.

Vestram egimus causam, Venerabiles Fratres, Nos ipsi, quos temporum iniuria cogit Petri stipem rogare constantius. Ceterum vos primum erigat cogitatio fiduciae in Deo collocandae, ***quoniam ipsi cura est de nobis*** **(1);** animoque subeant Apostoli verba : ***qui autem administrat semen seminanti, et panem ad mandueandum praestabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae*** **(2).** Clerus vero ac populus, quibus regendis Spiritus Sanctus vos posuit episcopos, sibi oculis proponant pristinam illam credentium liberalitatem, quorum multitudinis ***erat cor unum et anima una*** (3) ; qui de sancta Ecclesiae societate multo magis quam suis de fortunis solliciti, ***vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum*** (4). Meminerint Pauli verba, quibus eos ad ultimum compellamus: ***Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum*** (5).

Interea, caelestium munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem, Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum -Romae apud S. Petrum xvin Sept. ann. MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

(1) I Petr. V, 7.
(2) II Cor. IX, 10.
(3) Act. IV, 32.
(4) Act. IV, 34-35.
(5) I Thess. V, 12-13.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ISOLANA

MATRIMONII

Die 9 Septembris 1899.

Sess. 24, cap. 1, De Ref. Matr.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1881, mense Iulio, die 19, Iosepha in paroecia Serraviae, Isclanae dioecesis, praemissis solemnitatibus civilibus, matrimonium rite iniit cum Aloysio, in eadem aetate constituto.

Iamvero hoc matrimonium, libenter ex utraque parte initum, cum antea sponsi per quatuordecim ferme annos mutuo amore se prosequuti fuerint, haud felicem habuit exitum. Siquidem, ceu narratur, solemnibus nuptiarum expletis, sponsi viri domum in terra Forgii, eiusdem dioecesis, petierunt; ibique a prima nuptiarum nocte eodem lecto usi sunt ac matrimonium consummare tentarunt; sed frustra, vir enim ad coniugale opus minus idoneus repertus est.

Nihilominus Iosepha quindecim ultra menses haud intermissos cum viro cohabitavit ; at cum ab eo, qui uxoris maleficiis affectum et inhabilem ad matrimonium redditum se aiebat, minis et verberibus insectata et percussa fuerit, Serraviam ad maternos lares reversa est. Interea ob viri instantias aliqua reconciliatio habita est inter coniuges ; sed Iosepha dirissime denuo vexata, tandem virum relinquere debuit, non amplius reversura.

Praeterea, cum mater diem supremum obiisset; Iosepha ne sola et pauper viveret, Tribunal Civile Neapolitanum adiit petiitque, ut suum matrimonium cum Aloysio contractum, nullum declaretur ob viri impotentiam ; et reapse iudex laicus, attenta Aloysii coeundi impotentia absoluta, perpetua et matrimonium antecedente ex originaria neurastenia proveniente et attenta Iosephae integritate corporis seu virginitate, uti eruitur ex iurata trium peritorum me-

dicGTum inspectione et depositione, die 11 Decemb. 1896-sententiam matrimonii nullitatis dedit in favorem mulieris. Contra hanc vero sententiam appellationem interposuit vir, sed Tribunal eius instantiam reiecit et plenissime sententiam l^{ae} instantiae confirmavit.

Mox vero Iosepha, in 47 aetatis anno constituta, ne diutius tristem ageret vitam, cupiens hoc matrimonium coram Ecclesia solvi, ad Sacratissimum Principem supplicem misit libellum eiflagitans ut hoc matrimonium vel nullum declararetur ob viri impotentiam, vel sin minus dispensatio» daretur super matrimonio rato et non consummato.

Hoc habito libello, ad Curiam Isclanam rescriptum prodiit, ut haec processum conficeret tam super asserta nullitate, quam super non consummatione. Revera Curia Isolana per iudicem delegatum processum instituit, primum mulierem excussit et eiusdem septimae manus testes, qui de illius religione ac veracitate amplissimum dederunt testimonium. Eadem mulier physico examini submissa fuit, quod a tribus obstetricibus et quinque medicis peractum fuit; omnesque vero pro actricis integritate et matrimonii inconsummatione concluserunt. Vir quoque in causa vocatus adstitit et retulit, verum esse quod matrimonium consummatum non fuerit ; ast hoc factum repetendum esse ait, non ex eius impotentia, sed potius ex mulieris resistentia; licet tamen non excluderet aliquam sui membri inertiam, qua laborabat. Dein iterum arcessitus ad testes septimae manus producendos atque ad physicum examen subeundum, futiles adducens rationes per epistolam se excusavit; quare iudex post trinam monitionem illum contumacem declaravit.

Hisce omnibus expletis, Episcopus Isclanus, acta S. C. transmittens, haec inter alia animadvertenda esse duxit : « A quo processu tamen integritas mulieris Iosephae invicte probata videtur et quaedam extrinseca argumenta apparent (ut animorum alienatio inter coniuges, iurgia, dissidia etc.), quae omnia petitae solutioni matrimonii favere posse arbitror ».

Disceptatio synoptiea.

VOTUM CANONISTAE. Misso ad hanc S. O. processu, cum mihi mandatum fuerit illum examinare, haec mihi observanda videntur tum quoad ***Acta processus,*** tum quoad ***ritum quaestionis.***

Quoad ***Acta processus.*** Processus rite confectus est ad normam iuris communis et in specie ad normam Benedictinae Const. ***Dei Miseratione*** et ***Instr. S. C. C. 1840.***

Observari tamen potest: citatos non fuisse ***ex officio*** testes a viro propositos, vel etiam alios propinquos, ut v. gr. viri fratrem, de quo ait mulier : « ed una volta fui minacciata dal di lui germano Giuseppe, perchè costui riteneva che io avessi stregato mio marito ». Hoc enim magnum interest discrimen inter causas matrimoniales et alias causas, praesertim civiles, quod illae dirimendae sunt, praesertim iuxta rei veritatem propter sacramentum et animarum salutem ; quare iuxta etiam ***Instructionem S. C. C. 1840*** « si alios (testes) etiam defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendit de re instructas, hos etiam citabit et examini subiiciantur ».

Inter testes non solum ***scientiae,*** sed etiam ***septimae manus*** non inveniuntur nisi pauci propinqui, et domestici, cum « ea quae in domesticis penetralibus geruntur non ita passim omnium patent oculis, nec facile per alios quam per •domesticos possunt comprobari » Rota ***in decis. 155 part. 6 de Recent. ; cf. etiam c. Veniens 38 § finali de testibus •cum glossa, etc. etc.***

Quoad ***quaestionis meritum;*** cum vir recusaverit sese subiicere inspectioni non potest amplius insisti in Dubio de nullitate matrimonii ; unicum ergo restat Dubium examinandum : an sc. ***consulendum sit SSmo*** etc. etc.

Iamvero ***causae*** pro dispensatione adsunt, et quidem graves : sc. 1) ***mutua aversio*** et per consequens impossibilitas reconciliationis. Vir protestatur: « non credo possibile nè la riconciliazione nè la coabitazione perchè mia moglie è

ricorsa anche al Tribunale di Napoli per farmi dichiarare impotente.... dunque laddove ci volessimo riunire, sarebbe lo stesso che cominciare da capo le scene passate, con più tristi conseguenze » ; quod idem motivum adducitur ab Episcopo litteris datis 7 Iulii .1897: desiderium ex parte mulieris quae parentibus et cognatis orbata (est) et nunc in 47 aetatis constituta « consulendi suae conscientiae vitaeque necessitatibus providendi » uti ait in supplici libello ad Summum Pontificem misso; tandem impotentia valde probabilis viri.

Inconsummatio autem probatur, tum ex ***inspectione*** mulieris, tum ex ***argumento morali.***

Quoad ***inspectionem:*** tres obstetrices et quinque medici unanimi consensu proclamant inconsummationem. Sic doctor Cuzzogrea concludit suam relationem iuratam : « da quanto mi è stato riferito dalle sopradette levatrici, le quali tutte e tre furono conformi nel dare il loro giudizio, e dalle considerazioni esatte fatte su quanto anatomicamente hanno riferito posso assicurare con coscienza tranquilla— che la Sig. Giuseppa trovasi nello stato ancora di verginità, ed il suo imene anatomicamente integro e senza presentare alterazioni, anomalie e imperfezioni di sorta »; et doctor Di Meglio... ait: « sebbene le ostetriche... non fossero un fiore d'intelligenza e poco si raccomandassero per la loro scarsa cognizione anatomica non pertanto la uniformità del concetto e la gradita sorpresa d'incontrarsi con una donna perfettamente vergine.... m'induce a ritenere che la Giuseppa è stata vittima del più amaro disinganno____».

Hoc autem argumentum maiorem vim acquirit, si attendatur inspectionem peractam fuisse adamussim ad normam iuris.

Praemissum balneum, instructae particulatim a medicis obstetrices, inspectio ab iisdem separatim facta, examinatae a Tribunali obstetrices atque medici qui scripto et viva voce confirmarunt quae obstetrices retulerunt.

Praeterea, conclusiones obstetricum ac medicorum ante

Tribunal ecclesiasticum confirmantur conclusionibus factis ante Tribunal Civile pro declaratione nullitatis matrimonii a tribus medicis, in quorum relatione haec leguntur : « divaricate le grandi labbra... ci si manifestò un imene circolare ***integro,*** con una leggerissima cicatrice in alto e a sinistra. Questo imene appare del tutto fisiologico, membranoso... ».

Cum hymen ***integrum*** inventum fuerit, nullius momenti habendae sunt levissimae cicatrices inventae ; quare ipsi medici concludunt pro mulieris virginitate : « Riosservammo i genitali; l'imene ***sempre intatto,*** membranoso circolare era lì a ***testimoniare la sua verginità ».***

Quoad vero ***argumentum morale,*** uterque coniux sub iuramento de non consummatione deponit. Mulier ait: « sono •sicurissima di non avere egli giammai consumato il matrimonio » et vir : « son sicurissimo della non conseguita consumazione del matrimonio ».

Hae autem confessiones corroborantur ex parte mulieris testimonio septimae manus; ex parte vero utriusque ac potissimum viri aliis adminiculis et praesumptionibus.

Septem testes, quorum omnes vicini sunt et tres etiam coniuncti mulieris affirmant sub iuramento, feminam esse religiosam honestam atque omnino dignam cui credatur. Eadem fere repetunt alii testes.

Depositionibus testium ***septimae manus*** addendae sunt depositiones quinque testium de ***scientia,*** quorum unus sacerdos, alter secretarius municipalis, tertius medicus, etc.; quique omnes testantur opinionem communem esse matrimonium non fuisse consummatum.

Quamquam ex parte viri desit testimonium septimae manus, tamen non desunt aliae praesumptiones atque adminicula, quae corroborant depositiones non solum viri sed et etiam mulieris.

Sane ; confessio inconsummationis ex parte viri est aliquo modo in proprium praeiudicium, est enim aliqualis confessio propriae impotentiae, atqui vir totis viribus conatur

a se repellere notam impotentis et in mulieris malitiam refundere causam inconsummationis.

Valde probabiliter probatur viri impotentia tum ex confessione ipsius viri, tum ex sententia Tribunalis civilis quod nullum declaravit matrimonium civile ab Aloysio cum Iosepha contractum ex capite impotentiae viri.

Interrogatus vir a Iudice : « Se abbia sullo stesso oggetto della consumazione... consultati medici o cerusici.... » respondit: « Non ho consultato nessun medico o cerusico, meno un tale Salvatore Rinaldi di Lacco Ameno, il quale veniva anche a casa mia per vedere di persuadere mia moglie ad unirsi meco nell'atto matrimoniale, ed in pari tempo ***somministrava a me stesso qualche bevanda*** ed anche ***qualche unzione*** di olio, dicendo che mia moglie facilmente mi avesse stregato, e perciò mi dava tanto le bevande quanto ***funzione ai reni*** ed al petto affinchè io me ne fossi potuto liberare ».

Ex qua confessione manifestum est admitti a viro impotentiam, licet ipse potiusquam causae naturali eam tribuat malefìcio.

Quoad vero sententiam Tribunalis Civilis, ita refertur in libello a muliere: « Attesa F impotenza assoluta di Luigi cioè perpetua, manifesta ed anteriore al matrimonio derivante da nevrastenia originaria per'debolezza dei centri spinali e cerebrali, ed attesa la integrità corporale di Giuseppa ossia la esistenza della verginità ecc.. secondo la ispezione e deposizione giurata di tre periti medici, professori dell'Università di Napoli dichiarò nullo il matrimonio tra Luigi e Giuseppa... e ordinò che come nullo fosse notato e cancellato presso l'Ufficio di Stato Civile di Serrara Fontana ».

Ad intelligentiam huius sententiae observandum est, legislationem civilem matrimonialem italicam, etsi ad normam gallicae confectam, ad differentiam tamen huius quae non admittit impedimentum impotentiae saltem explicite (Eschbach ***Disputationes Physiologiae theologicae..., dis. I c. 8 a. III:*** Ballerini - Palmieri ***Opus Theologicum*** Vol. VI

n. 1298), admittere hoc impedimentum et quidem explicite* sub aliquot tamen conditionibus quae habentur in articulo 107 : « L'impotenza ***manifesta e perpetua,*** quando sia ***anteriore*** al matrimonio può essere proposta come causa di nullità di matrimonio ».

Interpretes disputant praesertim circa significationem conditionis ***manifestae,*** quam plures amplissime interpretantur (cfr. Ziino ***Compendio di Medicina Legale...*** lib. 3 cap. 1 § 172), uti factum est in casu nostro, in quo licet periti conveniant nihil abnormale invenisse in conformatione corporis viri, seu, ut ipsi, dicunt, sub respectu ***somatico,*** vitium tamen reperierunt sub respectu ***psychico.***

Iamvero quamvis forsan difficile non fuisset probare existentiam impedimenti impotentiae saltem relatione, attento praesertim quod « Iuris interpretes : potiusquam ab externo corporis apparatu, in thalami coniugalis experimento potentiae probationem exquirendam esse docent » (Cosci ***de sep. Tori con. lib. 3 cap. 2 n. 298 et seq.*** : Neapolitana ***Matrimonii 24 Aprilis 1858):*** tamen cum in processu ecclesiastico renuit vir inspectioni se subiicere, nihil certo de impotentiae impedimento statui potest : exurgit tamen ex supradicta sententia vehemens praesumptio de hoc impedimento.

Post haec, ad propositum Dubium respondendum mihi esse videtur : ***Affirmative vetito tamen viro transitu ad alias nuptias inconsulta Sacra Congregatione.*** Ex dictis patet ratio huius clausulae.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Iosepha et Aloisius mense Iulio anni 1881, iugati sunt, in aetate annorum unius supra triginta uterque constitutus.

Principio mutuus amor inter neoconiuges regnavit, sed brevi pacem turbarunt iurgia, et anno a nuptiis exacto coniugalis vita dissociata est.

Quod firmatur per testes et ab ipsa Iosepha.

Interea temporis, anno scilicet 1896 Iosepha a laico magistratu obtinuit ut se virginem et Aloisium impotentia

coeundi laborantem agnosceret, ac civilem inter ipsam et Aloisium cassaret nexum.

Sed inter acta anonymam epistolam Isclae die 20 Ianuarii 1899 datam deprehendo, in qua et Iosephae physica virginitas et impotentia Aloisii inter fabulas amandantur. Scio quidem epistolas anonymas ex se nil probare : sed cum probationes indicant, attendendae mehercule sunt.

Quae cum ita sint, incivile existimo disceptare controversiam inauditis sin minus parocho loci vernacula lingua « *Serrara* » et sacerdote Leonardo d'Abecudo, ac exhibito quatenus existat memorati contractus textu de quo Sacerdos hic loquitur.

Igitur ne inutilibus Vos morer, Patres Amplissimi, mora haud interiecta ad inscripta dubia rescribi submisse postulo: *« Dilata et compleantur acta processus ».*

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An constet de nullitate matrimonii in casu.***

Et quatenus ***Negative.***

II. ***An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.***

RESOLUTIO. S. C. C. re disceptata sub die 9 Septembris 1899,censuit respondere: ***Ad I. providebitur in secundo. Ad II. Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta hac Sacra Congrgeatione.***

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

LITTERAE Emi. Praefecti S. C. Indulgentiarum ; quibus Ordinarii locorum certiores fiunt de transmissione Indicis Indulgentiarum SS. Rosarii.

Rme Domine

In ea, quam Summus Pontifex LEO PP. XIII de ***Rogarli Marialis*** sodalitatibus anno superiore Constitutionem edidit, haec, praeter cetera, edicebantur : « Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum cura et studio, absolutus atque accuratus, quamprimum fieri potest, conficiatur index indulgentiarum omnium, quibus Romani Pontifices Sodalitatem Sacratissimj Rosarii ceterosque fideles illud pie recitantes cumularunt, a Sacra Congregatione Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita expendendus et Apostolica auctoritate confirmandus ». — Quod igitur imperatum erat, iam demum exequutioni mandatum est; mihique, grato quidem officio, a Reatissimo Patre commissum, ut praedictum Indicem, diligentissimis curis confectum, supremaque Sua auctoritate approbatum, Episcopis universis, ceterisque, quorum interest, mitterem.

Hanc vero Sanctissimi Domini voluntatem dum obsequens facio, nil sane dubito, quin Amplitudo Tua constans illud studium mirabitur nec sine Dei instinctu esse aestimabit, quo Summus Pontifex, multos iam annos, ad augustam Dei Matrem confugere Sanctissimi Rosarii ritu fideles omnes hortatur.

Kalendis primum Septem bribus anni MDCCCLXXXIII, Litteris Encyclicis ***Supremi Apostolatus,*** beneficia per Marialis Rosarii preces in christianum nomen collata recolens, in spem certam se adduci professus est, hanc eamdem precandi rationem, hisce etiam difficillimis Ecclesiae temporibus, contra errorum vim late serpentium exundantemque morum corruptionem ac potentium adversariorum impetum profuturam. Quamobrem, additis Indulgentiarum praemiis, edixit ut a catholicis ubique terrarum magna Dei Mater, Rosarii ritu, toto Octobri mense coleretur.

Ex illo Beatissimus Pater, quotannis fere, hortari populos christianos haud destitit ut Riosarii consuetudine validum Dei-

parae patrocinium demereri Ecclesiae perseverarent. Ad studium vero fidelium augendum quidquid Marialis Rosarii dignitatem commendaret, datis a se litteris, sapientissime illustravit ; seu naturam precationis eius rimando, seu vim extollendo qua pollet ad christianas virtutes fovendas, seu demum maternam ad opitulandum Virginis miserationem scite amanterque -explicando.

Quem modo sacrarum Indulgentiarum Indicem ad te mitto, is veluti constantis operis fastigium est; hoc etenim Beatissimus Pater et fidem promissi praestat, et quae huc usque egit ad promovendam Rosarii religionem luculenter confirmat.

Bifariam Index dispescitur: pars altera Indulgentias exhibet, quae unis Sodaliciis a Mariali Rosario conceduntur ; altera, quae fidelibus universis communes sunt.

Haec Apostolicae largitatis munera ut commissus tibi populus norit proque merito aestimet Amplitudo Tua curabit. Qua occasione Beatissimus Pater sollicite te usurum confidit ad fideles ipsos efficacius incitandos, ut reflorentem Rosarii consuetudinem studiose pieque servent, tum nomen Sodaliciis dantes, tum Octobrem mensem Reginae a Rosario dicantes, tum etiam in sua quisque domo et familia pium Rosarii officium -quotidie peragentes.

Assidua hac imploratione mota, miseros Hevae filios Regina caelestis gloriosissima audiet clemens et exaudiet; quamque opem afflictis Ecclesiae rebus efflagitamus uberrime sine »dubio impertiet.

Amplitudini Tuae diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Romae, die 30 Augusti an. 1899.

Amplitudinis Tuae uti Frater addictissimus

X. 8 S.

Fr. H. M\ CARD. GOTTI

S. C. Indulgentiis et SS. Reliquiis praepositae Praefectus.

t A. SABATUCCI ARCHIEPISCOPUS ANTINOENSIS, ***Secretarius.***

INDULGENTIAE CONFRATERNITATIS SANCTISSIMI ROSARII.

PARS PRIMA

Indulgentiae Confratribus propriae.

I. — PRO ns QUI CONFRATERNITATI NOMEN DANT.

1. Indulgentia Plenaria, si confessi sacraque conimunione? refecti in confraternitatem recipiuntur (Gregorius XIII, ***Gloriosi,*** 15 Iul. 1579).

2. Indulgentia Plenaria, si legitime inscripti et confessi, eucharistiae sacramentum sumunt in ecclesia seu capella confraternitatis, tertiam partem Rosarii recitant et ad intentionem Summi Pontificis orant (S. Pius V, ***Consueverunt***> 17 Septembris 1569).

NOTA.^ — Qui confraternitati adscribuntur, has indulgentias- aut ipsa adscriptionis die, aut die dominica vel festiva proxime sequenti lucrari possunt (S. C. Indulg. 25 Febr. 1848).

II. — PRO IIS QUI RÉCITANT ROSARIUM.

A. — *Quovis anni tempore.*

3. Indulgentia Plenaria^ semel in vita, si Rosarium ex instituto confraternitatis per hebdomadam récitant (Innocent. VIII,. 15 Oct. 1484).

4. Si integrum Rosarium recitant, omnes consequuntur indulgentias quae in Hispania conceduntur coronam B. Mariae Virg. recitantibus (Clemens IX, ***Exponi nobis,*** 22 Febr. 1668).

5. Indulgentia quinquaginta annorum, semel in die, si tertiam partem Rosarii recitant in capella SS. Rosarii seu saltem in conspectu altaris praedictae capellae, vel si extra civitatem, in qua erecta est confraternitas, commorantur, in ecclesia vel oratorio publico quocumque (Hadrianus VI, ***Illius qui,*** 1 Aprilis 1523).

6. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, si ter in hebdomada Rosarium recitant, pro qualibet vice (Leo X,. ***Pastoris aeterni,*** 6 Octob. 1520).

7. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, pro qualibet hebdomada si integrum Rosarium recitant (S.Pius V„ ***Consueverunt***, 17 Sept. 1569).

8. Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum quoties, recitando Rosarium, in salutatione angelica nomen Iesu devote proferunt (Pius IX, Decr. S. C. Indulg., 14 Aprilis 1856).

9. Indulgentia duorum annorum si integrum Rosarium per hebdomadam dicendum per tres dies distribuunt, pro uno quolibet ex his tribus diebus, quo tertiam partem Rosarii recitant (Clemens VII, ***Etsi temporalium,*** 8 Maii 1534).

10. Indulgentia tercentum dierum si recitant tertiam partem Rosarii (Leo XIII, 29 Aug. 1899).

11. Indulgentia centum dierum quoties alios inducunt ad tertiam partem Rosarii recitandum (Leo XIII, 29 Aug. 1899),

12. Indulgentia tercentum dierum, semel in die, si dominicis vel festis diebus in aliqua ecclesia Ordinis Praedicatorum assistunt exercitio recitandi vel canendi processionaliter singulas Rosarii décades coram singulis mysteriis sive in pariete, sive in tabulis depictis (S. C. Indulgent. 21 Maii 1892).

B. — ***Certis anni diebus vel festis.***

13. Indulgentia Plenaria, in festo Annuntiationis B. M. V., si confessi et communione refecti Rosarium recitant (S. Pius V, ***Iniunctum nobis,*** 14 Iun. 1566).

14. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, in festis Purificationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. si Rosarium recitant (S. Pius V, loc. cit.).

15. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, in festis Resurrectionis, Annuntiationis et Assumptionis B. Magiae V. si tertiam partem Rosarii recitant (S. Pius V, ***Consueverunt,*** 17 Sept. 1569).

16. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in reliquis festis D. N. I. C. et B. M. V. in quibus sacra ipsius Rosarii mysteria recensentur (scilicet in festis Visitationis B. Mariae Virginis, Nativitatis D. N. I. C, Purificationis et Compassionis B. M. V. feria sexta post dominicam passionis, Ascensionis D. N. I. C, Pentecostes et Omnium Sanctorum), si saltem tertiam partem Rosarii recitant (S. Pius V, loc. cit.).

17. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in festis Nativitatis, Annuntiationis et Assumptionis B. Mariae V. si integrum Rosarium ex instituto confraternitatis per

hebdomadam recitant (Sixtus IV, *Pastoris aeterni,* 30 Maii 1478;; Leo X, *Pastoris aeterni,* 6 Oct. 1520).

18. Indulgentia centum dierum in festis Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V_ (Leo X, loc. cit.).

III. — PRO IIS QUI COMITANTUR PROCESSIONEM SS. ROSARII.

19. Indulgentia Plenaria, si confessi et communicati processioni prima mensis dominica intersunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant et insuper capellani SS. Rosarii visitant (Gregorius XIII, *Ad augendam,* 24 Oct. 1577).

NOTA. — Hanc indulgentiam, confratribus concessam, consequi poterunt confratres itinerantes, navigantes aut alicui inservientes (quos inter milites actu servientes adnumerantur)* integra Rosarii recitatione; infirmi vero, vel legitime impediti si tertiam partem Rosarii recitant (Gregorius XIII, *Cupientes^* 24 Dec. 1583).

20. Indulgentia Plenaria si processionem associant in festis-Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nati vitatis, Praesentationis et Immaculatae Conceptionis B. M. V.. (Pius IV, *Dum praeclara,* 28 Febr. 1561), vel aliquo die infra octavas istorum festorum (S. C. Ind., 25 Febr. 1848).

21. Indulgentia quinque annorum acquirenda, quando ex eleemosynis confraternitatis virgines matrimonio iungendae dotan tur, si processioni intersunt (Gregorius XIII, *Desiderantes^,* 22 Mart. 1580).

22. Indulgentia centum dierum, si processionem debitis-diebus faciendam associant (Gregorius XIII, *Cum sieut,* 3 Ianuarii 1579).

23. Indulgentia sexaginta dierum, si processiones ordinarias tam confraternitatis, quam alias quascumque de licentia Ordinarii celebratas, etiam SS. Sacramenti ad infirmos delati,, comitantur (Gregorius XIII, *Gloriosi,* 15 Iul. 1579).

IV. — PRO IIS QUI VISITANT CAPELLAM VEL ECCLESIAM CONFRATERNITATIS.

24. Indulgentia Plenaria qualibet prima mensis dominica, si confessi et S. Communione refecti id faciunt, ibique ad in-

tentionem Summi Pontificis orant (Gregorius XIII, *Ad augendam,* 12 Mart. 1577).

NOTA. — Hanc indulgentiam etiam confratres infirmi, qui ad eamdem ecclesiam accedere non valent, lucrari possunt, si, praevia confessione et communione, domi ante devotam imaginem Rosarium seu coronam (h. e. tertiam partem Rosarii: S. C. Indulg. 25 Febr. 1877 ad 6), aut septem psalmos devote recitant (Gregorius XIII, loc. cit.).

25. Indulgentia Plenaria, quavis prima mensis dominica, si sacramentis muniti, expositioni Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in ecclesia confraternitatis, quatenus de Ordinarii licentia locum habet, per aliquod temporis spatium devote intersunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (Gregorius XVI, *Ad augendam,* 17 Decembris 1833).

26. Indulgentia Plenaria, si confessi ac S. Communione refecti capellani SS. Rosarii aut ecclesiam confraternitatis visitant, ibique ad mentem Summi Pontificis orant a primis vesperis usque ad occasum solis in festis Domini Nativitatis, Epiphaniae , Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes : item in duabus feriis sextis quadragesimae ad arbitrium eligendis; nec non in festo Omnium Sanctorum, ac semel infra octiduum Commemorationis omnium fidelium defunctorum (Gregor. XIII, *Pastoris aeterni,* 5 Maii 1582; Gregorius XVI, *Ad augendam,* 17 Decembris 1833; S. C. Indulg., 12 Maii 1851).

27. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, a primis vesperis usque ad occasum solis, in festis B. M. V. Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis ac in festo septem Dolorum (feria sexta post dominicam passionis) (Gregorius XIII, loc. cit.; Clemens VIII, *De salute,* 18 Ian. 1593; Gregorius XVI, loc. cit.).

NOTA *a.* — Indulgentia Plenaria in festis B. M. V. Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis acquiri etiam potest per octavam, sed semel tantum in quovis octiduo (S. C. Ind., 25 Februarii 1848).

NOTA *b.* ~ Indulgentia Plenaria in diebus Paschatis, Ascensionis et Pentecostes, ac in festis B. M. V. Immaculatae Con* ceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis, nec non in duabus feriis se-

xtis quadragesimae acquiri potest etiam visitando quamcumque aliam ecclesiam vel publicum oratorium (S. C. Indulg. 12 Maii 1851).

NOTA *e.* — Quoad itinerantes, navigantes, inservientes vel infirmos aut alias legitime impeditus, pro acquisitione Indulgentiae Plenariae ecclesiam seu capellani SS. Rosarii visitantibus concessae diebus quibus festa mysteriorum Rosarii celebrantur, idem dicendum, quod superius de iis, qui processioni intervenire nequeunt (n. 19), dictum est (Sixtus V, ***Dum ineffabilia,*** 30 Ian. 1586).

28. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. (Clemens VIII, ***Ineffabilia,*** 12 Febr. 1598).

29. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, dominica tertia Aprilis, a primis vesperis usque ad solis occasum (Gregorius XIII, ***Cum sicut,*** 3 Ian. 1579).

30. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, si confessi sacraque communione refecti capellani seu altare confraternitatis visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et in festis Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis et Assumptionis B. M. V., nec non in festo Omnium Sanctorum (Clemens VIII, ***Salvatoris,*** 13 Ianuarii 1593; Idem, ***De salute,*** 18 Ian. 1593).

31. Indulgentia centum dierum pro quolibet die quo visitant capellani seu altare SS. Rosarii, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (Gregorius XIII, ***Cum sicut,*** 3 Ianuarii 1579).

NOTA. — Moniales in clausura viventes, iuvenes utriusque sexus in collegiis, seminariis, conservatoriis degentes, omnesque demum personae viventes in institutis ex quibus ad libitum egredi non possunt, imo et membra societatum catholicarum, omnes indulgentias pro quibus praescriberetur visitatio capellae seu ecclesiae confraternitatis — dummodo huic rite adscripti sint — lucrari possunt visitando propriam ipsorum ecclesiam, seu capellani, sive oratorium (S. C. Ind., 11 Aug. 1871 ; 8 Febr. 1874).

Confratres infirmi vel quomodocumque impediti quominus Sacramentum Eucharistiae recipiant, aut ecclesiam vel capellani visitent, indulgentias omnes pro quibus istae conditiones

praescribuntur lucrari possunt, si confessi aliisque 'iniunctis operibus adimpletis, aliquod pium opus a confessario iniunctum exequuntur.

Cum in quibdsdam festis pro visitatione ecclesiae seu capellae SS. Rosarii praeter plenariam indulgentiam aliqua etiam indulgentia partialis concessa fuerit, ad hanc quoque acquirendam distincta ecclesiae seu capellae visitatio necessaria est.

V. — PRO IIS QUI VISITANT QUINQUE ALTARIA.

32. Confratres qui visitant quinque altaria cuiuscumque ecclesiae vel oratorii publici, vel quinquies unum duove altaria ubi quinque non reperiuntur, lucrantur easdem indulgentias ac si Romae stationes visitarent (Leo X, **22** Maii **1518).**

VI. — PRO IIS QUI DICUNT VEL AUDIUNT MISSAM VOTIVAM SS. ROSARII.

33. Indulgentiae omnes integrum Rosarium recitantibus concessae, pro confratribus sacerdotibus si missam votivam secundum missale romanum pro diversitate temporis ad altare SS. Rosarii celebrant (quae missae votivae bis in hebdomada dici possunt); pro aliis autem confratribus si tali missae assistunt et ibi pias ad Deum fundunt preces (Leo XIII, ***Ubi primum,*** **2** Oct. **1898).**

34. Indulgentiae omnes concessae iis qui processionem prima uniuscuiusque mensis dominica fieri solitam associant, pro iis qui consuetudinem habent celebrandi vel audiendi hanc missam, semel in mense, die quo confessi sacramentum communionis recipiunt (Clemens X, ***Caelestium munerum,*** **16** Februarii **1671).**

35. Indulgentia unius anni pro iis qui in sabbatis quadragesimae assistunt coniunctim missae, concioni de B. M. V. et antiphonae « Salve Regina » (Gregorius XIII, ***Desiderantes,*** **22** Mar. **1580).**

VII. — PRO IIS QUI DEVOTIONEM QUINDECIM SABBATORUM SS. ROSARII PERAGUNT.

36. Indulgentia Plenaria in tribus ex quindecim sabbatis, uniuscuiusque **arbitrio** eligendis, si per quindecim sabbata con-

secutiva (vel immediate praecedentia festum SS. Rosarii, vel etiam quolibet infra annum tempore) confessi et S. Communione refecti ecclesiam confraternitatis visitant ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (S. C. Indulg. 12 Dec. 1849).

37. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in duodecim sabbatis n. 36 non comprehensis (S. C. Ind. 12 Dec. 1849).

VIII. — PRO IIS QUI MENSE ROSARÍA NO CERTAS DEVOTIONES PERAGUNT.

38. Indulgentia Plenaria, si exercitio mensis Octobris, in ecclesiis Ordinis Praedicatorum institui solito, saltem decies interfuerunt, die ab ipsis eligendo, si sacramenta recipiunt et ad intentionem Summi Pontificis orant (S. C. Indulg., 31 Augusti 1885).

39. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum quoties devotionibus in ecclesiis Ordinis Praedicatorum mense Octobris quotidie institui solitis intersunt (S. C. Indulg., 31 Aug. 1885).

IX. — PRO IIS QUI ASSISTUNT ANTIPHONAE « SALVE REGINA » CANTATAE.

40. Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, si in ecclesia confraternitatis cum candela accensa (ubi usus viget, alibi adiungatur una « Ave Maria ») assistunt antiphonae « Salve Regina » cantari solitae in festis B. M. V. quae ab universa ecclesia celebrantur (S. C. Indulg., 18 Sept. 1862 ad 4) et in Apostolorum natalitiis, ac festis Sanctorum Ordinis Praedicatorum (Clemens VIII, ***Ineffabilia,*** 12 Febr. 1598).

41. Indulgentia centum dierum, omnibus diebus per totum annum, si huic antiphonae post completorium assistunt (Clemens VIII, loc. cit.).

42. Indulgentia quadraginta dierum in omnibus sabbatis ac diebus festivis per annum (Leo X, ***Pastoris aeterni,*** 6 Octobris 1520).

NOTA. — Indulgentias nn. 40 et 41 recensitas legitime impediti, quominus in ecclesia huic antiphonae adstent, lucrari possunt si eamdem flexis genibus coram altari vel imagine B. M. V. recitant (Clemens VIII, ***Ineffabilia***, 12 Febr. 1598).

X. — PRO IIS QUI ORATIONEM MENTALEM
AUT ALIA SPIRITUALIA EXERCITIA PERAGUNT.

43. Indulgentia Plenaria, semel in mense, si per integrum mensem quotidie per mediam horam vel saltem per quartam horae partem mentali orationi operam dant, die ad eorum arbitrium eligendo, quo Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae recipiunt (Clemens X, *Ad ea,* 28 Ian. 1671).

44. Indulgentia Plenaria, si in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus Iesus stetit in deserto, per eumdem numerum dierum in oratione, mortificatione et in aliis piis operibus sese exercuerint, semel in anno, die ab ipsis eligendo (Pius VII, *Ad augendam,* 16 Febr. 1808).

45. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quoties per mediam horam mentali orationi operam dant (Clemens X, *Ad ea,* 28 Ian. 1671).

46. Indulgentia centum dierum quoties per quartam horae partem meditationi vacant (Clemens X, loc. cit.).

XI. — PRO IIS QUI VISITANT CONFRATRES INFIRMOS.

47. Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, quoties infirmos confratres visitant (Clemens VIII, *Inèffabilia,* 12 Febr. 1598).

48. Indulgentia centum dierum, si confratres infirmos ad ecclesiastica sacramenta suscipienda hortantur (Gregorius XIII, *Cum sicut,* 3 Ian. 1579).

XII. — PRO IIS QUI SUFFRAGANTUR
ANIMABUS CONFRATRUM DEFUNCTORUM.

49. Indulgentia Plenaria, si in quatuor anniversariis (diebus 4 Febr., 12 Iul., 5 Sept., 10 Nov.) quotannis in ecclesiis publicis tum fratrum, tum sororum Ordinis Praedicatorum institui solitis, officiis defunctorum intersunt, ac confessi sacraque communione refecti ad intentionem Summi Pontificis orant, semel quolibet ex illis quatuor diebus (Pius VII, *Ad augendam,* 10 Februarii 1808).

50. Indulgentia octo annorum si exequiis adstiterint sequentes processionem quae in suffragium defunctorum quoli-

net die sabbati aut semel in mense per ecclesiam confraternitatis sive per claustrum ducitur (Gregorius .XIII, ***Desiderari' tes,*** 22 Mart. 1580).

51. Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, quoties corpora confratrum defunctorum ad ecclesiam confraternitatis associant (Clemens VIII, ***Ineffabilia,*** 12 Febr. 1598).

52. Indulgentia centum dierum si cadavera confratrum cum vexillo confraternitatis ad sepulturam associant, vel si anniversariis pro animabus defunctorum confratrum celebratis intersunt, et ibidem ad intentionem Summi Pontificis orant (Gregorius XIII, ***Cum sicut,*** 3 Ian. 1579).

XIII. — PRO IIS QUI QUODCUMQUE CARITATIS VEL PIETATIS OPUS PERAGUNT.

53. Indulgentia sexaginta dierum quoties confratres aliquod opus caritatis et pietatis exercent (Gregorius XIII, ***Gloriosi,*** 15 Iul. 1579).

XIV. — PRO MORIENTIBUS.

54. Indulgentia Plenaria, a sacerdote etiam extra confessionem per formulam communem applicanda, si Rosarium per hebdomadam recitare consueverunt (Innocentius VIII, 13 Octobris 1843; S. C. Indulg. Decr. 10 Aug. 1899).

55. Indulgentia Plenaria, si ex hac vita migrant manu tenentes candelam benedictam SS. Rosarii, dummodo semel saltem in vita integrum Rosarium recitaverint (Hadrianus VI, ***Illius qui,*** 1 Apr. 1523).

56. Indulgentia Plenaria, si Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae recipiunt (S. Pius V, ***Consueverunt,*** 17 Sept. 1569).

57. Indulgentia Plenaria, si contriti SS. Nomen Iesu saltem corde, si ore non possunt, invocant (Leo XIII, Rescr. S. C. Ind. 19 Aug. 1899).

58. Indulgentia Plenaria, si susceptis Ecclesiae sacramentis fidem Romanae Ecclesiae profitentes et antiphonam « Salve Regina » recitantes, B. Virgini se commendant (Clemens VIII, ***Ineffabilia,*** 12 Febr. 1598).

NOTA. — Quamvis heic relata sit pluries indulgentia plenaria in mortis articulo, tamen ad tramitem Decretorum S. C.

Indulgent, una tantum acquiri poterit in mortis articulo sub una vel altera ex diversis conditionibus supra expositis.

XV. •— PRO DEFUNCTIS.

59. In ecclesiis Ordinis Praedicatorum altare SS. Rosarii - pro sacerdotibus eiusdem Ordinis privilegiatum est pro anima cuiuscumque confratris (Gregorius XIII, ***Omnium saluti,*** 1 Septembris 1582).

60. In ecclesiis confraternitatis altare SS. Rosarii pro sacerdotibus confratribus gaudet privilegio, non solum in favorem confratrum defunctorum, sed etiam cuiuscumque defuncti, etiamsi aliud altare privilegiatum in eadem ecclesia existat. Imo, si in ecclesia non extat aliud altare privilegiatum, altare SS. Rosarii etiam pro quocumque sacerdote, quamvis confraternitati non adscripto, et in favorem cuiuscumque defuncti privilegiatum est (S. C. Indul. ***Cameracen.*** 7 Iun. 1842; Pius IX, ***Omnium saluti,*** 3 Mar. 1857).

PARS SECUNDA

Indulgentiae confratribus cum aliis fidelibus communes.

61. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, prima dominica cuiuslibet mensis, si processioni intersunt (S. Pius V, ***Consueverunt,*** 17 Sept. 1569).

62. Indulgentia Plenaria toties quoties in festo SS. Rosarii, sacramentis refecti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei ipsius, in memoriam victoriae super Turcas apud Echinadas insulas ope Rosarii reportatae, capellani (vel effigiem B. M. V. in ecclesia expositam: S. C. Ind. 25 Ian. 1866) visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (S. Pius V, ***Salvatoris,*** 5 Martii 1572 ; S. C. Indulg., 5 Aprilis 1869, 7 Iulii 1885).

NOTA. — Ad lucrandam praefatam Indulgentiam, confessio poterit anticipari feria sexta immediate praecedenti festum SS. Rosarii (Leo XIII, Rescr. S. C. Indulg., 19 Aug. 1899).

63. Indulgentia Plenaria in uno die octavae festi SS. Rosarii ad arbitrium uniuscuiusque eligendo, si, sacramentis refecti, capellani SS. Rosarii, vel simulacrum B. M. V. in ecclesia expositum, visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (Benedictus XIII, ***Pretiosus,*** 20 Maii 1727; S. C. Indulg., 7 Iul. 1885).

64. Indulgentia Plenaria sub iisdem conditionibus in festo Corporis Christi et in festo Sancti Titularis ecclesiae (Gregorius XIII, ***Desiderantes,*** 22 Mart. 1580).

65. Omnes et singulae indulgentiae in hoc Indice contentae possunt per modum suffragii applicari animabus fidelium qui vinculo caritatis Deo coniuncti supremum diem obierunt ; excepta tamen Plenaria in mortis articulo (Innocentius XI, ***Ad ea,*** 15 Iun. 1679).

DECRETUM

Cum Magister Generalis Ordinis Praedicatorum mandato obtemperans articuli xvi Constitutionis Apostolicae ***Ubi primum*** anno superiore editae, novum Indulgentiarum Indicem huic S. Congregationi exhibendum curaverit, haec S. Congregatio illum diligentissime expendit, adhibita etiam opera quorumdam ex suis Consultoribus. Cumque, mature perpensis omnibus, existimaverit, nonnulla demenda, addenda, declaranda vel brevius exprimenda esse, has omnes immutationes, in Indicem praefatum inducendas, SSifro Dno Nostro Leoni Pp. XIII per infrascriptum Cardinalem Praefectum subiecit.

Sanctitas autem Sua in audientia diei 29 Augusti 1899 eas benigne approbare dignata est, simulque novum hunc Indicem uti supra redactum in omnibus et singulis partibus probavit, Indulgentias omnes in eo contentas Apostolica Sua Auctoritate confirmavit, et, quatenus opus sit, denuo concessit; simul edicens praeter eas quae in praesenti Indice referuntur quascumque alias Confraternitatibus SS. Rosarii tributas, abrogatas seu revocatas esse censendas, ita ut quaecumque iam erecta vel in posterum erigenda sit Sodalitas SS. Rosarii a Magistro Gene-

rali Ordinis Praedicatorum iis tantummodo gaudeat Indulgentiis quae in hoc Indice inserta e reperiuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 29 Augusti 1899.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, ***Praefectus.***

L. % S.

f A. SABATUCCI Archiep. Antinoensis ***Secretarius.***

APPENDIX

SUMMARIUM INDULGENTIARUM OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS PRO DEVOTIONE ss. ROSARII CONCESSARUM.

1. Indulgentia Plenaria, semel in anno, si singulis diebus saltem tertiam partem Rosarii recitant, et die ab ipsis eligenda sacramentis reiiciuntur, dummodo adhibeant coronam ab aliquo religioso Ordinis Praedicatorum, vel ab alio sacerdote deputato benedictam ***(Raccolta,*** Editio, 1898, n. 194).

2. Indulgentia centum dierum pro quolibet « Pater noster » et qualibet « Ave Maria », si integrum Rosarium vel saltem tertiam eius partem recitant, dummodo Rosarium sit benedictum ab aliquo religioso Ordinis Praedicatorum, vel ab alio sacerdote deputato (Ibid.).

3. Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum, quoties tertiam partem Rosarii recitant (Ibid.).

4. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, semel in die, si una cum aliis, sive domi, sive in ecclesia, sive in aliquo oratorio publico seu privato, saltem tertiam partem Rosarii recitant (Ibid.).

5. Indulgentia Plenaria in ultima singulorum mensium dominica, si saltem ter in hebdomada tertiam partem Rosarii una cum aliis sive domi, sive in ecclesia, sive in aliquo oratorio recitant, et in dicta ultima dominica SS. Sacramentis refecti aliquam ecclesiam seu aliquod publicum oratorium visitant, ibique secundum mentem Summi Pontificis orant (Ibid.).

6. Indulgentia Plenaria in uno ex quindecim sabbatis continuis, arbitrio uniuscuiusque eligendo, si singulis sabbatis sa-

cramenta suscipiunt, et tertiam partem Rosarii recitant, vel aliter eiusdem mysteria devote recolunt *(Raccolta,* edit. cit., n. 197).

NOTA. — Quoties fideles legitime impediuntur quominus praefatum exercitium die sabbati peragant, absque indulgentiarum iactura illud die dominica explere possunt (Ibid.).

7. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, omnibus sabbatis num. praecedenti non comprehensis, (Ibid.).

8. Indulgentia Plenaria, si quovis anni tempore per novem dies in honorem Reginae SS. Rosarii piis exercitiis operam dant, recitando preces a legitima auctoritate approbatas, die ad arbitrium uniuscuiusque eligendo, sive intra novendiales sive infra octo dies immediate sequentes novendium, quo vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti iuxta mentem Summi Pontificis orant *(Raccolta,* edit. cit., n. 149).

9. Indulgentia tercentum dierum pro omnibus aliis diebus no vendu, quibus in dictis orationibus se exercent (Ibid.).

PRO RECITANTIBUS TERTIAM PARTEM ROSARII
IN MENSE OCTOBRIS.

A SSmo Dno Nostro Leone PP. XIII (1 Septembris 1883; 20 Augusti 1885; 23 Iulii 1898) concessae fuerunt in perpetuum Indulgentiae quae sequuntur :

10. Indulgentia Plenaria, si in die festo B. V. de Rosario, vel aliquo die infra octavam, sacramenta rite suscipiunt, et aliquam sacram aedem visitant, ibique ad mentem Summi Pontificis orant, dummodo die festo et singulis per octavam diebus sive publice in aliqua ecclesia, sive privatim tertiam partem Rosarii recitent.

11. Indulgentia Plenaria, si post octavam festi SS. Rosarii saltem decies infra eumdem mensem Octobris, sive publice in aliqua ecclesia, sive privatim, tertiam partem Rosarii recitant et die ab ipsis eligendo, sacramenta rite suscipiunt, aliquam ecclesiam visitant ibique ad intentionem Summi Pontificis orant.

12. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum pro quovis die mensis Octobris, quo fideles tertiam partem Rosarii sive publice in aliqua ecclesia, sive privatim recitant.

13. Omnes et singulae Indulgentiae in hoc Summario recensitae sunt applicabiles animabus igne purgatorii detentis *(Raccolta,* edit. cit., p. xxn, n. 4).

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium Indulgentiarum omnibus Christifidelibus pro devotione SS. Rosarii concessarum uti authenticum recognovit typisque imprimi ac publicari permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 29 Augusti 1899.

FR. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. © S.

f A. SABATUCCI ARCHIEP. ANTINOEN., *Secretarius.*

URBIS et ORBIS. Decretum de regulis seu normis ad dignoscendas veras Indulgentias ab apocryphis.

Inter cetera quae huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae munera sunt tributa, illud supereminet secernendi nimirum veras Indulgentias ab apocryphis easque proscribendi. Cui quidem muneri satis ipsa fecit plurimis editis ad haec usque tempora decretis de apocryphis Indulgentiis in authentica Decretorum collectione contentis. Verum etsi haec S. Congregatio vigilans ab ipso suae institutionis exordio semper exstiterit quoad Indulgentiarum publicationem, ne falsae in Christianum populum irreperent, nihilominus, quum hac etiam nostra aetate non desint, qui, vel mala voluntate, aut etiam irrationabili zelo perculsi, falsas, vel ut minimum valde suspectas, Indulgentias sive orationibus, sive piis exercitiis adnexas propalare inter fideles non vereantur, hinc factum est ut plures Antistites hanc S. Congregationem adfuerint, ut de aliquibus Indulgentiis suum iudicium ederet. Id potissimum praestiterunt ea causa permoti ut non solum verae a falsis Indulgentiis discernerentur, sed praesertim ut Ecclesiae hostibus via praecluderetur eam calumniandi, et aspernendi coelestem Indulgentiarum thesaurum.

Porro S. Congregatio ut huic malo, quoad fieri posset, praesens remedium adhiberet, regulas seu normas quasdam statuere excogitavit, quibus prae oculis habitis nedum locorum Ordinariis, sed et ipsis Christifidelibus facilis aperiretur via ad dignoscendum quodnam sit ferendum iudicium de aliquibus

Indulgentiis, quae passim in vulgus eduntur, dubiamquè praeseferunt authenticitatis notam.

Hoc vero S. Congregationis propositum SSmo Dno Nostro Leoni XIII delatum, eadem Sanctitas Sua illud approbavit iussitque quam primum executioni mandari.

Quare S. Congregatio, adhibito studio Rmorum Consultorum, Indicem praedictarum regularum elucubrandum curavit; quem deinde in generali Congregatione ad Vaticanum coadunata die 5 Maii 1898 examini Eiîiorum PP. Cardinalium subiecit. Hi vero postquam praefatum Indicem mature perpenderint, eumdem, in aliquibus immutatum, in altera Congregatione denuo expendendum sibi reservarunt.

Quod quidem actum est in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 3 Augusti 1899, in quibus Emi et Rmi Patres Indicem uti infra proponendum censuerunt:

REGULA I.

Authenticae sunt omnes indulgentiae, quae in novissima Collectione a S. Indulgentiarum Congregatione edita continentur.

REGULA II.

Indulgentiae generales, quae in supradicta Collectione non exhibentur, vel quae concessae feruntur post editam Collectionem, tunc solummodo habendae erunt ut authenticae, cum earumdem concessionis authographum monumentum recognitum fuerit a S. Indulgentiarum Congregatione, cui, sub nullitatis poena, exhibendum erit antequam publicentur.

REGULA III.

Authenticae habeantur Indulgentiae concessae Ordinibus et Congregationibus religiosisj Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitas, Sodalitiis, piis Unionibus, piis Societatibus, nonnullis Ecclesiis celebrioribus, Loeis piis et Obiectis devotionis, quae continentur in Summariis recognitis et approbatis a S. Congregatione Indulgentiarum, eiusque auctoritate vel venia tgpis editis.

REGULA IV.

Non habeantur ut authenticae Indulgentiae sive generales, sive particulares, quae continentur in libris, in libellis, in sum-

martis, in foliis, in ehartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quae approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem et distincte exprimenda.

REGULA V.

Apoeryphae, vel nunc prorsus revocatae, sunt omnes Indulgentiae mille vel plurium millium annorum quocumque tempore concessae dicantur.

REGULA VI.

Suspectae habeantur Indulgentiae plenariae quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba: exceptis Indulgentiis in articulo mortis.

REGULA VII.

Reiiciendae sunt ut apoeryphae Indulgentiae, quae circumferatur in libellis, foliis seu ehartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex levibus aut etiam superstitiosis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditionibus promittuntur Indulgentiae et gratiae usum et modum excedentes.

REGULA VIII.

Ut commentata reiicienda sunt folia, et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantibus liberatio unius vel plurium animarum a Purgatorio : et Indulgentiae quae dictae promissioni adiici solent ut apoeryphae habendae sunt.

REGULA IX.

Apoeryphae, vel saltem ut graviter suspectae, habeantur, Indulgentiae recentioris assertae concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producuntur.

Quas quidem regulas per me infrascriptum Cardinalem «eiusdem S. Congregationis Praefectum SSmo Dño Nostro Leoni PP. XIII relatas in Audientia diei 10 Augusti 1899 eadem

Sanctitas Sua approbavit, mandavitque per generale Decretum publicari.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 10 Augusti 1899.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. SABATUCCI ARCHIEP. ANTINOEN. *Secr.*

Commentarii in supradictas regulas, approbante S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad opportunitatem adiecti.

AD REGULAM I.

Haec regula respicit collectionem vulgo : *Raccolta di Orazioni e pie Opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze. — Roma, Tipografia della S. C di Propaganda Fide, 1898.* — Regulae vero fundamentum ex ipso fine, quem sibi S. Congregatio in edendo illo libro praestituit, manifeste patet. Iam enim anno 1877, quando prima editio Collectionis, de qua agimus, ex officio ab ipsa'hac Sacra Congregatione publicanda praeparabatur, in Decreto praevio haec legebatur declaratio : « Summus Pontifex benigniter annuit, ut *authentica* omnium et singularum precum piorumque operum, quae usque ad praesentem diem indulgentiis ditata vel aucta fuere, sylloge seu Collectio per Secretariam eiusdem S. Congregationis quam diligentissime conficeretur ». Ideo illa prima, et postea anno 1886 pariter secunda editio ab eadem S. Congregatione declarata est authentica; nunc vero in Decreto tertiae editioni anni 1898 praefixo ita legitur : « Huiusmodi Collectionem typis S. Congregationis de Propaganda Fide cusam idem SS. D. N. Leo Pp. XIII sua apostolica auctoritate approbavit ; eaque proinde *uti genuina et authentica Sylloge Indulgentiarum hactenus pro universis Christi fidelibus et pro quibusdam eorum coetibus ibidem designatis concessarum ab omnibus est retinenda ».*

AD REGULAM II.

Approbantibus Benedicto Pp. XIV, et Pio Pp. IX, a S. Congregatione Indulgentiarum diebus 28 Ianuarii 1756 et 14 Apri-

iis 1856 Decretum est promulgatum huius tenoris (Dec. auth. S. C. Indulg. n. 205 et 371): «Cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia S. Congregatione, ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti Decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem S. Congregationis deferre ». Id tamen valet tantum quoad indulgentias omnino et sub omni respecta generales : quae scilicet concessae sunt omnibus fidelibus pro quibusdam precibus vel piis operibus, et quidem in perpetuum ; non valet de iis, quae requirunt insuper adscriptionem in piam Unionem etc., vel visitationem determinatae ecclesiae, vel quae obligationem imponunt deferendi certum scapulare vel numisma etc., vel quae ad tempus quoddam determinatum conceduntur : istae omnes indulgentiae potius particulares censendae sunt, ad quas Decretum Benedicti XIV et Pii IX non sese extendit.

Constare autem poterit de recognitione indulgentiarum novarum generalium a S. Congregatione peracta, si indulgentiae istae exhibentur a libris vel auctoribus omni fide dignis qui ab ipsa S. Congregatione eiusmodi concessiones accipiunt, vel saltem, eadem permittente, eas lectoribus suis communicant.

AD REGULAM III.

Agitur hic de indulgentiis non omnino generalibus, de quibus in regula praecedenti, sed aliquo modo particularibus, ut patet ex ipso tenore huius regulae. Iamvero quaedam ex Summariis hic nominatis, uti statim in regula sequenti dicetur, a solis Episcopis recognosci et approbari possunt ; alia vero Sac. Congregationi Indulgentiarum necessario sunt proponenda pro recognitione et approbatione. Patet autem huiusmodi Summaria omnia, si certo ab ipsa S. Congregatione recognita et approbata fuerint, ab omnibus ut certo authentica habenda esse neque alia recognitione et approbatione Episcoporum indigere, etiamsi forte recognitio et approbatio Episcopalis per se sola sufficiens fuisset.

AD REGULAM IV.

In nova Constitutione de Prohibitione et Censura Librorum? Decretum XVII ita habet: « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia ».. Et in Decreto XV legitur : « Imagines quomodocumque impressae D. N. I. C, B. M. V. etc. sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae auctoritatis licentia non publicentur ». Hinc patet, de authenticitate indulgentiarum generalium sive particularium, quomodocumque impressarum non constare, nisi adsit approbatio auctoritatis competentis; deficit enim elementum necessarium et praescriptum ad authenticitatem cognoscendam et stabiliendam.

Dicitur autem probatio *distincte exprimenda*, id est cum nomine approbantis, cum loco et tempore approbationis datae..

Auctoritas competens in genere est ipsa S. Congregatio Indulgentiarum, exceptis tamen casibus sequentibus, in quibusetiam approbatio Ordinarii loci sufficit (Decret, auth. n. 383) :

I°. Si agatur de edenda concessione alicuius indulgentiae particularis, vel de edendo Summario indulgentiarum, quod ex uno tantum Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est;

2°. Si agatur de Summario ex auctoritate S. Congregationis iam vulgato, excepto tamen elencho indulgentiarum, ut aiunt,. Apostolicarum (pro coronis, numismatibus etc.), qui ubicumque et quovis idiomate edatur, approbationem S. Congregationis-requirit; excepta etiam quavis versione integrae Collectionis Indulgentiarum-« Raccolta » dictae; singulae tamen indulgentiae in eadem contentae auctoritate Episcopiut patet, publicari possunt;

3°. Si agatur de Summariis illarum Confraternitatum, quae ex concessione S. Sedis ab Institutis Religiosis eriguntur vel ab Archiconfraternitatibus aggregantur; tunc enim sufficit recognitio et approbatio Episcopi illius loci, ubi eiusmodi Instituta religiosa vel Archiconfraternitates sedem principalem habent (Decr. Auth. n. 388).

In omnibus aliis casibus recognitio et approbatio ipsius S. Congregationis requiritur, praesertim si agatur de Summario indulgentiarum vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo.

Patet denique, huiusmodi Summaria omnia, si certo iam ab ipsa S. Congregatione recognita et approbata fuerint, ab omnibus ut certo authentica habenda esse, neque alia recognitione et approbatione Episcoporum indigere, etiamsi forte ex dictis recognitio et approbatio episcopalis per se sola sufficiens fuisset.

AD REGULAM V.

Indulgentiae huius generis a gravissimis auctoribus semper iudicatae sunt alienae ab usu Sedis Apostolicae. Revera si concessae referantur ante saeculum XIV, stare non possunt cum antiquiori Ecclesiae disciplina (ita Theodor, a Spiritu Sancto de Indulgentiis II, 247) : manifesto enim constat saeculo XIII et etiam XIV adhuc indulgentias fuisse valde exiguas (v. g. 10, 20, 40 dierum, unius anni, raro 5 annorum vel 7, rarissime 20 annorum). Quod si posterioribus saeculis attribuantur, multa quidem extant authentica Decreta, quibus eiusmodi indulgentiae reprobantur ut apoeryphae, sed ne unum quidem adhuc afferri potuit documentum talis concessionis, quod sit ***eerto authenticum.*** Si vero aliquod dubium de quadam huius generis indulgentia extare posset, nuper Decreto huius S. Congregationis d. d. 26 Maii 1898 omnes indulgentiae mille vel plurium millium annorum sunt revocatae : ita ut hodie ne una quidem admitti possit.

AD REGULAM VI.

Christifidelibus in articulo mortis constitutis Summi Pontifices magna liberalitate indulgentiam plenariam concedere consueverunt, ea sub conditione, ut saltem contriti corde (si SSma Sacramenta Poenitentiae et Communionis recipere non potuerint) nomen Iesu ore, vel saltem corde, devote invocaverint, et mortem ut stipendium peccati de manu Domini aequo animo susceperint. Sed praeter articulum mortis indulgentiam plenariam fidelibus pauca dumtaxat verba recitantibus concedere nunquam mos fuit Sanctae Sedis. Revera in tota Collectione authentica precum piorumque operum, quae « Raccolta » dicitur, ne unum quidem exemplum huius generis invenitur; si forte excipias orationem illam notissimam « En ego, o bone et dulcissime Iesu » ante imaginem Crucifixi recitandam. Sed in primis ea oratio non adeo paucis verbis constat et in ea supponitur aliqua meditatio dolorum ac vulnerum Iesu Christi

Crucifixi, ac praeterea ad plenariam indulgentiam lucrandam confessio et communio et etiam preces ad mentem Summi Pontificis requiruntur. Quare hic repeti potest, quod in praecedenti regula explicanda dicebatur, nullum scilicet extare documentum'cerio ***authenticum,*** quo Christifidelibus pauca solum verba recitantibus concessa fuerit unquam a Summis Pontificibus indulgentia plenaria ; multa vero Decreta certa tales indulgentias ut apocryphas vel suspectas répudiant.

AD REGULAM VII.

Haec regula explicatione vix indiget. Cum enim indulgentiae ex piis solummodo et rationabilibus causis concedi debeant, S. Sedes nunquam eiusmodi naenias vel ridicula vel impossibilia promisit in elargiendis indulgentiis : immo ne fallaci spe et noxia praesumptione fidelium mentes deciperentur, plura Concilia opportune eos monuerunt, ne libellis vel scriptis huiusmodi temere fidem haberent (Cfr. Theodor, a Spir. Sancto II, p. 327). Sane catalogi indulgentiarum a Summis Pontificibus proscriptarum id manifeste evincunt. Sufficiat ex multis citare orationem quamdam, quae inventa fuisse dicebatur in sepulcro D. N. I. C. et revelata olim Sanctis Elisabethae, Reginae Hungariae, Mechtildi et Birgittae, quae quidem cum omnibus suis promissionibus extravagantibus iam anno 1678, et nunc iterum Decreto 26 Maii 1898 ab hac S. Congregatione ut apocrypha reprobata est.

AD REGULAM VIII.

Etsi Summi Pontifices praeteritis saeculis ea etiam formula in indulgentiis concedendis usi sint," ut Christifidelibus certas orationes (non pauca tantum verba, uti supra in regula sexta) recitantibus, vel pia quaedam opera peragentibus liberationem unius animae ex purgatorio promitterent, id tamen communiter alio sensu intelligi non debet, quam ut indulgentia quaevis plenaria fidelibus viventibus a Summis Pontificibus oblata, etiam animae cuicumque in purgatorio detentae applicabilis declarata fuerit, uti fert stylus Curiae hodie usitatus. Certo autem ex authenticis documentis probari nequit, quemquam illorum liberationem plurium simul animarum a purgatorio unquam promisisse, multoque minus pro recitatione unius alteriusve precis tantum.

Quemadmodum igitur assertiones eiusmodi uti male fundatae haberi debent, ita etiam indulgentiae promissionibus talibus adiectae, ut apoeryphae nulliusque valoris reiiciendae sunt: eo vel magis quod eiusmodi indulgentiae plerumque iis inusitatis modumque excedentibus suntiaccensendae, de quibus •in regula praecedenti dictum est.

AD REGULAM IX.

Ecclesia ex multo iam tempore indulgentias partiales, ut notum est, certis quibusdam formulis stabilibus concedere solet, uti v. g. 50, 100, 200 vel 300 dierum, vel unius anni, vel 3,' 5, 7 annorum et totidem quadragenarum; sed a praxi Sedis Apostolicae omnino alienae sunt indulgentiae v. g. 1080 dierum, quemadmodum legebantur indicatae in quibusdam numismatibus B. M. V., quae ante quadraginta fere annos Laureti vendebantur: quae ideo ab hac S. Congregatione die 23 Februarii 1856 declaratae sunt apoeryphae (Decr. auth. n. 370). Nostris hisce diebus saepe in foliis ideo indulgentiae maximi dierum numeri indicantur, quia auctores seu editores ***numeros annorum et quadragenarum proprio suo arbitrio in correspondentes numeros dierum converterunt;*** ita ut calculo huiusmodi facto statim mille vel plura millia dierum indulgentiae prodierint. Quod quidem ex aemulatione quadam non laudabili provenire indubium est : ita enim demonstrare ad oculos volunt, indulgentias v. g. unius confraternitatis vel pii operis esse maiores illis, quae aliis similibus fuerunt concessae. Desiderandum valde est ut Ordinarii locorum eiusmodi Schedas vel libellos minime approbent, etiamsi calculus veritati undequaque respondere videretur.

EX 8. CONGREGATIONE RITUUM

GUADICEN. seu Ordinis SSmae. Trinitatis redemptionis captivorum confirmationis cultus praestiti Servo Dei Marco Criado Sacerdoti professo ex eodem Ordine Beato nuncupato.

Illiturgi vulgo ***Andujar*** in Hispania anno reparatae salutis MDxxii e parentibus nobilitate et virtute conspicuis ortum duxit Marcus cognomento Criado, qui a puero futurae sanctimoniae

clara portendit indicia. Studio enim christianae cathechesis et ardore pietatis in Deum atque in Beatissimam Virginem adeo incensus erat, ut etiam aequales in unum coactos verbo et exemplo inflammaret. Humanioribus uteris absolutis, in eremum secessit celebri templo^Éeatae Mariae Virginis *de la Cabeza* nuncupatae adnexum;^ibique superno lumine illustratus, ipsamet opitulante Deipö^,r*=mundo valedixit, et anno MDXXXVI religiosum habitum Ordinis SSmae Trinitatis induit. Expleto tyrocinio, sedulam philosophiae ac theologiae dedit operam, pari cum ingenii et doctrinae laude. Sacerdotio initiatus, de superiorum licentia, plures Hispaniae regiones sacris peragravit expeditionibus, illasque praesertim quae sub Maurico iugo crudelius premebantur. Apostolicum virum iucundo gratoque animo adhuc recolit et celebrat universa Regio quam *de las Alpujarras* vocant, una cum Almerina civitate cuius suburbium illis temporibus, extra Trinitariorum coenobium, a Mauris tantum incolebatur. A quibus christiani nominis acerrimis hostibus, iubente ipsorum duce Abhencota, Servus Dei captus atque ut a vera fide deficeret frustra tentatus, post alia tormenta, prope pagum *La Peza* ad quercum alligatus lapidum coniectu excruciatus est. Per tres dies quibus mansit appensus, Deum pro persecutoribus rogavit Fidemque Catholicam praedicavit; donec ipsi, scisso pectore, cor avulsum fuit; quod miro splendore illico coruscasse et SSmum Nomen Iesu insculptum, item ac in glandibus eiusdem quercus, praemonstrasse fertur. Ab eo tempore, circiter anno MDLXIX, quo Marcus Criado glorioso martyrio coronatus fuit, publicus atque ecclesiasticus cultus eidem Servo Dei praesertim a Pezanis et in Dioecesi Guadicensi exhibitus est, eumque perseverantem Benedictus XIV Pontifex Maximus die xv Septembris MDCCLVII tolerari posse ac debere decrevit, quin exinde eiusdem cultus Apostolica approbatio censeretur ad Beatificationem sive aequipollentem sive formalem inferendam; pro qua idem Pontifex mandavit procedi debere ad praescriptum Decretorum s. m. Urbani Papae VIII. Instante autem nuperrime Rmo P. Antonino ab Assumptione huiusce Causae Postulatore, universi Ordinis SSmae Trinitatis etiam vota depromente, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decretum Sacrae Rituum Congregationis datum die XXIV Aprilis, hoc vertente anno, de speciali gratia, inspecta praesertim claritate martyrii Servi Dei et ad effectum proce-

dendi in eiusdem Causa super casu excepto', a defectu trigintaquinque adannorum explendum aevum Urbanianum benigne dispensavit. Quapropter, attentis Processibus Ordinariis in Ecclesiastica Curia Guadicensi adornatis, annis MDCCLIII et MDCCCLXV, necnon recentioribus documentis atque litteris postulatoriis cum enixis precibus Rmi Dñi Episcopi Guadicensis, atque praecipue supramemorato Apostolico Indulto, infrascriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefectus et huiusce Causae Relator, in Ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit: *An constet de cultu publico ecclesiastico exhibito praefato Servo Dei, seu de casu excepto a Decretis s. m. Urbani Papae VIII in casu et ad effectum de quo agitur ?* Et Sacra eadem Congregatio, omnibus rite perpensis, auditoque etiam voce et scripto R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, respondendum censuit: *Affirmative seu constare.* Die 11 Iulii 1899.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Rituum Congregationis ratam habuit et confirmavit, die vigesimaquarta, iisdem mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA *S. R. C Praefectus.*

L. S.

DIOMEDBS PANICI *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM: an liceat pro ieiunio naturali, aliisque obligationibus ecclesiasticis sequi tempus medium Zonarium, quod signant tantum horologia viarum ferrearum etc. minime vero alia publica horologia.

Beatissime Pater,

Die 27 Aprilis 1892 Rmus Archiepiscopus Ultrajectensis sequens dubium S. C. S. Officii solvendum proposuit :

« Quandoquidem a I[a]. die mensis Maii 1892 omnia horologia viarum ferrearum per totam Neerlandiam in indicandis horis regulam sument tempus medium loci Greenwich in Anglia, quod tempus tertiam fere horae partem retro distat a medio

tempore in Neerlandia, diciturque *tempus zonarium*, Gubernium civile praescripsit ut et ipsa horologia officiorum publicorum expediendis litteris nuntiisque telegraphicis idem tempus medium loci Greenwich indicarent. Quia *insuper*, sive a magistratu civili, sive per usum, alia quoque horologia publica tempori praefato *m^tis saltem in locis* conformabuntur, quaestio exsurget: Utrum pqssint clerici et fideles per totam Neerlandiam in .ieiunio naturali, caeterisque ecclesiasticis obligationibus observandis, observare tempus medium loci Greenwich, an vero sequi debeant verum tempus iuxta meridianum proprii loci? »

Huic dubio Emi ac Rmi Domini Cardinales inquisitores Generales feria IV, die 9 Maii 1892 respondendum decreverunt: *Affirmative ad primam, negative ad secundam partem.*

Nunc vero aliqui iterum dubitant, contendunique, clericos et fideles in Neerlandia pro ieiunio naturali aliisque ecclesiasticis praeceptis observandis uti non posse praedicto medio tempore Greenwich, eo quod de facto alia horologia publica non multis in locis praefato tempori se conformarunt. Cum autem pro ieiunio in primis naturali servando res non levis sit momenti, dignetur Sanctitas Sua benigne sequens solvere dubium :

Utrum, non obstante quod de facto non multis in locis alia horologia publica se conformarunt tempori medio Greenwich, clericis et fidelibus in Neerlandia in ieiunio naturali ceterisque ecclesiasticis obligationibus servandis, licitum sit sequi tempus illud medium Greenwich, quod inde a I[a]. die mensis Maii 1892 per totam Neerlandiam in omnibus officiis publicis tam viarum ferrearum, quam litterarum et telegrammatum expediendorum introductum fuit? — Et Deus etc.

Feria ***1V****, die 9 Augusti 1899.*

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, relato supradicto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi Patres respondendum decreverunt:

Affirmative.

Sequenti vero feria VI, die 11 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSmo D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Assessori concessa, SSmus D. N. resolutionem Emorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI *S.* ***R.*** *et U.* ***I.*** *Notarius.*

DUBIUM: an decretum S. Officii diei **5** Iulii 1899, quo Superiores vetantur excipere confessiones suorum subditorum derogaverit apostolicis Constitutionibus, quae regulares ordines respiciunt **(1).**

Beatissimo Padre,

N. N. prostrato ai piedi della S. .V. umilmente espone che per Decreto di Clemente VIII del 19 Mar^ó 1593 i Novizi degli Ordini Regolari non solo *possono* ma *devono* confessarsi col proprio Maestro, che è il Superiore del Noviziato. Inoltre con altro Decreto del 26 Maggio 1593 il medesimo Pontefice stabilì che nelle Comunità Religiose i Superiori non devono confessare i propri sudditi, se non quando trattisi di peccati riservati, ovvero quando ne siano da essi liberamente richiesti

Il sottoscritto perciò supplica che sia dichiarato se il Decreto del S. Officio del 5 Luglio 1899, con cui si vieta ai Superiori di udire le confessioni dei propri sudditi, abbia derogato o pur no ai cit. Decreti di Clemente VIII.

Che ecc.

***Feria** IV, die **23** Augusti 1899.*

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab EEiìiis ac RRmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Per decretum S. Officii fer. IV d. d. ö Iulii 1899 nihil derogatum fuisse Constitutionibus Apostolicis quoad Ordines Religiosos.

Sequenti vero feria VI, die 25 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SS. D. N. Div. Prov. Pp. Leone XIII R. P. D. Assessori impertita, SSiîius D. N. resolutionem EEmorum ac RRmorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI 5. *R. et U. I. Notarius.*

(1) En quoque in commodum lectorum dispositiones apostolicas in subiecta materia: «Ipsi autem Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen superiori etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confessiones audire ». (Clem. VIII, 19 Mar. 1593).

« Non licet Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint» (Clem. VIII, 26 Maii 1593).

DUBIUM: an margarina (butyrum arte confectum) adhiberi possit per modum cibi aut condimenti quoties permittitur usus butyri.

Feria IV, die 6 Septembris 1899.

Huic Supremae Congregationi S. R. et U. Inquisitionis propositum fuit enodandum sequens dubium :

An liceat uti margarina per modum cibi aut condimenti illis diebus, quibus usus carnium aut adipis ex carne illicitus est, licito manente usu butyri?

Porro in Congregatione Generali ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, proposito suprascripto dubio, Erîii ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Affirmative, facto verbo eum SSmo.

Sequenti véro feria V, die 7 eiusdem mensis et anni in solita audientia a SSiîio D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Assessori impertita, SSmus D. N. resolutionem Emorum Patrum ratam habuit et confirmavit.

I. Can. MANCINI, S. *R. et U. Inquis. notarius.*

DUBIUM : an Indi-Goaijri baptizari possint.

Beatissime Pater,

Infrascriptus Moderator Missionariorum regionis *Goajira* in Columbia, ad pedes S. V. humillime provolutus, exponit.

Indi *Coajiri* numerantur circiter 40,000 solo fere nomine gubernio Columbiae subiecti. Vitam agunt quasi silvestrem, ab omni fere urbanitatis seu civilitatis influxu alienam. Dum civibus Columbiae et Venezuelas commercium habeant continuum, et viciniores civitates quotidie accedunt; emptiones et venditiones in dictis civitatibus peragunt, sed vitae civilis vincula et commoda omnino reiiciunt.

Principium omnis mali, in quod fere unice credunt, et quod pervalde timent, superstitiose colere seu potius placare solent, et vix aliquam de Deo Summo Bono notionem conservant.

Vitam errantem, seu *nomadam,* gerunt, sed lato quodam sensu talem ; siquidem unaquaeque parva tribus seu *grupo de*

familias ducem habet fixum, in territorio relative parvo permanet ex quo haud exire solent: unde efformant quasi pagos ambulantes ut pascua inveniant sufficientia.

Porro in commercio cum civibus seu cum incolis hispano-americanis nonnullas catholicae religioni^ notiones acquisierunt, et magnam sacramenti Baptismi parvulis^praesertim conferendi aestimationem et desiderium retinuerunt»,Ad quod indubitanter inducti fuere etiam ex commodo quod ex baptismo non raro reportant. Etenim cives Hispano-americani libenter patrini munus suscipiunt et genitoribus baptizandi hisce in adiunctis aliquid donare solent.

Nonnunquam accidit quod parvuli ita baptizati patrem habent virum civilem et matrem *goaijram.* Indi enim goagiri ab omni impudicitia extra legitimum torum abhorrent, et violatores legis castitatis severissime punire solent: sed haec lex sola illicita commercia inter *goaijros* interdicit, non autem carnales relationes inter feminam *goaijram* et virum civilem qui illam pretio conducit ad utilitatem familiae *goaijrae* soluto. Et hoc in casu nec vir curam habere vult prolis huiusmodi et forsan etiamsi vellet non posset, prohibentibus indis *goaijris :* potest tamen facillime prolem videre, et de baptismo ipsi conferendo efficaciter providere.

Porro, in praxi, parvuli huiusmodi si ad annos discretionis pervenerint, vitam quasi silvestrem ducunt et a praxi christianae religionis alienam. Adulti autem, qui aliqualiter instructi baptismum postulant et accipiunt, amore vitae silvestris et errantis, ut dictum est, capti, in regione *goarjra* permanent et mores infidelium imitantur: vix aliquoties in vita, facilius tamen in mortis articulo, si sacerdotis copiam habeant, religionis auxilia libenter suscipiunt.

In talibus adiunctis iam antequam Missio nostra condita fuisset, multi parvuli et non pauci adulti baptizati sunt a Sacerdotibus praesertim viciniorum civitatum, ad quas quotidie accedunt Indi-Goagiri. Et huiusmodi praxim, de consilio tum defuncti, tum hodierni Episcopi, in cuius territorio sita est regio *goaijra,* et nos sequuti fuimus. Novissime tamen de liceitate huius agendi rationis maxime dubii, severiores fuimus circa hanc materiam. Sed ex inveterata consuetudine in regione vigenti, et Indi in Goagira commorantes, et christiani in civitatibus vicinioribus degentes, imo et ipse R. P. D. Episcopus plus

minusve improbarunt mutationem a nobis factam illamque infaustum rigorismum iudicarunt. Imo parochus cuiusdam civitatis vicinioris hodie baptizat Indorum 'parvulos, quos nos baptizare non audemus, et in hoc sequitur exemplum hodierni Episcopi S. Marthae, qui idipsum faciebat dum parochi munus in civitate Riohacha gerebat.

Quaeritur igitur :

I. An in expositis circumstantiis Indi-Goaijri licite baptizari possint?

II. An tuta conscientia stare possimus iudicio dignissimi Episcopi S. Marthae liceitatem expositae praxis omnino sustinetis ?

Feria IV, die 6 Septembris Î899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Eihis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, expositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, omnibus ea qua par erat maturitate discussis, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt :

In expositis conditionibus et circumstantiis posse licite Goagiros baptizari; remittendum tamen prudentiae et conscientiae Missionariorum in singulis casibus adultos vel pueros Goagiros baptizare. Et detur Decretum S. Officii anni 1867 ad Praefectum Apostolicum Nossi-bé.

Porro huiusmodi Decretum sic se habet:

« Remittendum prudenti arbitrio et conscientiae Missionariorum (audito si fieri possit, Praefecto Apostolico), qui in expositis circumstantiis baptizare possint pueros a parentibus non baptizatis oblatos, dummodo in singulis casibus non praevideatur ullum adesse grave perversionis periculum et dummodo non constet parentes ob superstitionem filios offerre baptizandos ».

In sequenti vero Feria V, die 7 eiusdem mensis et anni in solita audientia a SSiîio D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P.D. Assessori impertita, resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum ratam habuit et probavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. Inquis. *Notarius.*

Suspensio Indulgentiarum et Facultatum vertente Anno Universalis Iubilaei Millesimo Noningentésimo.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quod Pontificum Maximorum sanxit auctoritas, ut Anni sacri solemnia Romae potissimum agerentur, id quidem cum provisa divinitus dignitate et grandioribus muneribus almae Urbis est admodum congruens. Haec enim omnium, quotquot ubique sunt, christianorum patria communis : haec sedes sacrae potestatis princeps,r eademque traditae a Deo doctrinae custos sempiterna : hinc ut ab unico augustissimoque capite in omnes christianae reipublicae venas perenni communicatione vita propagatum Nihil ergo tam consentaneum, quam catholicos homines vocatu Sedis Apostolicae huc certa per intervalla temporum convenire, ut scilicet una simul et remedia expiandis animis in Urbe reperiant et romanam auctoritatem praesentes agnoscant. Quod cum tam salutare ac frugiferum appareat, sane cupimus ut urbs Roma toto anno proximo maiore qua fieri potest frequentia mortalium celebretur : ob eamque rem peregrinationis romanae cupidis velut stimulos addituri, admissorum expiandorum privilegia, quae liberalitate indulgentiaque Ecclesiae passim concessa sunt, intermitti volumus : videlicet, quod plures decessores Nostri in caussis similibus consuevere, Indulgentias usitatas apostolica auctoritate ad totum Annum sacrum suspendimus : verumtamen prudenti quadam temperatione modoque adhibito, ut infra scriptum est.

Integras atque immutatas permanere volumus et decernimus

I. Indulgentias ***in articulo mortis*** concessas :

II. Eam, qua fruuntur ex auctoritate Benedicti XIII decessoris Nostri, quotquot ad sacri aeris pulsum de genu vel stantes ***Salutationem angelicam,*** aliamve pro temporis ratione precationem recitaverint:

III. Indulgentiam decem annorum totidemque quadragenarum Pii IX auctoritate an. MDCCCLXXVI iis tributam qui pie templa visitent in quibus Sacramentum augustum quadraginta horarum spatio adorandum proponitur:

IV. Illas item Innocentii XI et. Innocentii XII decessorum Nostrorum decreto iis constitutas, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, confitentur, vel cereum • aut facem per alios deferendam ea occasione mittant:

V. Indulgentiam alias concessam adeuntibus pietatis causa templum sanctae Mariae Angelorum Ordinis Fratrum Minorum extra Assisii moenia a vesperis Calendarum Augusti ad solis occasum diei insequentis:

VI. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales Legati a latere, Apostolicae Sedis Nuntii, item Episcopi in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma consueta largiri solent :

VII. Indulgentias Altarium Privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliasque eodem modo pro solis defunctis concessas : item quaecumque vivis quidem concessae sint, sed hac dumtaxat causa ut defunctis per modum suffragii directe applicari valeant. Quas omnes et singulas volumus non prodesse vivis, prodesse defunctis.

De facultatibus vero haec constituimus et sancimus, quae sequantur.

I. Rata firmaque sit facultas Episcopis aliisque locorum Ordinariis impertiendi indulgentias ***in articulo mortis*** eamdemque communicandi secundum Litteras a Benedicto XIV decessore Nostro datas Nonis Aprilis an. MDCCXLVII :

II. Item ratae firmaeque sint facultates Tribunalis Officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem, eiusque Officialium : Missionariorum quoque et Ministrorum qui vel ab eodem Tribunali, vel a Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita, vel alias ab Apostolica Sede ad id deputati fuerint: nominatim facultas absolvendi ab haeresi eos, qui, eiurato errore, ad fidem redierint:

III. Ratae firmaeque sint facultates, quas Officium, Poenitentiariae Nostrae apostolicae Missionariis, in locis Missionum earumque occasione exercendas, concesserit :

IV. Item facultates Episcoporum aliorumque sacrorum Antistitum circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis, quemadmodum ipsis a Sacra Tridentina Synodo, seu alias, etiam in publicis casibus, a iure communi ecclesiastico et ab Apostolica Sede pro certis personis et casibus, permissae dignoscuntur.

Idem statuimus de facultatibus Antistitum Ordinum religiosorum, quaecumque ipsis in Regulares sibi subiectos ab Apostolica Sede tributae sint.

Iis exceptis, de quibus supra memoravimus, ceteras omnes et singulas Indulgentias tam plenarias, etiam ad instar Iubilaei concessas, quam non plenarias, suspendimus ac nullas iubemus esse. Similique ratione facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis cuilibet quoquo modo concessa, suspendimus ac nulli suffragari volumus ac decernimus. Quocirca praesentium auctoritate Litterarum praecipimus ac mandamus, ut, praeter Indulgentias Iubilaei, easque, quas supra nominatim excepimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub poena excommunicationis eo ipso incurrendae aliisque poenis arbitrio Ordinariorum infligendis, publicentur, indicantur, vel in usum demandentur.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, omnia ea stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Earum vero exemplis aut transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, decreti, declarationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire : si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo nono Pridie Cal. Octobris, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. CARD. ALOISI-MASELLA PRO-DAT. - A. CARD. MACCHI.

Visa

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

(Loco Plumbi)

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS.

Sanctissimi Domini Nostri Leonis divina providentia Papae XIII Constitutio qua indulgentiae Iubilaei anni MDCCCC conceduntur monialibus, oblatis, tertiariis aliisque sive puellis sive mulieribus in monasteriis piisve communitatibus degentibus, eremitis, infirmis, carcere aut captivitate detentis, cum opportunis facultatibus circa absolutiones et votorum commutationes.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD FUTURAM REI MEMORIAM. •

Aeterni Pastoris infinitam caritatem animo reputantes, qui ***proprias oves vocat nominatim*** (1), ***ut vitam habeant et abundantius habeant*** (2), quique ipsarum adventum ad sui gremium non modo expectat, sed ipse saepe praevertit, consilium agitavimus de Apostolicae liberalitatis thesauro recludendo in proximum annum Iubilaei iis etiam, quibus sua conditio non sinit ut praescriptam peregrinationem ad almam hanc Urbem et ad beatorum Apostolorum limina suscipiant. Placuit igitur fructu vacuam non redire multorum fidem ac pietatem, qui huiusmodi iter summo cum studio essent aggressuri, nisi eos aut septa monasterii, aut ineluctabilis captivitas, aut corporis infirmitas impediret. Quae quidem relaxatio atque benignitas non istorum tantum necessitati aut utilitati prospiciet, sed in communem omnium Salutem redundabit. Coniunctis enim tot hominum precibus et lacrimis, quos vel vitae innocentia et religionis ardor, vel poenitentia, vel calamitas segrega vit a ceteris, divinae misericordiae placandae spem licebit multo validiorem fovere. Quamobrem vi praesentium litterarum opportunas rationes describere decrevimus, quibus quum viri tum mulieres in eremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes, vel custodiis et carceribus detenti, vel morbis aut infirmitatibus impediti quominus veneranda Apostolorum sepulcra et Patriarchales Urbis Basilicas adeant, permissarum absolutionum concessique plenarii Iubilaei fieri participes valeant.

Qui autem sub hac providentia comprehenduntur, hi sunt:

I. Moniales omnes, quotquot solemnia vota religionis ediderant et in monasteriis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quae tyrocinium exercent, quaeve in monasteriis, aut edu-

(1) io. X, 5.
(2) Ibid. 10.

cationis aut alia de causa legitima, commorantur. Pariter Monasteriorum huiusmodi Moniales, quae stipis colligendae gratia septa religiosa egrediuntur:

II. Oblatae, vitae societate coniunctae, quarum Instituta fuerint ab Apostolica Sede vel ratione stabili, vel ad experimentum probata, una cum suis novitiis atque educandis puellis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, quamquam severiori claustri lege non adstringantur.

III. Tertiariae sub uno eodemque tecto communiter viventes cum suis pariter novitiis atque educandis puellis, aliisque cum ipsis una degentibus, etsi severiore claustri lege minime teneantur, earumque Institutum nec unquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum fuerit, nec ut approbatum in posterum haberi debeat vi praesentis concessionis :

IV. Puellae ac mulieres in gynaeceis seu Conservatoriis degentes, quamvis nec Moniales, nec Oblatae, nec Tertiariae, nullisque claustri legibus obnoxiae sint. Has omnes, quas diximus, tam in Urbe quam extra, ubique locorum et gentium degentes, praesentis concessionis gratia et privilegio frui posse decernimus ac declaramus.

V. Idem concedimus Anachoretis atque Eremitis, non quidem eis qui nullis clausurae legibus adstricti vel in collegio et societate, vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus aut regulis obtemperantes vivunt : sed eis qui in continua licet non omnimode perpetua clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt, etiamsi monasticum aut regularem Ordinem profiteantur, ut Cistercienses aliquot, Chartusienses, Monachi et Eremitae Sancti Romualdi solent.

VI. Ad utriusque sexus Christifideles eamdem concessionis gratiam extendimus, qui captivi in hostium potestatem versantur, ad eosque ubique locorum, qui ex civilibus aut criminalibus causis in carcere detinentur; item qui exilii poenam aut deportationis luunt ; qui in triremibus aut alibi ad opus damnati reperiuntur ; denique ad religiosos viros qui suis in coenobiis sub custodia retinentur vel qui ex rectorum praecepto certam habent sedem, quasi exilii aut deportationis loco assignatam.

VII. Eamdem concessionem communem esse pariter volumus utriusque sexus infirmis cuiusvis ordinis et conditionis, vel qui iam extra Urbem in morbum aliquem inciderint, cuius

causa, intra Iubilaei annum, Urbem adire, medici iudicio, non possint, vel qui, licet convaluerint, non sine tamen gravi incommodo romanum iter aggredi possint, vel qui omnino dare se in iter imbecilla ex habitu valetudine prohibeantur. Horum denique numero senes haberi volumus, qui septuagesimum, aetatis suae annum excesserint.

Itaque istos omnes et singulos monemus, hortamur et obsecramus in Domino, ut peccata sua *in amaritudine animae* recolentes eademque intimo animi sensu detestantes, saluberrimo Poenitentiae sacramento et congruis satisfactionibus suam quisque conscientiam expiare curent ; tum ad caeleste Convivium ea, qua par est, fide, reverentia, caritate, accedant, Deumque optimum maximum, per Unigenitum Filium eius ac per merita augustissimae Virginis Mariae et beatorum Apostolorum Petri et Pauli omniumque Sanctorum, iuxta Nostram Ecclesiaeque mentem enixis precibus orent pro sanctae Ecclesiae prosperitate atque incremento, pro extirpandis erroribus, pro catholicorum principum concordia, totiusque christiani populi tranquillitate et salute; in eumque finem visitationi quatuor Urbis Basilicarum, alia religionis, pietatis, caritatis opera devote sufficiant, quum voluntaria, tum praesertim a delectis sacri ordinis viris auctoritate Nostra iniungenda, prout infra edicitur.

Scilicet volumus ac iubemus ut Venerabiles Fratres Episcopi aliique locorum Ordinarii Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius memoratis sive puellis, sive mulieribus, Anachoretis, Eremitis, in carcere detentis, aegrotantibus et septuagenario maioribus, statuant ac praescribant sive per se, sive per prudentes Confessarios, congrua religionis ac pietatis opera iuxta singulorum statum, conditionem et valetudinem ac loci et temporis rationes: quorum perfunctionem operum pro visitatione quatuor Urbis Basilicarum valere volumus ac decernimus. Eamdem commutandorum operum facultatem concedimus Praelatis Regularibus, videlicet utendam erga Instituta et personas singulas quae in ipsorum iurisdictione sint. — Eodem genere personis quae in Urbe degant, designari opera sufficienda volumus per dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Vicarium eiusque vices gerentem, sive per se ipsos sive per prudentes Confessarios.

Itaque Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis,

quos supra memoravimus, vere poenitentibus et intra praesentem Iubilaei annum rite confessis ac sacra Communione refectis, Deumque, ut supra dictum est, orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus, si morbus periculosus oppressent, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam, veniam et remissionem, etiam duplici vice intra anni sancti decursum si iniuncta opera iteraverint, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus expleverint, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus.

Monialibus earumque novitiis licere volumus, at prima dumtaxat vice, sumere sibi ex alterutro Cleri ordine Confessarios, qui tamen sint ad audiendas Monialium confessiones rite approbati. Anachoretis atque Eremitis supra dictis, itemque Oblatis, Tertiariis, puellis ac mulieribus in monasteriis piisque domibus vitam communem agentibus, quibus forte ordinario tempore eligendi sibi Confessarii libera facultas non sit, similiterque Christifidelibus captivitate, carcere aut custodia, infirmitate aut senectute impeditis, fas esse iubemus eligere sibi prima vice dumtaxat Confessarios quoscumque, dummodo ad confessiones personarum saecularium probati rite sint. Idem eisdem conditionibus liceat viris religiosis ex quolibet Ordine aut Congregatione vel Instituto. — Confessariis sic electis concedimus et tribuimus ut personas supra dictas, auditis earum confessionibus, absolvere possint a quibusvis peccatis, etiam Apostolicae Sedi speciali forma reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, imposita poenitentia salutari aliisque iuxta canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessariis, quos moniales sibi elegerint, facultatem facimus dispensandi super vota quaelibet ab ipsis post solemnem professionem facta, quae regulari observantiae minime adversentur. Simili modo Confessarios supra memoratos etiam dispensando commutare posse volumus omnia vota, quibus Oblatae Novitiae, Tertiariae, puellae et mulieres in communibus domibus agentes sese obstrinxerint, exceptis iis, quae Nobis et Apostolicae Sedi reservata sint : factaque commutatione, a votorum etiam iuratorum observantia absolvere.

Hortamur autem Venerabiles Fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, Apostolicae Nostrae benignitatis exemplo, eligendis ad praesentium effectum Confessariis impertiri ne

recusent facultatem absolvendi a casibus qui ipsis Ordinariis reservati sint.

Volumus denique ut praesentium transumptis sive exem- S
piis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici et sigillo viri in sacri ordinis dignitate constituti munitis, eadem ab omnibus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Ceterum harum decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, hortationis, concessionis, derogationis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit I
incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo nono Calend. Novembris, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. CARD. ALOISI-MASELLA PRO-DAT. - A. CARD. MACCHI 1

Visa

DE CURIA I. DE AQUILA e VICECOMITIBUS

(Loco SS Plumbi)

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS.

T

LITTERAE APOSTOLICAE quibus Poenitentiae is in Basilicis et Ecclesiis Urbis per Cardinalem Maiorem Poenitentiarium deputatis et confessariis a Cardinali Urbis Vicario designandis facultates pro anno Iubilaei conceduntur.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quoniam divinae bonitatis munere contigit Nobis Iubilaeum magnum indicere in annum proximum, nihil iam restat quod exoptemus, quodque studeamus vehementius, quam ut successus prosperos habeat ac sperata beneficia, adiuvante Deo, affatim pariat. Nos quidem dabimus diligenter operam, ut civium aeque et peregrinorum saluti commoditatique toto eo tempore serviatur, summa voluntate pro videndo, ut ex rebus iis quae religioni, virtuti, pietati usui esse queant, nemo ullam in Urbe desideret. Verum ut, qui gravius aegrotant corpore, eorum valetudini assidere studiosius proximi solent eosque nituntur omni ratione adducere ut se sanari patiantur, ita Nos eorum conditione magis movemur qui morbis animorum, hoc est delictis vitiisque altius impliciti teneantur. Eluere conscientiae labes poenitentia, et redintegrare Dei omnipotentis gratiam redintegratione virtutum, is nimirum fructus est Iubilaei maxime proprius. Huius rei causa, memores officii et caritatis, admissorum vinclis liberari atque ad sanitatem redire cupientibus, Nos quidem, quantum in potestate Nostra est, minuendas difficultates et patens expediendum iter curabimus, videlicet ligandi et solvendi supremo interposito arbitrio.

Hoc consilio, quod decessores Nostri simili in tempore consueverunt, item Nos Confessariorum quum augendum numerum, tum dilatandam muneris potestatem censuimus. Sed quum talem pontificalis officii partem recte prudenterque administrari oporteat, omninoque de limitibus usuque facultatum praesto esse quod liqueat, idcirco Constitutioni inhaerentes fel. rec. Benedicti XIV « ***Convocatis*** », in qua hoc de genere toto ea quae necessaria sunt perspicue absoluteque praecipiuntur, Nostro motu proprio certaque scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine rem universam ad eum modum, quem his Litteris praescribimus, ordinandam ac dirigendam iubemus.

I. Venerabili Fratri Nostro Cardinali Maiori Poenitentiario per praesentes committimus ac demandamus, ut iuxta memo-

rati Benedicti XIV Constitutionem, cuius initium « *In Apostolicae Poenitentiariae Offieio* » praeter consuetos trium Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano et S. Mariae Maioris Poenitentiarios minores, pro Basilica etiam S. Pauli via Ostiensi, toto Anno Sancto, similes Poenitentiarios designet praetereaque alios, a se iam electos vel eligendos, tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive Saecularium, sive Regularium,' ac praesertim, quoad fieri poterit, in variarum nationum Urbis ecclesiis, novos similiter Poenitentia rios deputet et extra ordinem abunde multiplicet.

II. Porro hisce Poenitentiariis sive in quatuor Basilicis, sive in aliis Urbis ecclesiis per Cardinalem Maiorem Poenitentiarium, ut praefertur, deputatis, vel per Anni Sancti cursum deputandis, subsequentes facultates hoc dumtaxat Anno Sancto duraturas de Apostolicae potestatis plenitudine concedimus et largimur; videlicet:

III. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, quascumque personas ibi confitentes, etiam religiosas et regulares cuiuscumque sint Ordinis, Congregationis, et Instituti (etiamsi ex praescripto Superiorum, vel suarum Constitutionum etiam a Sede Apostolica approbatarum, vel alias ex indulto, decreto, aut praecepto Apostolico extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur) a quibuscumque sententiis excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris, etiam Summo Pontifici et Sedi Apostolicae quomodolibet, etiam speciali modo, in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » reservatis, nec non ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis: iniunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de iure iisdem poenitentibus iniungendis. Excepto tamen crimine absolutionis complicis, quod ter aut amplius admissum fuerit.

IV. Absolvere item possint a supra dictis censuris et peccatis, pro quibus facultas concessa est § III, poenitentes, quamvis censurae, quibus adstricti sunt, publicae sint, in locis unde venerunt, et quamvis deductae aut nominatim declaratae, ac denunciatae in iisdem locis sint per Ordinarios, aut alios quoscumque Iudices; praemonitis tamen poenitentibus de libello, ut infra, in his casibus publicis Poenitentiariae Apostolicae submittendo. Post absolutionem nimirum conficiant libellum supplicem, expresso nomine, cognomine, ac Dioecesi poenitentis,

et casu huiusmodi censurae publicae subiecto, et subtus scribant testimonium absolutionis ab eadem censura concessae, eumdemque poenitentem dirigant ad Officium Poenitentiariae Apostolicae, ut recipere possit Breve in forma ***missi,*** vel ***remissi*** absoluti, iuxta praxim eiusdem Officii Poenitentiariae.

Haereticos vero, qui fuerint publici dogmatizantes, non absolvant, nisi, abiurata haeresi, scandalum, ut par est, reparaverint.

Eos quoque, qui sectis vetitis massonicis aut aliis eiusdem generis nomen dederint, si occulti sint, absolvere possint, iniunctis de iure iniungendis: si vero occulti non sint, absolvere quidem eodem pacto possint, dummodo tamen idem scandalum reparaverint.

V. A censura ab homine seu a quocumque iudice de partibus nominatim lata absolvere possint pro foro interno tantum, ita ut pro foro externo ea absolutio nullatenus suffragetur.

VI. Qui bona vel iura ecclesiastica acquisierunt sine venia, non absolvantur, nisi iis restitutis, aut nisi se composuerint, vel sincere promiserint se compositaros apud Ordinarium vel apud S. Sedem.

VII. Possint omnia et singula simplicia vota, etiam Sedi Apostolicae reservata, etiam iurata, commutare dispensando in alia pia opera.

VIII. Votum tamen perpetuae castitatis commutare dispensando possint tantum ob periculum incontinentiae ad effectum nubendi, monito poenitente facturum ipsum contra votum, si extra usum matrimonialem delinquat; remansurum proinde eodem prorsus ac antea voto castitatis obstrictum, si coniugi supervixerit. — Si autem votum istud emissum fuerit ante exactum annum sextum et decimum, nec postea tamquam votum ratum habitum, possint illud absolute dispensare commutando, iusta existente causa; qua in re confessarii .conscientia oneratur.

IX. Votum etiam ingrediendae aut profitendae religionis commutare dispensando possint ad effectum nubendi ob praedictum periculum incontinentiae; ad effectum vero vitam tantum caelibem in saeculo ducendi, si poenitentes onera Religionis ferre se posse rationabiliter diffidant, vel si dote sufficienti ad ingrediendam Religionem careant.

X. Meminerint vero, sibi abstinendum ab eorum votorum

commutatione, in quibus agitur de praeiudicio ***tertii.*** Quare in eo quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, ac vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Abstineant pariter a commutatione voti de non ludendo, praesertim quoad personas ecclesiasticas, seu saeculares, seu regulares: quoad alios vero, si forte, attenta personarum conditione et circumstantiis, iusta ratio pro commutatione afferatur, non aliter in casu ipsam concedant, quam excepto ludo alias quomodocumque prohibito, et iis praeterea conditionibus praescriptis, unde ludus ex commutatione permissus honeste fiat. Nec dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccatis, ne detur ansa peccandi liberius. Quod si fortasse eiusmodi occurrant adiuncta, quae aliquam commutationem merito exposcant, non aliam certe concedant, quam quae non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

XI. Dispensare possint cum constitutis in sacris super irregularitate ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario.

XII. Cum illis qui, scienter vel ignoranter, cum impedimento gradus secundi et tertii, vel tertii solius, aut tertii et quarti, vel quarti solius consanguinitatis, vel affinitatis etiam ex copula licita provenientis, matrimonium iam contraxerunt, dummodo huiusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiae possint ad remanendum in matrimonio.

XIII. Similiter, pro foro conscientiae tantum, dispensare valeant super impedimento dirimente occulto tam primi et secundi, quam primi tantum, aut secundi tantum gradus affinitatis ex copula iilicita provenientis in matrimonio contracto; atque etiam, dummodo causae graves et quae canonice sufficientes habentur, intersint, in contrahendo: ita tamen ut, si huiusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, vel desponsandae, huius nativitas copulam antecesserit, et non aliter.

XIV. Dispensare similiter, pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo possint super impedimento cognationis spiritualis, itemque super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante, idest quando solum concurrant adulterium et fides data de matrimonio contrahendo post coniugis mortem.

XV. Dispensare ad petendum debitum possint in casu affinitatis incestuosae matrimonio supervenientis.

XVI. Ad petendum pariter debitum cum illis qui voto simplici castitatis obstricti matrimonium contraxerunt, dispensare valeant, illos monendo facturos contra id votum, si extra usum matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus ac antea voto obstrictos, si coniugi supervixerint.

XVII. Super visitatione quatuor Basilicarum cum exteris, qui vel ob paupertatem, vel ob gravem aliam causam in Urbe remanere non possunt, dispensare valeant, vel reducendo ad tres saltem dies visitationes earumdem Basilicarum alioquin per decem dies ab iisdem visitandarum, vel visitationes praescriptas in alia pia opera, prudenti suo quisque arbitrio, commutando.

XVIII. Cum civibus autem et incolis iromanis, qui morbo, vel aliquo legitimo impedimento detenti, non valeant memoratas Basilicas visitare, possint praescriptas per viginti dies visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis adimpleri queant, dispensando commutare: suam tamen conscientiam oneraturi, si super huiusmodi visitationibus inconsulto et sine iusta et rationabili causa sive cum exteris, sive cum romanis civibus aut incolis dispensaverint.

XIX. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per Cardinalem Maiorem Poenitentiarium vi generalium facultatum, quibus ex Bened. XIV Constitutione « ***Pastor bonus*** » vel alias a Sancta Sede et a Nobis ipsis est instructus, salvas et firmas hoc ipso Iubilaei anno esse et fore, atque ab iis hoc etiam anno durante non secus ac alio quovis tempore erga omnes exerceri, iuxta eiusdem Constitutionis aliarumque respective concessionum tenorem, debere, et licite posse, decernimus et declaramus.

XX. Easdem vero facultates, tam in memorata Benedicti XIV Constitutione « ***Pastor bonus*** » et alias etiam ab Apostolica Sede vel a Nobis ipsis Cardinali Maiori Poenitentiario tributas, quam in praesentibus Nostris Litteris expressas atque contentas, praedicto Maiori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro hoc Anno Sancto concedimus et impertimur, ad hoc ut ipse Maior Poenitentiarius iis omnibus et singulis tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos Confessarios in Urbe, uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum

Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis seu Confessariis deferri contingat, de quibus haud fuerit hisce in Litteris Nostris dispositum, vel qui in iisdem excepti sint; officium erit praefati Maioris Poenitentiarii, cui Poenitentiarii minores et Confessarii praedicti varios eiusmodi casus rite patefaciens Apostolatum Nostrum super illis consulere: Nos autem eidem praescribere non omittemus quidquid opportunum in Domino iudicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia afferantur.

XXI. Quum autem, ad maiora animarum lucra anno isto salutaris expiationis comparanda, multiplicandos adhuc esse operarios, augescente messis copia, probe intelligamus ; Praedecessorum Nostrorum vestigiis insistentes, Dilecto Filio Nostro Cardinali in Urbe eiusque Districtu Vicario in spiritualibus Generali, committimus, ut ex Confessariis, tam Saecularibus quam Regularibus, ab se alias ad audiendas confessiones approbatis, seu approbandis, quamplures, vel, si id satius censuerit, omnes etiam designet, qui facultates infra scriptas per Anni Sancti decursum exercere libere possint, ut nempe ipsi in obeundo sanctissimo ministerio utilius adlaborent.

XXII. Quare iidem Confessarii absolvere possint per se ipsos tantum et in foro dumtaxat conscientiae personas sibi confitentes, non exceptis religiosis aut regularibus extra suum Ordinem confiteri prohibitis, a quibuscumque ecclesiasticis censuris etiam Summo Pontifici et Sedi Apostolicae, etiam speciali modo, in Constitut. « ***Apostolicae Sedis*** » reservatis (dummodo tamen huiusmodi censurae non sint publicae) nec non ab omnibus peccatis, excessibus quantumlibet gravibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis ; iniunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de iure iisdem poenitentibus iniungendis. — Excepto, eodem modo ac supra § III, crimine absolutionis complicis.

XXIII. Omnia et singula simplicia vota, etiam iurata, etiam Sedi Apostolicae reservata, exceptis castitatis, religionis, aliisque superius § X memoratis votis, dispensare commutando in alia pia opera valeant.

XXIV. Dispensare possint circa visitationes praescriptas quatuor Basilicarum, easque commutare eodem omnino modo ac conceditur Poenitentiariis § XVII et XVIII. Praeter hanc autem facultatem dispensandi circa praedictas visitationes sciant nullam aliam dispensandi cum quoquam facultatem sibi concedi.

XXV. Firmas singulis praeterea remanere volumus facultates, quas forte a S. Sede per S. Poenitentiariam aut alio legitimo modo consecuti sunt vel consequentur.

XXVI. Hisce autem amplioribus facultatibus, per praesentes Litteras ex Apostolicae benignitatis indulgentia attributis, intelligant omnes tam Poenitentiarii minores, quam Confessarii ceteri iisdem respective muniendi, uti se non posse, nisi cum iis poenitentibus, qui praesens Iubilaeum consequi sincere et serio volunt, atque ex hoc animi proposito ipsum lucrandi et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad confessionem apud ipsos peragendam accedunt: neque item posse iisdem uti cum iis poenitentibus, qui huius Anni Sancti Iubilaeum semel iam lucrati fuissent.

XXVII. Praeterea Religiosorum quoque utilitati uberius consulere, augendoque numero Confessariorum, ex Iubilaei consuetudine, prospicere volentes, praemissas nuper facultates, quas Confessariis a Cardinali Vicario designandis hoc anno competere statuimus §§ XXII, XXIII, XXIV, easdem omnes et singulas pari modo, pro eodem anno, tribuimus omnibus Confessariis regularibus seu religiosis, etiam in Institutis votorum simplicium ab Apostolica Sede approbatis, qui ad audiendas suorum religiosorum confessiones fuerint rite, iuxta normam cuiusque Ordinis aut Instituti, deputati, ad hunc scilicet effectum, ut iidem Confessarii facultates huiusmodi erga solos proprii Ordinis sive Instituti religiosos poenitentes, hoc Iubilaeum lucrari volentes, exercere in suis quisque coenobiis seu domibus libere et licite valeant. Quibus etiam religiosis Confessariis facultatem dispensandi cum iisdem religiosis poenitentibus in sacris Ordinibus constitutis super irregularitate ob delictum occultum contracta, quemadmodum concessum est § XI, tenore praesentium, sacri eiusdem Iubilaei gratia, concedimus et impertimur.

XXVIII. Nostrae itidem caritatis providentiam ad eos convertemus, qui legitima causa praepediuntur quominus decretas quatuor Basilicarum visitationes exequantur, quales sunt praesertim Moniales, aliaeque virgines, seu mulieres in perpetua clausura viventes, vel oblatae, aliaeque in religiosis, aut piis Domibus, seu Conservatorum degentes, itemque carceribus seu custodiis detenti, et morbis affecti: aliis quippe Nostris peculiaribus Litteris statuemus quae in Domino magis expedire vi-

deantur, ut et ipsi praemissarum absolutionum ac plenarii Iubilaei participes effici valeant.

XXIX. Quum vero de recto peculiarium huius generis facultatum usu saluberrima ***Monita*** praelaudatis Praedecessor Noster fel. rec. Benedictus XIV, pro ea qua praestabat sacrarum rerum peritia, memoratis suis Litteris, quarum initium « ***Convocatis*** » proposuerit, ea iterum edi separatim mandavimus, ut qui fidelium animabus per Poenitentiae Sacramentum adiuvandis praeficiuntur, sumant inde regulam, ad quam in perdifficili munere consilia ac iudicia sua religiose componant. Ab omnibus idcirco Confessariis, qui praestitutis facultatibus uti velint, eadem perlegi diligenterque considerari volumus, ne in re gravissima quidpiam a recto alienum ob rerum ignorationem, sibi vel invitis, excidisse, non sine acerbo animi dolore aliquando nanciscantur.

XXX. Cunctos interim sacrorum administros, quibus praestantissimum eiusmodi officium committi contingat, paterno affectu admonemus ut rite ipso, et, quibus par est, religionis, caritatis, prudentiae studiis perfungantur: quumque Ecclesiae filios ingemiscamus ex errorum invalescentium colluvie circumferri omni vento doctrinae, id in primis enitantur, ut cunctos doceant vias Domini, eosque a sapientia propellant, quae secundum Deum non est. Aequo autem animo, atque ad patientiam comparato excipiant universos, exemplo Illius confirmati, cuius personam gerere sibi datum est. Hac ratione fiet, ut poenitentes quum sibi viscera misericordiae caelestesque thesauros undique reserari conspiciant, alacriores convertantur ad Dominum, ac per Poenitentiae Sacramentum sese eidem reconciliare sollicite studeant.

Praesentes vero Litteras, omnesque et singulas concessiones, limitationes, monita, declarationes, ac voluntatis Nostrae significationes in iis contentas de nullo defectu impugnari et redargui posse, sed omnimoda firmitate validas esse, et censeri, et ab iis omnibus, ad quos pertinet, exactissime observari, eisque etiam, quorum favorem respective concernunt, plenissime suffragari volumus atque decernimus. Non obstantibus praemissis Nostris, aliisque Apostolicis, seu in Universalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non quarumcumque personarum, aut Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, et

Institutorum, etiam specialem et individuam mentionem promerentium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Indultis quoque et Privilegiis sub quibuscumque tenoribus, et formis; et quibusvis etiam suspensionum et derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, seu irritantibus Decretis, etiam simili motu, scientia, et potestatis plenitudine, et alias quomodolibet concessis, et iteratis vicibus confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, quatenus praesentibus in aliquo adversari dignoscantur, illis alias in suo robore permansuris, pro hac vice dumtaxat amplissime et latissime, ac specialiter et expresse, velut si eorum tenores praesentibus per extensum inserti forent, derogamus, et derogatum censeri volumus et decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum concessionum, limitationum, monitorum, declarationum, mandatorum, decretorum, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo' nonagésimo nono, duodecimo Kal. Novembris, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. CARD. ALOISI MASELLA PRO-DAT.— A. CARD. MACCHI.

Visa

DB CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco >ß Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS.

m

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

———• v———

TRE VIREN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 22 Iulii 1899.

Sess. 24, cap. 5, De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Ioannes Petrus, in aetate 30 annorum constitutus, demortua prima uxore, die 23 Martii an. 1886 in pago Mayen., dioecesis Trevirensis, rite matrimonium iniit cum quadam Catharina quinque et triginta annos tunc nata ; postquam sponsi ante matrimonii celebrationem per tres circiter hebdomadas una simul eohabitarint.

Verum hoc matrimonium, mutuo amore initum, nunc impugnat vir, affirmans quod nullum fuerit ob defectum consensus ex parte mulieris, quae iampridem non dubia amentiae signa dederat et in ipsa nuptiali coerimonia tali mentis vitio laborabat, ut compos sui non fuerit. Quid veri tamen in hac re sit, EE. PP. iudicabunt ; id tamen certum videtur, quod quinque post diebus ab initis nuptiis, mulier tali furore et insania correpta fuit, ut, interveniente publica auctoritate, visum esset opportunum, quod vir a quacumque consuetudine et cohabitatione cum sua uxore se abstineret ; imo die 8 Maii eiusdem anni Catharina in domum amentium fuit recepta, in qua nunc demoratur, quin medicis ulla recuperandae valetudinis spes affulgeat.

Interim Petrus anno 1894 a civili Tribunali sententiam favorabilem divortii ob matrimonii nullitatem obtinuit, et die 9 Aprilis an. 1895 impio ausu matrimonium civile iniit cum quadam Agnete ac ex hoc concubinatu trium filiorum pater extitit. Mox vero conturbatae suae conscientiae prospicere cupiens, Curiam Trevirensem adiit, petens ut processus instrueretur circa nullitatem matrimonii, contracti cum Ca-

tharina. Revera Curia Trevirensis processum instituit, virum primum excussit, ac plures septimae manus testes, qui veracitati viri non solum favorabile testimonium dederunt, sed aliqui circa mulieris insaniam tempore initi matrimonii testati sunt. Excussi etiam fuerunt aliqui medici, qui mulierem in dementium nosocomio visitarunt, quos inter eminet votum a doct. Nobel exaratum, quod integrum in actis reperitur. Sed iudex Trevirensis omnibus perspectis, die 30 Iunii an. 1896 hanc dedit sententiam : « non constare de nullitate,matrimonii ».

Actor vero huic sententiae-non quievit, sed altera instantia apud Curiam Coloniensem appellationem interposuit, quae, re iterum excussa die 28 Decembris eiusdem anni, hanc dedit sententiam : « Considerando 1. Quod testes omni exceptione maiores et fide plane digni deposuerunt sub fide iuramenti Catharinam iam ante matrimonium, amentia laborasse et in die etiam celebrationis matrimonii indubia signa amentiae dedisse. 2. Quod medici periti ex signis amentiae celebrationem matrimonii antecedentibus et ex consequenti insanabilis furoris statu concludunt Catharinam die celebrationis matrimonii mente captam fuisse : Iudicamus et declaramus :

I. Sententiam 1. instantiae non esse sustinendam.

II. Attento *Cap. 24, X, 4, 1,* matrimonium inter Petrum *et* Catharinam esse nullum ».

Apud Curiam» Trevirensem proposita fuit causa nullitatis ob defectum liberi consensus et iuridice in I[a]. Instantia discussa fuit (acta enim omnia sunt rite confecta) et definita per sententiam quae lata est 30 Iunii an. 1896 *non constare de nullitate* dicti matrimonii inter Petrum et Catharinam.

Ast interposita fuit appellatio ad metropolitam Coloniensem, qui rem maturius discussit in 2. Instantia *decr e' vitque nullum fuisse ab initio dictum matrimonium* atque adeo Trevirensem sententiam sustinendam non esse.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Theologi munere functurus statim quod sentiam aperio, standum scil. esse pro nullitate matrimonii in casu prout bene iudicavit Curia Coloniensis et infirmandam esse sententiam latam a Curia Trevirensi. Ad hanc rem perficiendam sic ordine procedemus ut percipiatur qualem nobis factum exhibeat dementiam, tum quid iura habeant quoad valorem actus cum tali dementia celebrati, an scil. talis dementia pariat nullitatem actus. In primisque tria stadia seu tempora sunt prorsus distinguenda: scil. tempus ante matrimonium, post matrimonium, et simultatum celebrationi matrimonii. Et quamvis dementem fuisse hoc ultimo stadio ostendere sufficiat pro nullitate actus declaranda, tamen ad hoc per certiora deveniendum est. Dixi ***per certiora*** non ideo quia stadium seu tempus medium fuisse stadium dementiae sit res incerta: imo certissimam asserimus esse et ad hanc probatam indirecte prius et per notiora incedimus, quae sunt signa data ante et post, tum directe ipso nuptiarum celebrationis ritu.

Ast permittendum adhuc 1) quod etsi proprie et stricte demens, mentecaptus differat a furioso, tamen latius pro synonimis habentur, ut cum furore dementia confundatur, et praesertim cum de valore matrimonii (et generatim cuiuslibet actus) agatur, DD. promiscue sumuntur ad excludendum quomodocumque illum consensum, quem Pontifex ait ***de necessitate matrimonii esse debere plenum ac liberum,*** *2)* furiosum quem esse probatu difficile est, nec directe posse probari ex eo liquet, quod furor intelligentia consistat, nec sensu testis percipi queat. Unde restat ut quem furiosum esse ex coniecturis et praesumptionibus procul dubio sit probandum, uti ex gestis et sermonibus stultorum more prolatis: quod procedit licet verbis prudens videatur : nam si facta insipientem ipsum ostendant, «rit talis iudicandus : dummodo signa huiusmodi talia sint,

ut furioso conveniant ; neque hominem sanae mentis attingant ***Mascard. De Prob, conci. 824.***

Immediate post celebratas nuptias multa dedisse dementiae signa autumant multi testes.

Iam a die 8 Maii 1886 in domum provincialem dementium in Andernach abducta est, ibique usque ad aprilem an. 1889 mansit : inde deducitur in fatuorum nosocomium Klosterhoven. Porro iam a primo deportationis die usque adhuc a peritis declarata est amens et furiosa insanabilis. Qui morbus talis est ut neque ullum lucidum intervallum haberi permittat ; ceu D. Reuter auctoritati ecclesiasticae deposuit.

Iamvero Catharinam domum a matrimonii celebratione reversam illico deiecisse tum de capite coronam, tum de digito anulum nuptialem, sorori condormivisse iam a prima nocte una cum calceamentis, nullam vel minimam mariti curam habere, eumque iam a prima die derisionibus dicteriisque impudicis insequi, cultello et ferreo batillo petere, sese impudice coram aliis denudare, obscoena canere et huiusmodi plurima usque ad incarcerationem et deportationem in domum insanabilium mentecaptorum, ostendi profecto manifestam et continuam dementiam. Atqui sic erumpere ea die, talis dementia uno ictu non poterat nisi iam antecedenter illa extitisset in foemina. Natura enim non patitur repentem mutationem. Ergo iam immediate ante Catharina laborabat dementia, quae sese manifestavit clarius occasione novi status scil. matrimonii paucos dies ante civilis, tum religiosi, praesertim mulier virosa, rixosa, aliis amentibus sanguine iuncta, adscendentem habens furiosam.

Idque magis patet ex trium peritorum sententia, qui asserunt in ipsa congenitum esse furorem.

Ex his ergo iure merito concludere possumus iam ante et tempore sacro nuptiarum, Catharinam fuisse dementem.

Ante matrimonii celebrationem ***saltem aliquot menses*** Catharinam fuisse amentem patet multipliciter: quadam die anni 1885 Sacramentis ultimis muniri cupit; instar aegrotae

decumbit in lecto, iussitque medicum et parochum accersiri: qui antequam eius domum accedant, ipsa per vicos et plateas vagari incipit, tum reverti domum et mutae instar expectare et recipere parochum, qui una cum medico Catharinae insanam indolem mentisque alienationem advertunt. Meminerunt testes aliud factum scil. quod immediate ante matr. Catharina processum instituerat contra quemdam Ios. Wilhelmi, affirmando hunc in ipsam turpia intentasse ; rem scil. evidenter falsam et iniustam viderunt iudices ex accusatricis indole ceu indigna prorsus fide, ut accusatum illico dimitterent. Pariter autumnali tempore eiusdem an. 1885 in eo erat Catharina, ut cum Mathia Scheuren matrimonium esset contractura : iam proclamationes omnes factae, omniaque parata erant ad nuptias, cum dictus Scheuren omne cum illa nuptiarum negotium abrumpere sit coactus, ipsa namque Catharina paucis ante matrim, diebus domum sponsi una cum patre suo ingressa, cantilenas turpissimas maximeque obscoenas insonare coepit adeo ut honestus sponsus insanam mulierem abominatus primum, tum penitus deseruerit, prout ipse Scheuren iuravit. Quae obscoenorum cantatio in femina uti religiosa agnita a parocho suo, sicut et pudendorum ostensio immediate post matrimonii ritum, profecto dementiam prorsus dicunt.

Quo propius appropinquabat dies matrimonii ineundi cum Petro, eo magis illa laborabat mente. Neque tantum animo depressa videbatur et saepius desperantis instar mortem sibi adprecabatur, nemine ei molestiam creante, teste Geisbych Catharina. Quibus consonant Nicolaus Meurer et Helisabeth Knauf. Ast quanam in re hi omnes testes ante celebrationem consonant? Profecto in affirmanda Catharinae dementia non saltuaria, sed continua ante dictam celebrationem. Ergo et in ipsa celebratione.

Anteced. patet ex dictis, confirmaturque ex sententia peritorum ut supra audivimus a Doctore Rollin, ex natura alienationis.

Porro haec et eiusmodi dementiae signa certa immediate

ante matrimonium dicunt profecto continuam amentiam etiam tempore et post matrim.; quia natura repentem mutationem non patitur.

Quae phoenomena si continuam dicunt dementiam per dictas hebdomades, haec fuit etiam tempore celebrationis : nam ut habet Mascard, ***de prob, conci. 825:*** «Furiosus semel, semper praesumitur furiosus . . . quia passionis huiusmodi et motus tales praesumuntur perdurare nisi contrarium probetur . . . maxime in passione furoris, quae non consuevit ita facile recedere . . . natura enim non patitur repentem mutationem ». Ita Mascard, iuxta communem ubi etiam addit aliam regulam quod solitum est fieri, semper fieri creditur et quod furiosus praesumitur semper furiosus, quando probatum fuerit aliquem fuisse furiosum per aliquod tempus continuum. Furiosi actus, quem non habuisse dilucida intervalla constat, praesumitur gestus tempore furoris.

Illud addatur quod antea, scil. ipsa consanguinitas et nativitas ex talibus adscendentibus praesertim vitium naturae revelant : dementes autem vitio naturae numquam convalescunt, ut tenet Zacch. ***Quaest, medie, legal. I. 2, tit. 1, q. 26, n. 3,*** adeoque continua laborant dementia, ita ut haec praesumatur omnino tempore celebrati matrimonii iuxta firmata in Rotae ***decis. 2, n. 5 et 12 ;*** et ***decis..5, n. 5, 6,*** post Zachiam ***q. medie, legal.***

Obiic. contra hanc furoris periodum 1) parentes ferme omnes et plures extranei non adverterunt insaniam ante matrim.; 2) imo ipse sponsus non advertit; et insuper est in contradictionibus cum testibus deponentibus de insania, ipsumque dissuadentibus a matrimonio ineundo.

Resp. ***a)*** Extranei vel non respondent de eodem tempore ; vel si negant, nil mirum : ex eo quod hi nolint sese immiscere in reddendo testimonio contra rixosam, maledicam, quali in pago Ruben apparuit semper gens mulieris.

Quod consanguinei interrogati contrarium dixerint, item mirari quis non debet, cum ob sanguinis communionem facile decipiuntur, Audiatur Doctor Maria Brá /. ***c. I. 8,*** inter-

rogatorio : « Prima d' arrivare alla diagnosi il medico deve spesso superare numerose difficoltà. Ora esse provengono dalla famiglia che non sa decidersi a vedere negli atti dell'ammalato l'esistenza dell'alienazione mentale donde una tendenza naturale ad attenuare, a mitigare, a negare anche i disturbi psichici più evidenti, i cambiamenti sopravvenuti nel carattere, le abitudini dell'ammalato, la condotta traviata alla quale egli s' è dato ».

Ad sponsum quod attinet, dico quod Petrus est rudis, simplex et stolidus ut advertit defensor secundae instantiae, quaerens in uxorem, mulierem a qua solutionem suorum debitorum sperabat; facilius erat ipsi negatio, quam affirmatio, ne reprehenderé tur, cur processerit ad matrimonium cum muliere, quam prius agnoverit esse fatuam. Hinc petenda quoque est ratio negandi, quod scil. testium nullus sibi abstinendum a tali matrimonio celebrando suaserit. At non negat, sed sub iuramento affirmat se vidisse signa amentiae ipso tempore celebrationis idque confessario manifestasse. Tandem rudes et rusticano in pago quotquot vivunt, putant quem amentem esse solum si omnino se furentem cum strepitu praebeat, et difficile percipiunt amentes qui videri possunt sani, cum stupidi quiescunt. Non semper enim per eadem signa sese extrinsecus prodit insania, quae praesertim congenita sit, et animo ordinarie delitescit.

Iurat orator quod tempore cohabitationis matrimonii advertit dementiam.

Posset afferri testimonium clerici seu sacristani, quem vocant, quique omnia vidit tempore celebrationis atque Catharinam putavit esse dementem. Ast praecipuus testis et quidem solemnis praeteriri non debet, M. Dunkel sacellanus, qui ritum nuptialem peregit, viditque dementiae signa.

Unde tempore ritus nuptialis demens prorsus dicenda est Catharina H. Confirmat quoque hanc dementiae periodum Doctor Nöel post accuratum examen. Ergo eodem dementiae morbo laborabat die 23 Martii eiusdem an. 1886,

quo coram parocho et duobus testibus in facie Ecclesiae matrimonium est attentatum.

Agnoscunt dicti periti continuam amentiam, quae extrinsecus sese pandit iam a tribus vel quatuor hebdomadis ante.

Addatur et illud quod causa vel occasio furoris magnam partem sit ipsum opus et res matrimonialis, uti post initas nuptias ostendit, impúdicas partes coram omnibus denudando, furenter quaerendo prolis procreationem. Agitur autem de muliere virosa, vehementer cupida reperiendi maritum : quae postquam reperit, duabus dumtaxat publicationibus peractis, tertiam non expectat et cum sponso praesertim noctu incipit cohabitare : quid mirum si 18 Martii in magis manifesta proruperit signa dementiae ? Amoris passio et praesertim rerum obscoenarum cupido generatim mulieres furore quodam afficit ; quid erit si mulier est admodum virosa, iam a natura habens vitium latens furoris ? Unde eo momento sive ad civilem sive ad SS. Nuptiarum ritum accedebat, maiore furore correpta dicenda est, potius quam lucidum seu furore vacuum habere intervallum.

Unde ***ad obiect.*** Quidquid sit de allatis rationibus debet probari Catharinam tempore ritus sacri lucido caruisse intervallo. ***Resp.*** Natura furoris agniti a peritis et probata pro 1. et 3. periodo per se excludit lucidum intervallum. Ergo a fortiori excludunt illud argumenta prolata pro tempore celebrationis. Cf. Doctor D'Anguessau penes Merlin, repert. di giurisprud. V. Demenza § 1. Atqui in casu nulla contraria qualitas probata est : imo tempore celebrationis manifesta signa sunt alienatae mentis. Idque magis dicendum de muliere, quae ex vitio naturae laborat amentia seu continua ; uti agnovere periti DD. magna praediti experientia.

Saeculare et Ecclesiasticum tribunal in 2. Inst. agnoscit veram dementiam in Catharina tempore coniugii ; unde saecularis devenerit ad civile divortium plenum declarandum, et ecclesiasticus iudex appellationis nullum prorsus matrimonium esse censuerit.

Neque obstat Curia episcopalis Trevirensis sua contraria pro validitate sententia inquiens: « ***Licet,plura suadeant Catharinam tum haereditariam habuisse dispositionem amentiae, tum saepius re vera se mente captam exhibuisse,*** tamen in celebratione matrimonii amentiam non fuisse cum exclusione omnis dubii prudentis probatam ». Nam ipsa agnoscit hereditariam dispositionem seu ex vitio naturae et quidem saepe saepius in amentiam prorupisse : porro iuxta peritos et DD. amentiam ex vitio naturae praesumendam esse continuam, ***nisi*** aliquod lucidum intervallum intercessisse ***probetur.*** Ergo contra Curiam Trevirensem concludendum esse ad exclusionem omnis dubii prudentis : Quando enim praecessisse furorem, probatum est, praesumitur semper furiosus, etsi habuerit lucida intervalla, nisi actus ipse, quo de agitur, ita fuerit gestus, ut ex eo nullum stultitiae signum colligi possit: atqui immediate ante, die et actu celebrationis matrimonii plura stultitiae signa dedisse Catharinam, supra probatum est. ***Cf. Masc. I. c. n. 10 et 13.*** Imo ***Abb. in C. Sicut tenor n. 3, de Regul.*** et plures alii tradunt furiosum non praesumi sanae mentis, quamvis recte faciat, veluti si monasterium ingrediatur, aut tamquam sapiens testetur, veluti si piam causam haeredem instituat : quia, dicunt, si actus gesti dispositio, ut testamenti, recta sit, rationique consentanea, illa tamen fortuito facta videtur, nec a sano gerentis actum iudicio dimanare existimatur, ut in testamento requiri respondit I. C. in ***I. Iff. de testam. et sanxit Imper. Instit. § Praeterea eod.***

Ex dictis iam facilis est resp. ad obiecta a S. Vinculi defensore in IL Inst.

I. Distinguendam esse, ait, veram insaniam, si quis sc. insaniat circa omnia, a dementia quae versatur circa unam rem tantum vel alteram, atque ab amentia temporanea : hac non illa laborabat Catharina ante tempus celebrationis. ***Resp.*** Hanc distinctionem praesertim in Catharina non esse admittendam : quia quaedam faciliora et communia vitae officia ex habitu et consuetudine perflciebat : neque eiusmodi

amentes solent advertere ad, actum, unde consequuntur mala: homo non praesumitur, uti modo dicebamus, sanae mentis si plura iam insaniae signa dedit, sicut contingit in Catharina ante actum celebrationis : cuius probata est insania continua etiam ante 18 Martii 1886 : ergo semper praesumitur amens. Neque DD. et periti distinguunt praesertim in casu particularem a generali dementia seu furore. Si qua semper fixa idea perturbata in mente est ***fissazione*** diceretur italice et non ***pazzia.***

Homo quilibet in iure praesumitur sanae mentis. ***Resp.*** praesumitur sanae mentis cum antecedenter semper fuerit sanae mentis : et in dubio erit quod natura praesumit : secus, quando plurima signa amentiae certissima sunt antecedenter ad actum, imo in ipso actu.

Negat haereditariam esse dementiam Catharinae. ***Resp.*** Et id perperam negatur contra rei veritatem, cum soror eius in domo mente captorum plures egerit menses, frater sibi ipsi mortem consciscere sit conatus, et quod caput est, eius avia insana prorsus et incurabilis effecta sit.

De facto non dedit signa insaniae nr pago nativitatis ubi 35 annos vixit, et huius integri temporis testes omnes interrogati, qui haud pauci sunt, deponunt se non advertisse Catharinam fuisse dementem : ad summum eam dicunt virosam, rixosam, melancholia affectam. Aliud est deponere se non advertisse, aliud est affirmare talem non esse amentem : dicunt enim ***non audivi, non adverti:*** difficultas, quoniam versatur circa ann. 1885, canit extra chorum : quaestio enim nostra est de insania et amentia, quam ostendit circa an. 1886, et praesertim a die 18 Martii deinceps eiusdem anni. Insuper ex his testibus plures sunt parentes; alii non adverterunt, quia nullatenus cum huiusmodi gente volebant.

Ad id quod ***dicitur fuisse semper virosa,*** profecto amentiam insinuât : et facile quis sibi hoc persuadebit qui speciminis gratia nosocomium Kloster-Hofen visitare ausit : profecto magnam partem mulierum istarum prorsus amentem esse reperiet. Cf. Advoc. 2. Inst.

V. « Omnis assertio peritorum praesertim innititur duorum vel trium testium incertorum depositione ». ***Resp.*** 1) Testes adhibiti praesertim pro dementia probanda, quae fuit tempore saltem unius mensis circiter ante matrim, et tempore celebrationis matrimonii sunt omni exceptione maiores. Plures et melioris notae testes non potuerunt interrogari, quia post longum tempus iam mortui ; illi igitur qui supervivunt, et coutebantur cum eiusmodi gente, interrogati sunt et sufficiunt : nec per se requiritur his in adiunctis[1] testimonium septimae manus. Praeterea Doctor Noël et alii non innituntur tantum testimonio, quod per se sufficiens esset, ad dementiam probandam tempore ritus ; sed ex iis, quae immediate ante et post matrimonium obvenisse testati sunt, atque ex natura seu indole dementiae manifestae, haereditariae et insanabilis qua iam a 1. die celebrationis civilis matr. correpta apparuit Catharina, certitudine morali ad asserendam amentiam tempore matrimonii iure merito devenerunt.

Quaest. An Catharina tali dementia laborans valide contraxerit matrim. ?

Resp. Negative atque adeo iure merito Metropolitana Colonien. Curia constare de nullitate dicti matrimonii ex defectu consensus declaravit, ac inflrmandam esse Curiae episcop. Trevirens. sententiam decrevit.

Nam ***I) c. Dilectus 24 de sponsal.*** et alibi iura exigunt furiosos separandos utpote inter quos propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus. Atqui furiosa et quidem chronica probata est Catharina tum ante tum tempore matrim.

2) Insuper non est praetereundus contemptus maximus in maritum Stein vocando ipsum publice ***sozzone,*** eique vim faciendo ferreo batillo et huiusmodi iam a 1. die nuptiarum, denudando se impudice coram omnibus, atque cum aliis viris concubi tum desiderando quae vel fatuam prorsus ostendunt, vel contrariam substantiae matrimonii quod est bonum fidei et sacramenti ; adeoque verum matrimonialem consensum excludunt.

3) Iura et DD. omnes ideo dicunt quod amentes et furiosi nequeant valide contrahere matrimonium, quia deficit ***plenus et deliberatus consensus*** cit. c. ***Dilectus.*** Sánchez, ***I. 1, de matrim. D. 8, n. n. 15.*** Schmalz, ***in tit. de sponsal. n. 14; c.*** Cum locum ***14 de sponsal.*** matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur ***plena debet securitate ille gaudere*** cuius est animus indagandus. Ad consensum proinde patet non sufficere quodcumque voluntarium ac liberum, sed ***requiri omnimodum liberum*** sine ulla involuntarii admixtione. Ast eiusmodi voluntarium ac liberum non reperiebatur profecto in amente Catharina, praesertim cum in matrimonio maior cognitio et libertas requiratur. Duplex porro consensus in matrimonio intervenire debet, alter ex parte contractus quoad obligationem, alter quoad essentiam ex parte contrahentis. Ex parte contractus consensus debet intercedere circa tria bona sacramenti. Atqui huiusmodi consensus ne cogitari quidem potest in Catharina amente extitisse die 23 Martii 1886. Si mulieres rudes, ex rudibus parentibus ortae, inter rusticanos viventes reperiantur ignarae circa matrimonii obligationes, effectus, vinculum ipsum, quid si qua laborent amentia, aut simpliciter amentes ?

Hae facillime circa dicta omnia non modo inadvertentia, sed errore et ignorantia laborabunt, « ***quae,*** ut ait S. Thom. ***1, 2, q. 6, a. 8, privat cognitione, quaepraeexigitur ad voluntarium : sicut cum aliquis ignorat*** aliquam circumstantiam actus, et ex hoc aliquid agit, quod non faceret si sciret ».

4) Consonat, ***Ius roman. L. 20 ff. de Reg. Iur.***

Ex DD. IC. sufficit allegasse Donell. ***in I. XII, c 22, n. 8.*** « Animus voluntatis expers est in furiosis... Furiosi quidem mentecapti nullum iudicium, nullam adeo in negotiis gerendis voluntatem esse constat... De Furioso traditum ***in L. Furiosi de reg. Iur., L. 1, § ult., ff. de oblig. et act...*** Et quod de furioso dicitur etiam de mente capto dictum intelligendum est, etsi furore non corripiatur. Cum

quod furioso in rebus gerendis denegatur, non alia de causa denegatur, quam quod mente careat. Ergo hi quid gerendo non obligantur, quia his nihil intelligentibus deest voluntas, proinde et consensus. Nullus autem contractus sine consensu ».

5) Huic conclusioni adstipulatur utriusque Tribunalis saecularis et ecclesiastici sententia : ***saecularis*** quod profecto omnibus discussis testibus et peritorum iudicio accepto de facto amentiae continuae et simultaneae in civili matrimonio ineundo ; ecclesiastici i. e. Curiae Metropolitanae Colonien, in appellatione, quae sententiam Trevirensem cassa vit, omnibus rite perpensis ac peractis pro nullitate matrimonii praesentis indicavit, innixa praesertim rationibus « quod 1) Testes singulares sufficiunt ad probandum furorem : 2) ad contrahendum matrimonium talis mentis dispositio saltem requiritur, qualis necessaria est ad conficiendum testamentum : quod 3) voluntarium necessarium maxime ad matrimonium includit capacitatem deliberandi non qualemcumque, sed talem quae pondérât actum in se eiusque effectus ex una parte, et ex altera parte omissionem actus, omissionisque effectus : quod 4) in dubio an actus in casu diuturni furoris fuerit factus an non, standum est pro actu in furore facto, ideoque invalido. ***{Vide*** Sánchez) ».

Ex dictis contra s. vinculi defensorem sequitur : quod probare debeant fuisse sanae mentis dictam Catharinam tempore celebrationis matrimonii qui huius asserunt validitatem ; contra hos enim stat vehementissima praesumptio, ut minimum dicam, iuris sufficiens ad iudicandam pro nullitate actus: Cf. Card. De Luca, ***de Testam., disc. 38:*** quod necquidquam contra efficit ***can. nec furiosus 26, C. 32, q. T,*** ubi in fine habetur « ***furiosos si matrimonium contraxerint, non separandos,*** conseq. videtur supponi matrimonium ab his contractum valere, cum invalide contrahentes indubitato sint separandi ». Nam haec verba intelligenda sunt de furiosis, qui matrimonium inierunt, dum essent sanae mentis ; cum enim sic contracti vinculum non dis-

solvat» furor et amentia superveniens, hinc Fabianus Papa .merito vetuit eos propterea separari. Fundamentum sic explicandi hunc textum praebet principium istius canonis, ubi diserte asseritur « neque furiosum, neque furiosam matrimonium contrahere posse, quod, ut ibi Glossa ait, ***non possint consentire ».***

Quod dato etiam et non concesso manere aliquod dubium, nequit in casu provocari ad axioma « ***cum matrimonium sit res favorabilis standum est pro valore actus:*** quia eiusmodi axioma suas habet penes DD. exceptiones seu limitationes. Mitto deceptiones illusiones etc. si quae interveniant et huiusmodi dubium reddentes matrimonium ; venio ad l^{am}. quam recenset Ursaya, ***discept, eccl. tom. 3, discept. 1,*** § ***6,*** quando scil. matrimonium non est plene probatum et offert ***a)*** coeteros inter, Angelum de Castro qui ait... licet matrimonium sit favorabile, favor matrimonii non est talis et tantus ut pro eo iudicandum sit, si non sit probatum: ***quia pro eo non est iudicandum etiamsi sit semipiene probatum,*** cum sit de maior, causis... » Ipsi iudices l^{ae}. inst. asserunt adfuisse ante et tempore matr. dementiae signa, licet non omne prudens, aiunt, excludebatur dubium pro actu copulationis. Atqui nullum ipsis dubium prudens foret, si consensus esset plene ac sufficienter iam probatus. Ergo non est standum pro valore matr. Cf. animadversiones advoc. Steinmetz in **uteris** appellationis ad Metropolit, curiam p. 6-7, qui iure merito concludit contra factum notoriae amentiae ante et ipsa die copulationis matr. praesumere lucidum intervallum momento ipso copulationis est contra praesumptionem iuris : unde ipsis adversariis incumbit probatio lucidi intervalli. Et Ioann. Ficard ***Consult. 38, n. 19 :*** « Sane si recte rem perpendimus, favor matrimonii non in eo consistit, ut protinus pro matrimonio pronuncietur, et inviti, reluctantes, ut impares saepe coniungantur ***ubi alias legitimus consensus et contractus ipsius matrimonii non est clare et sufficienter probatus,*** nam ex tali violenta coniunctione ***devastatio potius matrimoniorum,***

quod ipsa docet experientia, quam coniugalis concordia et dilectio consequitur. Porro qualis est legitimus consensus in casu, ubi nullatenus probatur quod Catharina elicuerit actum humanum : dico qualis ad tantum negotium exigitur? et quomodo actum humanum emisit, quae tot signa dementiae edit ?

VOTUM CANONISTAE. Praemissis, quae ad facti speciem attinet mei muneris est, ait Canonista, processum sedulo inspicere, et iudicium quoad causae meritum submisse promere.

Attente itaque perlegi longum hunc processum. Et mihi videtur quod acta tum in prima tum in secunda instantia concordent substantialiter ad apicem iuris. Nam cum heic agatur non de inconsummatione, sed de nullitate Matrimonii, causa ab Ordinario loci poterat iure cognosci et dirimi, inconsulta Sacra Concilii Congregatione ; prout revera actum est. Trevirensis itaque Curia ceu forum competens, causam hanc in prima instantia diiudicavit mordicus inhaerendo Constitutioni Benedicti XIV ***Dei miseratione*** et Instructioni S. C. C. Deest quidem in hoc processu examen uxoris a iure tantopere inculcatum ; verum defectus iste in procedura irrepsit, non ex Iudicum culpa, sed morali eiusdem uxoris impotentia. Ceterum huic inevitabili defectui satis suppletum fuit per ingentem numerum testium, qui, si duo excipiantur fratres ipsius uxoris, uti probitate vitae fideique dignitate spectabiles a respectivis Parochis recensentur. Quocirca ex eorum testimonio concordi veritas in negotio hoc tam gravi tamque solutu difficili erui commode potuit. Animadverto insuper quod processus in secunda instantia fuit etiam rite confectus. Nam appellatio ad superiorem Iudicem, ad Metropolitanum scilicet Coloniensem, fuit a Defensore Petri tempore congruo et in fq^má iuridica interposita ; et ipsamet causa ad tramitem iuris discussa et resoluta fuit, ut ex Actis evidenter resultat. Haec quidem quae circa processum obiter attingimus, satis superque sufficiunt.

Nunc de ipsa substantia causae mihi edisserendum incumbit.

Regula iuris est : Sine consensu nequeunt cetera foedus perficere coniugale ***c.*** Tua nos, ***de spons.*** Deficiente itaque mutuo contrahentium libero ac pleno consensu, matrimonium subsistere nequaquam potest. Item, consensus ad matrimonii validitatem requisitus, procedere oportet ab homine, qui sit sui iuris, gaudeatque pleno dominio suorum actuum, seseque ad assensum determinet, post adhibitam sedulam considerationem ac maturum consilium. Vel ut Sánchez ***De matr. lib. 1, disp. 8, 5,*** aliique opinantur Doctores, in matrimoniali consensu, illa requiritur mentis consideratio et advertentia, nec non voluntatis deliberatio, quae necessaria est ad conficiendum testamentum et ad mortaliter peccandum.

Quo posito principio, quaeritur : furiosus est ne capax rationalis et omnino liberi consensus ? Iuris periti, quibus Theologi omnes adstipulantur, mira consensione respondent, negative. Quia, ut scite docet D. Thomas ***4 Dist. 34, q. 1, a. 4,*** non potest esse consensus ubi deest rationis usus, cuius furiosus certe expers est. Hinc Decretalium ***lib. 4, De spon. et matr. c.*** Dilectus, statuitur «____Cum autem eadem mulier cum ipso viro qui continuo furore laborat morari non possit, et **propter** alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus, mandamus, quatenus si rem noveris ita esse, praefatas personas cures ab invicem separari. Glossa merito notat. Quandoque tamen furiosus per dilucida intervalla redit ad sanam mentem, et tunc si contrahat, tenet ». Validum itaque erit matrimonium a furioso contractum, dummodo certo constet, quod in casu dilucidi intervalli eidem assensum praebuerit. Verum, certitudo huius dilucidi intervalli raro habetur difficiliusquë dignoscitur. Etenim : « saepe, ait eadem Glossa, furiosi sunt constituti in conspectu umbratae quietis, nec tamen sunt mentis sanae, licet videantur ; et si tunc mulier ista cum eo contraxit, non tenuit matrimonium, et si hoc probaverit separabuntur ». Idcirco recte animadvertunt Sánchez ***lib. 1, De spons.***

disp. 8, num. 17 ; et Barbosa ***Coll. doct. in lib. 4, decret, c.*** Dilectus ***26, num. 5,*** quod si furiosus habeat dilucida intervalla et dubitatur an actus ab ipso gestus tempore furoris vel lucidi intervalli, in dubio praesumitur gestus tempore furoris. Et ratio est, quia cum furoris morbus suapte natura perpetuus, insanabilis et desperatus sit, praesumitur durare omni tempore, et illa dilucida intervalla, quia sunt per accidens, minime praesumuntur. Limita tamen, addunt, nisi ex actus qualitate qui ita bene gestus est, ut ostendat non factum esse a demente praesumatur gestum tempore sanae mentis. ***Cf.*** Menoch. ***De Praesumpt. lib. 4, Praesumptio 45, n. 63.***

Rursus notandum est cum communi Doctorum, quod matrimonium ab initio nullum propter compartis furorem, potest ratihaberi et validum reddi, per novum consensum ab eadem comparte ad sanam mentem reversa denuo praestitum, dummodo tamen perduret alterius compartis consensus.

Quibus positis principiis inquirendum superest, utrum doctrina haec ad facti speciem praesentem apte quadret. Aliis verbis, videndum est, num Catharina tum ante, tum in ipsa celebratione matrimonii insaniverit, ita ut nullitas ipsius matrimonii ex defectu consensus iure concludi possit. In hoc, ut per se patet, cardo quaestionis vertitur. Ad quod facilius dignoscendum, sequentia sunt diligenter investiganda ac solvenda. 1. Qualis fuerit status mentis totius familiae Catharinae. 2. Distinguenda sunt diversa momenta in vita Catharinae, ut verus status mentis eiusdem clarius innotescat : videlicet considerandum est.

a) tempus quod interfluxit ab eius usu rationis ad medietatem anni qui praecessit matrimonium.

b) sex menses ante matrimonium.

c) momentum ipsum celebrationis matrimonii.

Hoc modo, ni fallor, status quaestionis clarius statuitur, apparenter oppositae testium depositiones concitantur, et veritas in re hac tam obscura evidentius patescit.

Ceu factum omnimoda certitudine praeditum habendum

•esse censeo, Catharinam ex familia furoris morbo infecta ortam fuisse. Etenim eius Avia 70 circiter aetatis suae anno dementia correpta est. Iacobus Catharinae frater natu maior laqueo se suspendere tentavit, nec hac ab suicidii mania et animi levitate postmodum prorsus liber evasit. Ioannes alter Catharinae Frater octogenariam matrem adortus est, eamque inhumane crudeliterque verberavit. Margarita soror eiusdem propter libidinem in notoriam insaniam abrepta est, et per tres menses in mentecaptorum Nosocomio moram gessit ; ex qua infirmitate licet convaluerit, hebes "tamen remansit. Omnia demum familiae Catharinae membra, unanimi testium suffragio uti rixosa et fatua recensentur. Haec facta a septem testibus de visu sub iuramenti sanctitate asserta, luce meridiana clarius demonstrant, ingenii levitatem mentisque perturbationem ab Avia ad praesentia membra familiae manasse. Haud me latet haec facta aliter explicari a Defensore vinculi in secunda instantia. Inquit enim, haec omnia non furorem redolere, sed potius nequitiam et ingenium ad rixas et venerem proclive. Verum, haec animadversio, esto improbabilis non sit sed ingeniosa, facta tamen narrata neque infirmât nec vero destruit. Equi^ dem sit ita, ut cl. Defensor dicit, quod scilicet familia, vel, si mavult quisquam, Catharina Hieronymus habeat ingenium ad rixas' et ad venerem proclive, habeat quoque naturalem nequitiam... Sit ita: quid inde? Ergo Catharina non est furore maniaco detenta ? Non sequitur illatio, quoniam est Psychiatriae Peritorum sententia, quod signa et non raro oausae amentiae, sunt tam venus quam ira. Unde satis probabiliter conficitur Catharinam eiusque sororem et fratres, prolapsos esse in amentiam ex irae et luxuriae cultu. Quidquid igitur apponat Rmus vinculi Defensor, iure mihi videtur sustinendum haereditarium fuisse in familia Catharinae furorem maniacum. Eo vel magis, quia huic sententiae evidenter favent medici, ipsemet Sacri vinculi defensor in prima instantia, et iudices primae instantiae eiusdem.

Infelix Catharina prae ceteris nativum hunc insaniae

morbum persensit, quo etsi quum domo paterna immoraretur non fuerit exâgitata, attamen, sensim sine sensu in illum cieri videbatur. Etenim testes omnes qui vel ab infantia tenerrima ipsam agnoverunt, quamvis amentiae indicia in ipsa numquam animad verterint ; nihilo secius uno ore fatentur eamdem fuisse rixosam, maledicam', mendacem, virosam, inhonesteque nugacem. Dubium itaque esse non potest de Catharinae singulari propensione ad maniacum furorem. Nullus enim notas illas tam probrosas, quas testes Catharinae imponunt, auderet inurere mulier suae mentis perfecte compoti. Accedit, quod Medici qui Psychiatriae studio se devovent, unanimiter affirmant, quod in quavis forma mentalis alienationis, praesertim quando haereditaria est, germen morbosum quod intus latet, pedetentim evolvitur. Atque ex iudicio eorumdem in arte Psychiatriae Peritorum tamquam germen furoris maniaci numerantur phaenomena illa, quae in Catharina testes unanimiter suspexerunt ab eius infantia. (Cf. Secondo Laura ***Medicina legale.*** Paranologia). Unde optimo iure in casu nostro defenditur, quod Catharina licet ab annis discretionis usque ad sex circiter menses ante matrimonium non desipuerit, praetulit tamen singulare quoddam animi ingenium quod dispositio fuit furoris.

Sane, intra hoc temporis spatium in vita Catharinae Hieronymus notatur series quaedam rerum ab ipsa gestarum, quae explicari nequaquam possunt, nisi admissa ipsius insania. Eiusmodi fuere :

1) Illae turpissimae cantilenae, quas procaciter Catharina cantabat, quum anno 1885 autumni tempore comitante Patre inviserat Matthiam Scheuven quocum sponsalia iamdudum iniverat. Optime quidem scio id evidenter haud furorem ostendere, secus ut animadvertit sacri vinculi Defensor in prima instantia « mundus plenus esset mentecaptorum et mentecaptarum ». Rursus cum Defensore secundae instantiae non arbitror impossibile (quamvis de hoc sileant testes, immo declarant Catharinam ebrietati minime deditam

fuisse) quod studium magis placendi sponso suo vel copiosiores meri haustus, sive denique ipsamet bacchanalia festa quae tunc agebantur, animum Catharinae plus aequo extulerint, eamque ad sic agendum pellexerint. Ceterum hoc etiam dato, semper mirum inusitatumque est, quod puella in aliena domo consistens, coram Patre, Sponso, ceterisque tam obscoene cantet. Hoc ut quisque per se videt, non suetam tantum iuvenilem levitatem ac licentiam sapit, verum etiam animum prodit, qui et sensum moralem et iudicii serenitatem amisit.

Quatuor testes omnimode fide digni narrant : quod anno 1885 Catharina licet perfecta valetudine polieret, morientium nihilominus sacramentis muniri instantissime postulavit. Porro cuique vel leviter consideranti factum istud cum omnibus circumstantiis relatis a Parocho Lamberto Hack, qui ipsam invisit ut eidem sacramenta tam pertinaciter petita ministraret, (quas brevitatis gratia praetereo), illico apparet hic agi de vero furore, quo Catharina ad plures horas exagitata fuit. Age vero testes quos hic doctissimus Defensor congerit, pertinent ad locum nativitatis Catharinae, qui dicunt, non audivi, non animadverti ipsam insanam fuisse. Nemo non videt, argumentum hoc prorsus negativum, evertere nequaquam posse facta superius citata, aliaque infra commemoranda alibi eventa, proindeque ab ipsis testibus penitus ignorata. Testimonium itaque personarum loci nativitatis Catharinae, non recte affertur ad astruendam mentis sanitatem eiusdem pro illo tempore, quo Catharina a patria absens, amanter se gessit.

Immediate ante matrimonium Catharina processum intendit contra Iosephum Wilhelmi, quia turpia, uti affirmabat, in ipsam intentasset. Nunc autem accusatus liber evasit, eo quod Catharina ratione suae mentalis conditionis haud fide digna Iudicibus visa sit.

Testes complures deponunt quod Catharina antequam matrimonio cum Petro copularetur, in eiusdem domo se recepit et cum ipso tribus ferme hebdomadibus individuam vitae consuetudinem egit.

Inspectis his omnibus depositionibus, positaque tum testium veracitate, tum relatarum rerum veritate, dubium de amentia Catharinae subsistere rationabiliter non potest. Tota igitur quaestio huc reducitur, ut sciamus, utrum praedicti testes fidem mereantur, et in suis depositionibus veritati unice studuerint. Hoc demonstrato, dubitare amplius non licet de obiectiva rerum narratarum veritate, qua semel admissa, iure et tuto concluditur : Catharinam illis diebus celebrationem matrimonii immediate praecedentibus, furore mentis abreptam fuisse.

Consultor demonstravit per examen accuratum testes praedictos vera protulisse et attendibilia.

Ex hactenus disputatis, Consultor infertur quod plenam merentur fidem testes Carolus Diederich, Margarita Diederich, Maria Knauff, Catharina Volten, Anna Bohl, et Elisabeht Knauff, qui sub iuramenti sanctitate unanimiter deponunt, quod Catharina intra tres illas hebdomades, quae matrimonium immediate praecesserunt, saepius furore mentis laboraverit. Hoc ipsum admittitur a Peritis in arte Psychiatriae a Tribunali saeculari, et tandem (quod achules est argumenti) ab ipsis Iudicibus Ecclesiasticis primae instantiae, vel in ipso decreto quo decernunt, non constare de nullitate matrimonii, haec praemittunt. Plura suadent Catharinam Hieronymus, iam ante matrimonium cum Petro initum, saepius revera mente captam se exhibuisse. Quod erat probandum.

Indices primae instantiae, ut-vidimus supra, haec testantur. « Etsi plura suadeant Catharinam Hieronymus iam ante matrimonium cum Petro Stein initum, tum haereditariam habuisse dispositionem amentiae, tum saepius revera mente captam se exhibuisse, tamen, nec furorem continuum ante matrimonium, nec amentiam in actu celebrationis matrimonii adfuisse cum exclusione omnis dubii prudentis probatum est. Hinc unanimi Iudicum consensu decernitur : non constare de nullitate matrimonii ».

Circa hanc sententiam, salva reverentia Illmis ac Rmis

Iudicibus debita, hoc unum animadverso, quod ipsa visa sit illogica Rmis Dñis Parocho, Doctoribus, defensoribus Petri, nec non relatori huius causae in secunda instantia Doctori scilicet Stiefelfegen Vicario Capitulari Cathedralis Coloniensis , quique strenue defendunt « Catharinam amentem fuisse in actu celebrationis matrimonii ». Ne longior sim praetereo horum virorum sapientes animadversiones, et ad id quod caput est et cardo quaestionis me dedo ; ad demonstrandum scilicet quod Catharina amens fuit in actu ineundi matrimonii, idque probaturum confido, usque ad exclusionem cuiusque dubii prudentis.

In primis penitus non abnuo, quod ante matrimonium furor Catharinae non fuerit continuus, quemadmodum recte opinantur Iudices primae instantiae. Sed hoc etiam ultro admisso, sequiturne, quod Catharina tempore quod matrimonium praecessit, non fuerit amens? Minime gentium. Comperta enim res est, quod in mentecaptorum Nosocomiis, saepe reperiuntur qui non continuo insaniunt, immo aliquoties quoad aliqua recte ratiocinantur sagaciusque, quam sanae mentis perfecte compotes : nec tamen communi hominum opinione et Peritorum iudicio, hi sanae mentis aestimantur. Id ipsum, ut in praenotamine vidimus, a Glossa admittitur, cuius verba praestat hic iterum repetere. « Dementes, ait, aliquando sunt constituti in conspectu umbratae quietis, nec tamen sunt mentis sanae, licet videantur ». Ex hoc igitur quod Catharina ante matrimonium, ut Iudicibus arridet, continuum furorem non habuerit, minime sequitur ipsam tunc sanae mentis fuisse, quando nuptias contraxit in facie Ecclesiae.

Superest tamen ut directe et intimius scrutemur, utrum Catharina in actu contrahendi matrimonium furiosa extiterit. Eam ergo in amentiae statu tunc extitisse, ego firmissime teneo, sequentibus motus testium depositionibus.

Et primo Catharinae amentiam suadent delira opera quae gessit in circumponendo proprio capiti nuptiale sertum in die solemni celebrationis matrimonii.

Habemus quinque testes, inter quos Rmus Dnus Parochus Michael Dunkel, qui matrimonium Hieronymus-Stein benedixit, quinque iure merito habendus est tamquam testis omni exceptione maior. Et hi quidem non ex aliorum relatu, sed personali experientia fulti unanimiter fatentur sibi visum esse, Catharinam in ipso actu celebrationis matrimonii, insania mentis laborare.

Tria adhuc supersunt argumenta invictissima, quae insaniam Catharinae tempore nuptiarum certissimo statuunt.

1. Est votum iuratum duorum in arte Psychiatriae Peritorum, qui adhibito diligenti examine super depositiones testium, ac sedulo ponderata natura morbi quo Catharina infecta erat, concludunt, ipsam amentem fuisse in actu copulationis matrimonii civilis ; quod quidem iudicium extendendum est ad illud etiam tempus, quo matrimonium religiosum peractum est, ut ex contextu manifeste colligitur.

Horum Medicorum vota Cl. Defensores vinculi matrimonialis parvifaciunt, ac reiicienda esse arbitrantur triplici de causa, quas hic summatim exhibeo : 1. est quia Medicorum_ indicium innititur testibus insaniam Catharinae deponentibus, quorum tamen testimonium ipsis Defensoribus satis idoneum non videtur; 2. quia Medici supponunt quod qui semel dedit certa signa amentiae, numquam esse mentis compotem ; 3. quia omittunt probare Catharinam circa matrimonium insaniisse.

Ultro libenterque concedo quod fundamentum quo Medicorum vota innituntur, sit testium testimonium ; at vero quia horum veracitas in tuto iam posita est, sequitur quod Medicorum opinio super stabile fundamentum locata manet. Quod ad alteram rationem attinet, animadverto quod Peritorum deductiones, non imaginariae suppositioni, sed scrupulosae accurataeque observationi innituntur. Ex indole enim et natura morbi qui chronicus et insanabilis est, recte concludunt iugem Catharinae insaniam, ac in actu celebrationis matrimonii mentis compotem non fuisse. Quoad tertiam vero rationem utique conceditur quod Medici directe non probant

Catharinam insaniisse circa matrimonium. Verum attenta qualitate et pondere morbi, id supervacaneum omnino erat. Stant ergo in toto suo robore vota iurata Peritorum in arte Psychiatri, quae idcirco authenticum itidemque certum suppeditant argumentum pro amentia Catharinae in actu nuptiarum stabilienda.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Petrus adversus matrimonium dimicare coepit, contendens Catharinam ad amentiam reductam antequam connubium miretur. Et cum a laico magistratu die 14 Iulii 1896 sententiam obtinuisset, qua cassabatur civile vinculum, postea ecclesiasticum Augustae Trevirorum adiit tribunal ; sed malis prorsus avibus. Etenim reverendissima trevirensis curia, controversia mature ventilata, iudicium absolvit sententia: « Non constare de nullitate matrimonii ».

Haud me latet metropolitanam Coloniae curiam ad quam Petri patronus provocavit, decrevisse : ***1. Sententiam primae instantiae non esse sustinendam. 2. Attento cap. 24, X, 4, 1, matrimonium inter Petrum Stein et Catharinam Hieronymus nullum esse.***

Coloniensis iudicis sententia arridet lectissimis consultoribus, theologo et canonistae : sed haud levia praesto sunt argumenta in contrarium. Et quoniam coloniensis iudex provocat ad ***cap. 24, de sponsal. et matrim.,*** sinite Patres Amplissmi, ut fidelibus EE. V V. oculis pauca supponant, quae ad. rem habentur in iure.

Profecto ***caus. 32, q. 7, can. 25*** cavetur : « Hi, qui matrimonium sani contraxerint ; et uni ex duobus amentia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit ; ob infirmitatem coniugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his, qui ab adversariis excaecantur, aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint ».

Hanc doctrinam ita contrahit Fabianus papa in ***cit. caus. 32, q. 7, can. 26 ;*** (ibi) « Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt : sed si contractum fuerit, non separentur ».

Succedit ***cap. 24, lib. 3, de sponsalib. et matr.*** (ibi) : « Dilectus filius R. proposuit quod filiam suam cuidam matrimonialiter copulavit : et infra. Cum autem eadem mulier cum ipso viro, qui continuo furore laborat morari non possit, et propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus ; mandamus, quatenus si rem noveris ita esse, praefatas personas cures abinvicem separare ».

Quocirca iure optimo merito Barbos, ***collect, doctor, in cit. cap. 24, de sponsal. et matr. n. i,*** docet : « Furiosus si aliquis perpetuo fuerit non potest contrahere matrimonium, quia non potest esse consensus. Colligunt DD. intelligentes supradictam conclusionem quando furiosus vel • mente captus rationis usu omnino destitutus perpetuo furore laboraret ».

Illa vero conclusio « ***semel furiosus, semper furiosus praesumitur*** » qua tantopere delician tur contradictores eximii, non in momentanea ac ad breve tempus, sed solummodo in continua et satis diuturna dementia obtinet : ceu docet Mascard, ***de probat, conclus. 825,*** ubi varias exponit doctorum sententias easque subinde componit : (ibi) « Ab istorum tamen sententia diversi fuere quamplures, quos superiori opinioni (furiosus semel semper furiosus praesumi) diximus favere ; inter quos primas tenet Alex, inquiens, quod si probatur aliquem tali die fuisse furiosum, non ideo praesumi tempore actus, de quo quaeritur, talem fuisse. Id corroborat ratione, nempe quia praesumptio furoris statui originali repugnat. Verumtamen Alex, et eius opinionis asseclae in priori sententia (furiosum semel semper furiosum praesumi) manebunt, si dicimus hanc eorum posteriorem (quod si probatur aliquem tali die fuisse furiosum non ideo praesumi tempore actus, de quo quaeritur, talem fuisse) locum habere, si furiosus in furore non diu manserit : nam cum aliquo casu illud contingere potuerit, non praesumitur in posterum furiosus ; etenim qui furiosus fuit aliquo temporis momento, vel aliquot diebus non ideo praesumitur succedente tempore fuisse furiosus, secundum Bart . . . Altera

vero sententia (furiosum semel semper furiosum praesumi) locum sibi vindicabit, quando probatum fuerit aliquem furiosum fuisse per aliquod tempus continuum, veluti per mensem vel annum et successivus probatus fuerit furor : nam isto casu semper furiosus praesumitur ».

Concinit Zacchias ***quaest, med. legal, lib. 2, tit. 1, q. 23, n. 6:*** (ibi). « Non potest ea conclusio (furiosum semel semper furiosum. praesumi) locum habere in dementiis ***momentanes,*** aut quae non longo tempore durare solent, et vide circa hanc regulam allata a Mascard. ***(loc. cit.),*** nam ut ea conclusio verificetur, necessarium est probare aliquem fuisse furiosum per aliquod tempus successivum, et per mensem aut annum ».

Adesdum : parochus Lambert Hancht aliique quamplures testes in iudicio vocati referunt, numquam vidisse Catharinam signa dementiae praebere.

Hinc, nisi me ipse fallo, ad matrimonium in controversiam adductum quadrat canon 25, ***caus. 32, q. 7*** (ibi) : « Hi qui matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit ; ob hanc infirmitatem coniugia talium solvi non possunt » : necnon canon 26 ***loc. cit.*** (ibi) : « Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt : sed si contractum fuerit, non separantur ».

Immerito egregii consultores ex nonnullis stultitiis, Catharinae attributis per aliquos testes, a Petro inductos, arguunt, eam ante matrimonii celebrationem in insaniam incidisse; praeprimis enim non omnes, qui stulta agunt, de mentis sanitate disiecti sunt : et si una alterave vice patrata absurditas sufficit ***(Zacchias quaest, medie, legal, lib. 2, tit. 1, q. 4, n. 12) ad insanos homines effingendos, de nobis acta iam res est.*** Volitat per ora hominum illud : « ***Video meliora proboque deteriora sequor ».***

Memoratus Zacchias in hac re facile princeps demonstrans ***in quacunque dementia rationein vel per se, vel simul cum aliis*** (facultatibus rationi inservientibus) ***laesam esse, neque***

absque eius laesione posse hominem insanum fieri, in haec erumpit ***(loc. cit. n. 5 et seqq.).*** « Si quisquam sit, in quo salva ratione et memoria, aut ratione tantum, sola immaginatio laesa appareat, hic nonnisi maxima iniuria inter insanos commemorabitur, neque absque summa iustitiae offensa a civilibus actibus celebrandis ob eam causam prohibeatur, ut ab administratione bonorum suorum, a testimonio dicendo a matrimonio contrahendo, imo et a tutelis administrandis, imo etiam a promotione ad sacra, et ab aliis quibuscumque ; quae ne temere et audacter prolata quisquam existimet, evidentissimis iam ac demonstrationum vim habentibus argumentis ita esse paratus sum ostendere.

« Ac ***primo,*** cum immaginatio ex omnium medicorum consensu non laedatur solummodo in nonnullis dementiae speciebus, sed in aliis etiam quibuscumque morbis, qui neque inter dementias connumerantur, neque connumerandi sunt, iam patet quod nulla alia ratio assignari potest, cur duo aegrotantes, ambo male imaginantes, non ambo tamen insanire dicantur ; sed alter insanire quidem, alter vero ***simpliciter male imaginari:*** nam vertiginosis omnia in gyrum verti videntur, cum tamen immota maneant ; suffusis multa sibi ob oculos versari, cum tamen nihil illis obiiciatur ; ictericis omnia luteo colore infecta apparent, cum omnia tamen suo naturali colore donentur. In his ergo laesam esse imaginationem, et ex se constat et omnes fatentur. . . . tamen neque vertiginosi, neque suffusi neque icterici inter insanos a quoquam connumerantur, aut unquam pro insanis connumerati sunt, quod minus esse deberet, si laesa tantum imaginatione homo in sanus evaderet...»

Deinde non omnia quae testes a Petro producti, iureiurando affirmant, sunt veritati consona.

Praeterea, cruciatus, quibus vir uxorem vexavit, comperta sunt ex depositione testium quamplurimorum.

Factum istud dissidiorum et cruciatuum, quod Catharinam ad amentiam perduxit, maximo in pretio habendum est, quia si matrimonii celebrationem dissidia et cruciatus

subsecuti sunt, nec amentia celebrationem praecessit matrimonii.

Silentio praetereo quae huiusmodi testes décantant pertentantes suadere Catharinam amentia flagrasse momento celebrationis matrimonii, quia alii testes contrarium autumant, nihilque vidisse asserunt.

Immerito autem egregius consultor obiicit in conflictu testium magis iis credi qui de insana^ quam eis qui de sana mente deponunt. Contrarium namque obtinet. Ad rem Mascard, ***de probat, conci. 827, n. 11 et seqq.*** (ibi) : « Quod si forte testes, alii Titium furore, alii suae mentis esse compotem deposuerint, tum maior est fides adhibenda his pro sana, quam illis de furore deponentibus, ut auctor est.Iar..* Nec abs re id ab istis I. C. traditum est, nam testes deponentes de sana mente, deponunt de qualitate, quae naturaliter cuicumque insit et cum qua homo nascitur : nam ut plurimum quisque mentis suae compos in lucem prodit : quae praesumptio utroque iure tam pontificio quam caesareo comprobatur, ut ***eoe cap. cum dilectus de success, ab intestat*** . . . Quod velim amplius, ut procedat etiam si testes pro sana mente deponentes essent exigui numero veluti duo, illi vero de furore asserentes, essent plures, ut mille : nam et tunc fides maior habenda esset duobus de sana mente deponentibus, quam mille negantibus ».

Roget quis nonne extra controversiam est Catharinam ante celebrationem matrimonii parochum quodam die arcessisse quasi morituram, cum se bene haberet ? Utique : et hanc ob causam testes a Petro inducti Catharinam inter mente captos ex tunc recensent : sed quo, quaeso, iure dicere possumus Catharinam ob amentiam ita se gessisse, cum testes, omni exceptione maiores qui actui praesentes fuerunt, non amentiae, sed phantasiae lusui factum illud ascribunt ?

Nec me commovent adversi medici,' Roller et .Nobel : nam ipsi non solum in iure, sed etiam in facto manifestissime errant.

Quibus praenotatis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An sit confirmanda vel infirmanda sententia curiae Colonien, in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re discussa sub die ***22*** Iulii 1899 censuit respondere : ***Sententiam esse confirmandam.***

SORANA

IURIUM

Die 19 Augusti 1899.

Sess. 22. cap. 8. De ref.

COMPENDIUM FACTI. Haec controversia oblata fuit iudicio EE. PP. in plenariis comitiis ***diei 29 Aprilis 1899*** et rogandi formulae : « ***An Decretum, Episcopale sustineatur quoad secundum et tertium punctum in casu*** » rescriptum prodiit ***« Quoad secundum affirmative, quoad tertium, dilata et ad mentem*** » (1). EE. PP. mens fuit ut Episcopus doceret an decretum Episcopi Giovannelli in viridi semper fuerit observantia et quatenus affirmative, apposita transmitterentur documenta. Quatenus vero de tali observantia iuridice minime constaret, expostulatum fuit ab Episcopo ut significaret quinam, hoc temporis intervallo, Sanctuarii S. Girardi gesserit administrationem, an scilicet parochus S. Leonardi vel Archipresbyter S. Nicolai et an sine contradictione id factum sit. Parochus S. Leonardi sentiens se gravatum ex ***affirmativa*** responsione ad ***secundum,*** appellationem interposuit.

Episcopus retulit, decretum Episcopi Giovannelli semper fuisse observatum, quamvis id probare nequiverit per documenta exhibenda, quia Archivium Curiae episcopalis direptioni fuit obnoxium anno 1860-61. Sed censuit Ordinarius

(i) Relata fuit Vol. XXXII pag. 154.

veritatem evincere per titulos aequipollentes, et per depositiones personarum, quae totam merentur fidem.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO ABBATIS. Advocatus Abbatis S. Leonardi notat in primis. Episcopum nihil prorsus probare valuisse quoad observantiam decreti Episcopi Giovannelli, sed dixisse, documenta eam probantia, igni absumpta fuisse. At e contra, ait procurator, Abbas argumenta iam attulit, ex oppidanorum praesertim attestatione deprompta (vulgo ***atti notori),*** quae ostendunt sibi et decessoribus oblationum administrationem constantissime pertinuisse.

Nihilominus, instat orator, Abbas nova documenta habet in promptu, quae modo profert. Et primum affert codices manuscriptos, in quibus missae quotannis adnotari solent. Hi codices incipiunt ab anno 1852 et pertinent usque ad nostra tempora. Unde eruitur, occasione festivitatis, Abbatem, propria auctoritate missas collegisse ; easque assidue ad sua libita sacerdotibus sibi benevisis distribuisse sine ulla prorsus dependentia a Curia Episcopali. « ***Messe raccolte nella chiesa di S. Gerardo dall'Abate Parroco Giacomo Orlando e dallo stesso distribuite ai qui sotto indicati sacerdoti e monaci di comunità religiose*** ». Quin etiam si quando archipresbyter S. Nicolai, et ipse Soranae dioeceseos Vicarius Generalis ad missas istas celebrandas admissi sunt : eas non utique, iure proprio celebrarunt, sed quia illis ab Abbate S. Leonardi celebratio concredita est. Quod quidem, iuxta advocatum consuetudinem Abbati favorabilem mirifice evincit, et ostendit Episcop. Giovanetti decreti nullum penitus vestigium superfuisse. Nam ad tramitem huius decreti, missarum collectio et earum distributio ad curiam pertinuissent, quae nunc Abbatem nunc Archipresbyterum delegare debuisset.

Nec obiici potest, iuxta advocatum, abbatem missas collegisse et distribuisse ex curiae delegatione. Nam codices ita sunt conditi, ut non modo nulla fiat delegationis mentio,

sed aperte liqueat abbatem, libere egisse nullo delegante, sed proprio exclusivo iure. Una in codicibus adest subscriptio Abbatis : unum sigillum, sigillum nempe Abbatiae.

Ceterum, concludit advocatus, illud est in probatis, oblationes Abbatem administrasse. Qui dicit id fecisse ex delegatione probare tenetur.

Alia proferens advocatus documenta, quae consuetudinem ostendunt, epistolas memorat, quibus sacerdotes ad missas celebrandas ab Abbate delecti, mercedem acceptam habuerunt. Quae epistolae ita sunt exaratae, ut pateat distributionis arbitrum Abbatem haberi. « ***Vi prego a tenermi presente nella futura festa di S. Gerardo, siccome vi benignaste fanno scorso*** ». Memorat donorum inventaria, quae, haud aliter ac codices missarum, unica Abbatis subscriptione distinguuntur. Recolit denique longam seriem acceptilationum ex quibus apparet ingentes summas Abbates impendisse, tum ad aediculam reparandam et exornandam; tum ad illam sacris supellectilibus locupletandam.

Nemo credet, ait advocatus, tot Abbates expensas, magna ex parte voluptuarias sustinuisse, nisi oblationes administrassent et percepissent, nisi sibi pinguiores mercedes, quae pro missis assignabantur, pleno iure addicere valuissent. Quin etiam haec Abbatum munificentia iuxta advocatum, non modo probat ex consuetudine Abbates oblationes administrasse : sed illos ***sui iuris conscientiam*** habuisse. Eoque magis quod eamdem persuasionem de bono Abbatis iure, communem illis in partibus fuisse, eisdem documentis arguitur. Nam fideles si quid volebant erogare in aediculae ornatum id Abbati mittebant, ut voluntatem exsequeretur.

Quod si opponant huiusmodi documenta non excedere annum 1852 : advocatus respondet hanc consuetudinem ultro-quadragenariam per se sufficere. Nam consuetudinem, etiam contra ius, quadraginta annis introduci, scriptores vel rigidiores, fatentur. Nec negant quodcumque ius praescribi, ab eo qui quadraginta annis possedit. « ***An sufficiat decennium ad inducendam consuetudinem contra ius cano-***

nieum seu constitutiones ecclesiasticae ì In solutione huius quaestionis multum variant doctores. Non pauci distinguendum censent inter leges seu constitutiones ecclesiasticas semel receptas, et inter numquam, receptas : et has quidem per contrariam consuetudinem decennio tolli concedunt : ad illas vero abrogandas requirunt spatium 40 annorum . . . . . . ***Secunda sententia indistincte docet legem canonicam, sive usu recepta fuerit, sive non, neutiquam tolli nisi spatio 40 annorum*** . . . . ***Tertia sententia asserit ad abrogandam quamcumque constitutionem ecclesiasticam vi contrariae consuetudinis, rationabilis tamen, sufficere decennium... Tertia sententia sub data declaratione ceteris prob abilior*** ». (Reinffenstuel, ***Ius can. univ. lib. 1, tit. 4, § 106). Contra Eccl., iura Episcopalia, decimas et huiusmodi 40 annorum spatio praescribitur (ibid. ad tit. 26, lib. 2, § 164) c.*** Ad aures ***6, c.*** Illud autem ***8, c.*** Quia indicant ***9. eiusd. tit.*** Sed quamvis longior possessio requireretur, urget orator, haec Abbatibus non deficit, qui a tempore, ut aiunt immemorabili, cuius scilicet initii memoria non extat, oblationes administrarunt. Id ut probet primum affert advocatus donorum inventarium, quod, hoc saeculo ineunte, ab Abbate Mazzenga confectum est. Mox allegat relationem ***ad limina,*** ab Episcopo Antonio, anno 1751 Pontifici missam. In qua Episcopus diserte asserit, quod « ***Ecclesia habet reditus, qvi ab Abbate S. Leonardi administrantur*** ». Quod quidem Episcopus non dixisset, si oblationes a curia ipsa, aut ad normam decreti Ep. Giovannelli, vel ab Archipresbytero, vel ab Abbate, ex Curiae delegatione, administrabantur.

Nam iuxta advocatum inter ***reditus,*** oblationes recensentur provenientes ex Sacello S. Gerardi. Praeterea advocatus recolit, Abbates, ineunte saeculo decimo octavo, aediculam S. Gerardi, « ***collapsam restituisse, sacrisque cellis, fornicibus atque prospectu ornasse*** ». Quod docet marmorea inscriptio, quae Ecclesiae parie ti adfixa est.

Quia Episcopus in suis litteris, recurrit ad probationem per ***aequipollentia,*** ait advocatus ***aequipollentia*** certis argu-

mentis praevalere non posse. Ait Episcopus in oppido ***Seitefrati*** oblationes, quae ad aediculam vulgo ***Canneto*** a fidelibus feruntur, ex curiae delegatione administrari. At primum, ait orator, quod affirmat Episcopus loci Parochi negant, qui testantur se propria auctoritate iam inde antiquitus oblationes administrare. Sed, hoc.misso, de uno in alium locum consuetudinem transferre non licet : eoque magis, quod eadem adiuncta in aediculam vulgo ***Canneto*** ac in sacellum S. Gerardi non concurrant. Illa enim nulli paroeciae adiuncta, nec ullus Parochus eius Rector renuntiatur, instat patronus ; praeterea adnotans Abbates oblationes administrasse indiscriminatim sive Archipresbyteratus vacaret, sive non vacaret ; et aliquando, prouti factum est ab Erasmo Zeppa, dimissa Abbatia, Archipresbyteratum assecuti sunt quia hoc est pinguius beneficium et excellentius.

Denique notat, consuetudinem administrandi oblationes esse firmam et constantem quum ipsum ius commune, prouti demonstratum est in altera causae propositione, parocho tribuat administrationem oblationum quae fiunt in sacellis comprehensis inter limites parochiales.

Ad aliam transit postea advocatus quaestionem, quae pertinet ad praecedentiam in sacris functionibus ; quae agitur ex beneficio ***novae audientiae.*** In propositum notat procurator quod relationes Sacrae Visitationis nuper exhibitae, ne umbram quidem praeeminentiae Archypresbytero concedere videntur. Sed arguunt Archipresbyterum et Abbates, duos Parochos, iuribus pares esse: qui quidem independenter et libere « ***oppido praesunt et functiones communi in Ecclesia persolvuntur*** ». Quin etiam, commonefaciunt, ait orator, insignes illas praerogativas, quas archipresbyteratui, anteactis temporibus, Gentilucci pertinuisse testatur; fuisse iniquas usurpationes, quae Archibresbyter Baldassari patravit « ***Archipresbyter Baldassari senescente meo praedecessore, nactus favorabilem temporis circumstantiam, mitram, baculum pastorale et Pontificalia, in sua Ecclesia, absque ullo Sedis Apostolicae indulto ausus est exercere.***

Se [1] Deo vìndice, anteactis duris temporibus, miserrime trucidatus interiit.

Addi posset, urget patronus, decreta Sacrae Visitationis illius Episcopi Sisto y Britto, ad cuius testimonium, Archipresbyter ad praeeminentiam ostendendam confugit. Quae decreta, iuxta advocatum, miram inter Parochos paritatem constituunt inter quos functiones tum paroeciales, tum non paroeciales, tum etiam onera alterna vice distribuuntur. Sed Abbas, notat advocatus, S. O. C. obsequentissimus Archipresbytero aliquam honoris praeeminentiam ultro concedit: sinit enim, ut diebus solemnioribus per illum sacrum celebretur cum cantu. At observat in Episcopi decreto nullo pacto praefiniri, quot sint dies isti solemniores, quibus sacrum ab Archipresbytero canendum. At istud decretum Archipresbytero concedit, ut omnes ordinet functiones, quae communi in Ecclesia fiunt ; et hoc nimis grave advocato videtur, et duplex secumferre incommodum.

Primum scilicet, quod nisi dies solemniores exacte praefiniantur, Archipresbyter privilegium plus aequo extendere potest. ***Alterum*** vero, quod si omnes functiones, non stricte parochiales ab Archipresbytero ordinantur, Abbati quoad istas functiones, omnis auctoritas adinleretur. Et tamen, quum ille sit Parochus, usque ac Archipresbyter, ius habet parochianorum pietatem, publicis precibus fovendi. Quin etiam quum permultae Gallinarie adventiciae functiones occurrant, pro quibus merces a fidelibus rependi solet, cavendum esset ne Archipresbyter, qui illas ordinat, mercedem, excluso Abbate, sibi in totum addiceret. Petit igitur advocatus, Abbatis nomine, ut dies solemniores praeficiantur, in quibus sacrum ab Archipresbytero solemniter litandum est. Quoad reliquas functiones implorat ut decernatur, eas, per vices hebdomadum vel mensium, nunc ab Abbate, nunc ab Archipresbytero ordinandas et celebrandas esse.

DEFENSIO EPISCOPI. EX adversa parte seu favore Episcopalis decreti praeter ea quae ab eodem Episcopo hodie deducta sunt et in ***folio*** praeteritae actionis allegata fuerunt»

nihil aliud deducendum mihi est. Dumtaxat advertere praestat, ex argumentis ab Episcopo in suis litteris allatis, hoc unum videri confici. Nimirum Episcopi Giovannelli decretum frui ***possessione*** seu observantia, iam quinquaginta annis ante decretam unionem Sacelli S. Gerardi ad parochiale beneficium S. Leonardi, neque contrario edicto illud decretum unquam fuisse abolitum. Administratio autem oblationum quae ordinario geritur ab Abbate, quae vero Abbatia vacante, aeque geritur ab Archipresbytero, videtur non pertinere ***proprio iure*** seu ***iure beneficiali*** Abbatiae, sed aliquo titulo ***extrinseco*** veluti ***mandati*** seu ***delegationis.***

Quibus praemissis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An sit standum vel recedendum a decisis quoad secundum punctum decreti Episcopalis in casu.***

II. ***An Decretum Episcopale sustineatur quoad tertium punctum in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. C. disceptata quaestione, sub die 19 Augusti 1899 censuit respondere : Ad I. ***In decisis et ad mentem.*** Ad II. ***Administrationem oblationum spectare ad Parochum Abbatem sub vigilantia Ordinarii.***

MELEVITANA

INTERDICTI IN PROCESSIONIBUS ET PRAECEDENTIAE

Die 19 Augusti 1899.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In Ecclesia, cui titulus a ***Stella Maris,*** oppidi ***Sliema*** in dioecesi Melitensi, iam ***ab anno 1872*** initium habuit quaedam pia associatio nuncupata - ***Pia unione di Maria Vergine Desolata.*** - In mense Iulio a. 1875 haec Pia Unio, decreto Patris Generalis Ordinis Servorum Mariae constituta fuit in ***Societatem a Sancto Scapulari B. M. V. Perdolentis,*** ei concessis omnibus iuribus et pri-

vilegiis, quae huiusmodi Sodalitatibus a SS. Pontificibus impertita fuerunt. Legitimus erectionis actus per Breve Pontificium denunciatum fuit Dno Camillo Scicluna, tunc temporis Episcopo Melitensi qui decreto diei ***12 Dec. 1878*** expresse illius statuta approbare significavit.

Quum vero neque ***saccum*** neque ***habitum*** proprium tunc induerent Sodales, visa est huiusmodi Consociatio propriae Confraternitatis nomen non mereri, sed instituta fuisse tantum ad finem mere spiritualem seu ad sanctificationem singulorum confratrum prouti proprium est Piarum Unionum, quatenus hae distinguuntur a Confraternitatibus, de quibus cavet ius commune in ordinandis quoque publicis functionibus cultus exterioris.

Interim, anno 1878, Ecclesia dicta ***a Stella Maris*** in parochiam erecta fuit; unde propositum inierunt plures fideles parochiani instituendi Sodalitatem a SSmo Sacramento nuncupata, quae singulis in paroeciis pro cultu in Divinum Sacramentum instituenda est. - Huiusmodi incoeptum, dum executioni demandabatur, nonnullas nactum est difficultates, quia Ecclesiae parochus idemque praeses Piae Consociationis a ***Scapulari M. V. Perdolentis*** cupiebat et conabatur, ut onera Sodalitatis a SSmo Sacramento tribuerentur isti Piae Consociationi, quippe haec maxime in votis habebat eiusmodi oneribus satisfacere. - Revera plura quoque decreta Ordinariorum Melitensium statuerunt ut diversa munia cultus exterioris potius uni sodalitati conferrentur, quam pro diversis muneribus distinctae instituerentur sodalitates quae in eadem Ecclesia erectae confusionem pariunt et sunt aemulationum perpetuus fomes.

Nihilominus progressu temporis rite constituta est Confraternitas a SSmo Sacramento et Pia Associatio in Tertium Ordinem erecta est. - At, malo fato, discordiae quae initium comitatae sunt, in dies graviores exarserunt, praecipue ob praecedentiae iura quae invicem sibi arrogabant duae sodalitates ; quousque in lucem aspectumque publicum prodierunt huiusmodi aemulationes cum vehementi fidelium scandalo

in die festo Corporis D. N. I. Christi ***a. 1897,*** quum in ordinanda publica supplicatione aperte dimicatum sit inter sodalitates de iure praecedentiae.

Sane, uti videtur, ad lites radicitus amputandas Moderator Piae Associationis ***A Scapulari B. M.V. Perdolentis*** obtinere statuit a Patre Generali Ordinis Servorum M. V. veniam erigendi dictam Piam Associationem in ***Tertium*** Ordinem ; quam facultatem facile assecutus est ; sed non ita facilem nactus est idem Moderator Episcopum Melitensem, qui diu restitit, ratus, res in peius processuras fore si annueret institutioni Tertii Ordinis. - Sed denique assensit et die ***27 Octobris 1896*** veniam impertitus est, sed hac apposita clausula « ***salvis iuribus parochialibus aliarumque sodalitatum ».***

Quum vero Pia Associatio ad dignitatem Tertii Ordinis evecta fuit, strenue sibi vindicare coepit praecedentiam, etiam in processione ducenda in die festo Corporis D. N. I. Christi; ast haud minori vi contradicere prosecuta est huic intentioni alia sodalitas a SSmo Sacramento dicta ; adeo ut ad eiusdem instantiam Episcopus decreto ***diei 7 Maii 1898 - interim,*** seu donec res definiretur, interdixerit Sodalibus Tertii Ordinis, ne partem haberent in publica supplicatione ducenda in die Festo Corporis Domini. Moderator Sodalitii Tertii Ordinis adversus hoc decretum appellationem interposuit.

Disceptatio synoptica

Confratres a SSmo Sacramento per suum procuratorem nonnullas obtulerunt animadversiones, quae examussim quadrant in Episcopi intentionem et querelam. Vis enim et robur protestationum ab uno et ab aliis editarum huc spectant; ut Sodales Tertii Ordinis vel prohibeantur a iure praecedentiae, quippe huic iuri renunciarunt, vel si hoc praestari nolit, destituantur iure et constitutione Tertii Ordinis, revocato Episcopali decreto. - Nam ***mendax precator careat impetratis,*** clamat ius canonicum et ipsa naturalis

aequitas; ipse Episcopus vero protestata, se concessisse expetitam veniam erectionis ea sub expressa conditione, nempe minime derogatum iri iuribus Sodalitatis; et in primis intendisse sartum tectum servare praecedentiae ius, utpote principalius et aemulationum radicem. Quamobrem decretum erectionis fuit hac sub conditione concessum; qua deficiente conditione, corruat necesse est idem decretum.

Sodales autem a SSmo Sacramento ad significandum animum in concordiam et pacem pronum, proponunt transactionis sequentes conditiones. 1. Ut in diebus festis, quibus exponitur SSmum Sacramentum, praferatur Sodalitium, cum facultate alteri sodalitio servitarum, sese abstinendi. 2. Ut in omnibus aliis festis Servitae praeferantur, cum facultate alteri sodalitio non interveniendi.

Ex adverso Sodales Tertii Ordinis Servorum B. M. Virginis per suum procuratorem advertunt, non esse tribuendas, culpae eiusdem Tertii Ordinis exortas aemulationes, quia has ille iam praeviderat et cavere studuerat; et in precibus datis, sub a. 1878, Curiae ut dignaretur eidem Piae Unioni onera conferre quae spectarent Confraternitati a SSmo Sacramento, inter alia, commemorabatur sequens decretum editum ab Emo Carpegna, Vicario Generali Rom. Curiae, *die 2 Feb. 1685* ita conceptum.

« § II. *Ciocché deve farsi in quelle Parrocchie, in-cui non ci è Compagnia del SS^o ma bensì d'altro titolo :* Sub ri, 12 haec caventur: In molte parrocchie di questa Alma Città sono erette Compagnie di laici, ma non già sotto il titolo ed istituzione del SSmo Sacramento, e però gli Fratelli di esse non accompagnano mai le Sacre Comunioni agli Infermi : nè hanno peso veruno circa la venerazione del SSmo Sacramento, il che è gravissimo pregiudizio al culto Eucaristico. E perchè in dette parrocchie non ci è altra Compagnia che a ciò supplisca: nemmeno si può accomodamente rimediare colT erezione di nuova Compagnia del SSmo non avendo alcune parrocchie luogo bastante per più Oratorii e per lo più è difficile mantenersi fra diverse

Compagnie d'una medesima Chiesa la santa Pace: ha previsto N. S. dell' opportuno rimedio acciocché il SSmo sia servito. Ed è che le Compagnie d' altro titolo istituite nelle Parrocchie dove non è Compagnia del SSmo o in Oratorii a questi vicini d'ora in appresso ***abbiano da assumersi questo peso*** d'accompagnare il SSmo Viatico nella forma usata da tutte le Compagnie che son fondate sotto l'istituto del SSmo Sacramento - e a questo pure concede et garantirà a simili Compagnie di altro nome, che abbiano facoltà di accoppiare con il proprio lor titolo anche quello del SSmo Corpo di Cristo : e chiamarsi in futuro, a cagione di esempio, la Compagnia di S. Maria della Grazia sotto il titolo del SSmo Sacramento. Ma questo però senza pregiudizio veruno dell' osservanza del loro istituto primiero, anche con espressa facoltà di godere tutte le grazie, privilegi , favori, e indulgenze che hanno godute e godono di presente - di più col sacro guadagno delle nuove indulgenze che N. S. ha concedute a chi nelle processioni suddette accompagnano il SSmo Sacramento ».

Sed constituta Confraternitate a SSmo Sacramento inde perpetuae irae et aemulationes. Ad quas amputandas deliberata fuit ***die 10 Nov. 1895*** erectio Piae Associationis in Tertium Ordinem, pro facultate quam Pater Vinc. La Rosa iam obtinuerat ab a. 1892. - Refert procurator, instantiam ***diei 10 Nov. 1895*** Curiae oblatam, nullum habuisse effectum usque ad diem ***20 Oct. 1896,*** quo die oblatum fuit Episcopo Rescriptum R. P. Generalis Ordinis Servorum B. M. V. In rescripto facultas concedebatur Patri La Rosa erigendi Piam Associationem in Tertium Ordinem; et de hoc ab Episcopo editum fuit decretum sub ***die 20 Oct. 1896 « Registretur et publicetur*** ». Verum nonnullis ab hinc diebus, nempe ***die 27 Oct. 1896,*** ad instantiam ***diei 10 Novembris 1895,*** adiectum fuit notum et controversum rescriptum.

Obtenta constitutione in tertium Ordinem, iure merito, notat procurator, eius Sodales praecedentiam sibi vindicarunt

super Sodalitate a SSíño Sacramento, etiam in publica supplicatione ducenda die festo Corporis D. V." I. Christi. Revera S. Congr. Rituum ***die 27, Martii 1893*** proposito dubio « ***An in processionibus etiam in solemnitate Corporis Christi sodalitati Tertii Ordinis Sancti Dominici ius praecedentiae competat supra quascumque laicas Confraternitates etiam a SS~w Sacramento nuncupatus*** » respondit ***« Affirmative dummodo ea Sodalitas gaudeat privilegiis Tertii Ordinis et collegialiter prop Ho habitu incedat».*** Sed huic certo iuri refragari intenderunt Sodales a SSmo Sacramento et ipse Episcopus refragatus est decreto ***diei 17 Maii 1898*** quo mandatur Parocho « ***che provvisoriamente non permetta nelle suddette processioni il loro simultaneo intervento »***.

Quocirca, aiunt Sodales ***Servitae,*** huiusmodi decretum non sustineri neque uti ***provvisorium,*** quippe apertam continet iuris violationem; neque scandala et iurgia sunt tribuenda in culpam Sodalium ***Servitarum,*** qui utentes ***iure suo nemini faciunt iniuriam.*** Verum ***eoe post facto,*** patet, ex intentione' Episcopi, decretum non esse ***provvisorium,*** siquidem semel et iterum instairte S. C. C. ut decretum revocaret vel alias res componeret, a decreto nullimode Episcopus recedere voluit.

Instant Sodales, nihili faciendam"esse querelam Episcopi, qui illos incusat malae fidei, asserens illos fuisse in precibus mendaces et deceptores ; nam advertunt in precibus quoad ***facta*** nullum adfuisse mendacium ; quoad ***ius*** vero fallaciam aut fraudem admitti non posse, quia ***ius nemini ignorare licet,*** et Episcopus prae aliis probe scire debebat, Sodales Tertii Ordinis haud renunciare potuisse iuri praecedentiae ipsis competenti ; et non ***singulis*** sed ***coetui*** seu ***Ordini*** competenti ex voluntate iuris communis. - Re sane vera Gregorius XIII ***Const. 10. - Cum interdum § 2*** iubet ***« Universis et singulis, clero et clericis ac personis eccles, tum saecularibus, quam Ordinum, Religionum ac militiarum Regularibus... liceat ipsis tum die ipsa dominica infra***

Octavam Corporis Christi quam aliis totius Octavae diebus processiones suas celebrare..... Nec super eo. . . . .quomodolibet molestare inquietari et perturbari______tenore praesentium concedimus et permittimus______». Ferraris V. ***Processiones*** ita commentatur ***n. 27.*** « Episcopi' autem et parochi non debent, denegare talem licentiam (interveniendi) Regularibus, alioquin si denegetur, recurritur ad Sedem Apostolicam a qua rescribitur Episcopo, ut licentiam concedat ; prout rescripsit S. C. Epp. in Papien. ***11 Maii 1696 ».*** Et S. C. C. in una Monopolitana ***Interdicti in processionibus diei 23 Feb. 1895*** (1) ad dubium: ***« An sustineatur decretum editum a R>rw Episcopo Monopolitano die 28 Novem. 1893, De fratribus Tertii Ordinis S. Dominici a processionibus inhibendis in casu*** » rescriptum fuit « ***Decretum Episcopi non sustineri; et ius esse Tertio Ordini D. Dominici interveniendi et praecedendi in processionibus, quoties cum proprio habitu et collegialiter interveniunt ; seclusis omnino qui regulariter eidem Tertio Ordini non sunt adscripti*** ». Et eadem causa iterum proposita mense Maio subsequente EE. PP. responsum dederunt: ***In decisis et amplius.***

Quibus animadversis, quaesitum fuit quonam responso dimittenda esset quaestio praesens

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 19 Augusti 1899, censuit respondere: ***Attentis omnibus, S. Congregatio mandat, ut Tertius Ordo Servorum B. M. Perdolentis se abstineat ab interessendi processioyii in die festivitatis Corporis Christi.***

(1) Quaestio haec relata fuit Vol. XXVII, 722.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

NUCERINA PAGANORUM

CONFRATERNITATUM

Die IO Martii 1899.

COMPENDIUM FACTI. III urbe Paganorum dioecesis Nucerinae duae extant sodalitates, una nuncupata S. Francisci de Paula, altera B(. Mariae Virginis de monte Carmelo. Sodales S. Francisci de Paula canonice aggregati sunt Tertio Ordini Minimorum, Sodales alterius Confraternitatis, Tertio Ordini Carmelitano. Cum inter duas Sodalitates exorta esset controversia circa praecedentiam, Episcopus'Nucerinus decreto diei 17 Februarii 1898 statuit eam spectare sodalibus Carmelitis. Ab hac decisione appellarunt ad S. Congregationem Episcop. et Regul. Sodales S. Francisci de Paula.

Disceptatio synoptica

Favore Sodalium Tertii Ordinis B. M. Virginis a Carmelo. Sodales et Episcopus Nucerinus ad sustinendum relatum decretum diei 17 Feb. 1898 innituntur rescripto Superioris Generalis Carmelitarum diei 9 Setembris 1882, quo Confratribus a Carmelo concessa est licentia deferendi habitum Carmelitarum. En rescripti verba - ***concedimus licentiam... ut iidem sodales valeant et possint habitu carmelitis modo et forma iuxta exposita uti in festis solemnioribus, processionibus, et exequiis ceterisque actibus et circumstantiis pro habitu.*** Iam vero quod praefatum rescriptum importet veram erectionem Confraternitatis in tertium Ordinem Carmeliticum testis est ipse Superior Generalis Carmelitarum, qui rogatus ab Episcopo Nucerino utrum concessum privilegium induendi habitum Carmelitarum secumferret aggregationem Sodalium Tertio Ordini B. Mariae

Virginis de Carmelo, respondit rem profecto ita se habere. Cum itaque Sodales S. Francisci de Paula fuerint adscripti Tertio Ordini Minimorum an. 1884 prono velut alveo fluit praecedentiam sodalibus Carmelitis spectare iuxta notum adagium : ***Prior in tempore potior in iure.***

Neque difficultatem facessi t posterius rescriptum an. 1887 favore Sodalium Carmelitarum quo eorum in spiritualibus rectori seu Cappellano a Superiore Generali Ordinis Carmelitarum facultates conceduntur ***quibus canonice et legitime omnes et singulos eiusdem Archiconfraternitatis Confratres sive futuros ad habitum et professionem nostri sacri Tertii Ordinis ad normam statutorum et Regulae eiusdem servßtis omnibus de iure servandis recipere et admittere possit et valeat cum participatione et communione omnium gratiarum privilegiorum... quibus religiosi omnes laudati S. Ordinis consodales gaudent et potiuntur.*** Siquidem, iuxta P. Generalem in hac re interpellatum, hoc posterius rescriptum non est nisi magis explicita et solemnis declaratio iam concessi privilegii in priori rescripto.

Item inutili nisu subdunt Sodales Carmelitae opponeretur in themate defuisse canonicam erectionem ob defectum Ordinarii consensus. Beneplacitum enim Episcopi Nucerini intercessisse per plures aequipollentes titulos Sodales facile demonstrant. An. 1883 Episcopus Nucerinus Vitagliano ecclesiam Archiconfraternitatis personaliter visitavit et inter Sodales fuit adscriptus. Eodem anno quaestio super praecedentia exorsit inter Sodales Carmelitas et alias Confraternitates, et Episcopus Nucerinus eam diremit favore Tertiariorum Carmelitarum. Accedit insuper quod ab anno 1882 usque in praesens, iuxta testimonium parochi ecclesiae SSmi Corporis Christi, Superiores Confraternitatis singulis annis obedientiam praestiterunt Episcopo Nucerino, induti habitu carmelitico, et ***nemine contradicente*** semper fuerunt admissi.

Tandem Sodales Carmelitae sedulo notant ***ius*** cum ***facto*** non esse confundendum. Ut aliqua Sodalitas ' dici possit in Tertium Ordinem erecta requiritur tantum eius legitima

Aggregatio Ordini Regulari per Superiorem Generalem de consensu Ordinarii. Vestitio Sodalium, Novitiatus, Regulae professio, factum constituunt, et conditiones sunt, ut adscriptus Tertio Ordini privilegiis, gratiis et indulgentiis perfrui possit. Si ex aliquo accidenti fiat, quod hae conditiones illico in actu non ponantur, non ideo sequitur, quod Tertius Ordo non existat.

Favore Tertiariorum Minimorum. Sodales S. Francisci de Paula vulgo ***Paolotti*** e contra contendunt veram et legitimam adscriptionem Sodalium Carmelitarum non evenisse nisi anno 1887, ideoque sibi utpote antiquioribus Tertiariis praecedentiae ius esse adscribendum. Re quidem vera, iuxta Bullam Benedicti VIII ***Paterna,*** Tertius Ordo est verus Ordo religiosus, cum ipse habeat in se omnia requisita Ordinis religiosi nempe regulam approbatam a Sancta Sede, Novitiatum, Professionem et habitum. Hinc pro adscriptione Tertio Ordini requiritur: I°. Diploma aggregationis respectivi Generalis, quo Directori Spirituali approbato ab Ordinario facultates conceduntur dandi habitum et admittendi ad novitiatum aspirantes ad tertium Ordinem, eorumque professionem regulae recipiendi, ut de indulgentiis participare valeant. 2°. Requiritur consensus Ordinarii localis qui diploma aggregationis a P. Gpnerali concessum executioni demandet, erigendo Tertium Ordinem iuxta resolutionem S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum diei 21 Ian. 1893. ***Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiratur consensus Ordinarii loci.*** S. Congregatio respondit: ***Affirmative.***

Tertio requiritur ut Tertius Ordo reapse sit constitutus cum reali vestitione, Novitiatu, et professione Regulae. Atqui hae conditiones locum habere poterant tantum post rescriptum an. 1887, uti patet ex ipsius tenore. Hinc erectio Sodalium Carmelitarum in Tertium Ordinem est posterior eorum erectioni quae evenit an. 1884. Rescriptum autem an. 1882, iuxta Sodales S. Francisci de Paula, non con-

tinet diploma aggregationis Tertio Ordini Carmelitico, sed simplicem licentiam habitum carmelitarum induendi, et quidem non solitum, sed iuxta formam ab ipsis Confratribus Carmelitis seligendam, uti patet ex ipsius tenore. Insuper in hoc rescripto nullus sacerdos deputatus ad dandum habitum, et ad professionem recipiendam, nulla mentio fit de indulgentiis et privilegiis Tertio Ordini adnexis. Iniuria igitur ipsum traduceretur pro diplomate aggregationis Tertio Ordini.

Ceterum, dato etiam et non concesso, pergunt Sodales Minimi, quod rescripto induendi habitum Carmeliticum concessa esset etiam facultas erigendi Confraternitatem B. Mariae Virginis de Carmelo in Tertium Ordinem, hoc rescriptum, ad tramites supra relatae Benedictinae Bullae, nullum vigorem haberet, eo quia non fuit executioni mandatum per realem vestitionem habitus, Novitiatum, et Regulae Professionem. Hinc erectio Sodalium Carmelitarum in Tertium Ordinem repeti debet non a Rescripto an. 1882, sed ab illo anni 1887, secus hoc uti supervacaneum et inutile dici deberet. Quod eo fortius tenendum esse dicunt Sodales S. Francisci de Paula, quia, uti fatetur Episcopus Nucerinus in dubio an. 1894 proposito S. Congregationi SS. Rituum, Sodalitas B. Mariae Virginis de Carmelo an. 1883 erecta fuit ad honorem Archiconfraternitatis, quod explicari profecto non posset, si iam an. antecedenti 1882 in Tertium Ordinem esset erecta.

Hisce utrinque deductis, Emi Patres rogati sunt diluere sequens

Dubium

An et quomodo decretum Episcopi Nucerini Paganorum contra Tertium Ordinem Minimorum attribuens praecedentiam Tertio Ordini Carmelitarum, sustineatur in casu.

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 10 Martii 1899, omnibus mature perpensis, reformato dubio. ***An praecedentia spectet Pio Sodalitio Ordinis Carmelitarum, vel potius illi Minimorum in casu,*** rescripsit: ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

AEDUEN. seu BISUNTINA Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Antonii Silvestri Receveur Presbyteri Fundatoris societatis a recessu christiano.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis Rotalibus, subsignata die ad Vaticanum habitis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus M. Parrocchi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae, loco et vice Rmi et Emi Cardinalis Caietani Aloisi-Masella, Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Antonii Silvestri Receveur Relatoris, sequens dubium discutiendum proposuit: *An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum: testes sint rite ac recte examinati, et producta iura legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio, omnibus perpensis, auditoque voce et scripto R. D. P. Ioanne B. Lugari, Sanctae Fidei Promotore, respondendum censuit: *Affirmative seu constare, demptis tamen attestationibus, ut in Animadversionibus* § 9. Die 7 Novembris 1899.

Facta postmodum de his Ssmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit et confirmavit, die decimatertia, iisdem mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA 5. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM an liceat adesse disputationibus medicorum et experimentis quoad disputationes ***ipnoticas.***

Beatissimo Padre,

N. N. Dottore in medicina, prostrato ai piedi della S. V., per tranquillità di sua coscienza, umilmente chiede se può prender parte a dispute che ora si fanno dalla Società delle scienze Mediche di N. sulle suggestioni ipnotiche nelle cure dei fanciulli infermi. Si tratta non solo di discutere su fatti già compiuti, ma ancora di fare esperienze nuove, sia che possano spiegarsi con ragioni naturali, sia che no. E però l'oratore per non esporsi al pericolo di errare, aspetta docilmente ***Y*** oracolo della S. Sede.

Feria IV, die 26 Iulii 1899.

In Congregatione Generali habita ab EEñiis ac RRiîiis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RRmorum DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

« Quoad experimenta iam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali; et insuper Orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes theologi non agat. Quoad nova experimenta, si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediatur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali».

Insequenti vero feria VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSiîio D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus relatione, SSmus Dnus responsionem EEmorum Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquis. Notarius.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIUM quoad facultatum suspensionem.

A pluribus locorum Ordinariis et Confessariis propositum est huic S. Poenitentiariae dubium:

An suspensio facultatum facta per Bullam *Quod Pontificum* editam pridie kalendas Octobris anni 1899 ratione Iubilaei, comprehendat, nulla facta exceptione, facultates in folio typis impresso, a S. Poenitentiaria Ordinariis et Confessariis concedi solitas *pro foro interno ?*

Sacra Poenitentiaria, facta relatione SSmo Domino Nostro Papae Leoni XIII, declarat suspensionem hanc non extendi ad poenitentes illos, qui tempore Confessionis, iudicio Ordinarii vel Confessarii, sine gravi incommodo hic et nunc ad Urbem accedere nequeunt.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 21 Decembris 1899.

ALEXANDER C ARC ANI -S. *P. Regens.*

ALOISIUS Can. MARTINI S. *P. Secretarius.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

ALLOCUTIO Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII habita in Consistorio diei 14 Decembris 1899.

Venerabiles Fratres

Auspicandae celebritatis sacrae, quam mense Maio per apostolicas Litteras indixeramus, iam prope sumus in limine. Grates tibi iustas meritasque persolvimus, summe Deus: tuo quippe unius munere id solatium Nostrae affulget senectuti, quod voto magis praesumpserat animus, quam spe.— Nostis autem, venerabiles fratres, inchoari ***annum sanctum*** consuevisse aperiendis Basilicarum Patriarchalium Portis ritu veteri, pietati excitandae magnopere accommodato. Etenim, ut verbis utamur Benedicti XIV decessoris Nostri, « fidelibus in mentem revoca- **re** tur publice poenitentiae consuetudo, et publice poenitentium « disciplina, quae priscis Ecclesiae temporibus vigebat. — Pon- « tifex . . . . portas sanctas Basilicarum initio Iubilaei universalis « illis omnibus recludit, qui conscientiae suae labes animo vere « detestantur, et indicta pietatis opera libenter suscipiunt, omni- « que studio adnituntur ut eiusdem Indulgentiae fructus asse- « quantur » (1).

Quamobrem pridie Natalis Domini, more exemploque decessorum Nostrorum, Portam sanctam Basilicae Vaticanae Nosmetipsi, si Deus dederit, aperiemus. — Idem ad reliquas Basilicas Patriarchales eodem die per Cardinales Legatos fieri mos est. Itaque Ecclesiae disciplinam et consuetudinem hac in re sequuti, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, eligimus et declaramus Legatos Nostros a latere venerabiles fratres Nostros, Aloisium S. R. E. Cardinalem Oreglia, Episcopum Ostiensem et Veliternum, sacri Cardinalium Collegii Decanum, qui Portam Sanctam Basilicae Sancti Pauli nomine Nostro aperiat: item Franciscum Tituli Sanctae Mariae in Aracoeli S. R. E. Presbyterum Cardinalem Satolli, Basilicae Lateranensis Archipresbyterum, qui Portam

(i) Alloc, habita io. Consistorio secreto, die 1 Decembris 1749.

eiusdem Basilicae nomine Nostro aperiat: tum Vincentium Tituli Sancti Silvestri in Capite S. R. E. Presbyterum Cardinalem Vannutelli, Basilicae Liberianae Archipresbyterum, qui (Portam eiusdem Basilicae nomine Nostro aperiat. In nomine Patris j$(et Filii)$(et Spiritus J$¡ Sancti. Amen.

Supra dictis autem Legatis facultatem facimus ut populo, qui aperiendis Portis sanctis praesens aderit, plenariam indulgentiam simul cum Apostolica benedictione auctoritate Nostra largiantur.

Est quidem, venerabiles fratres, cur confidamus, solemnia Iubilaei magni non sine salutari praeterlapsura fructu. Nam, caelesti opitulante gratia, alacritatem quamdam pietatis popularis cum obtemperandi studio videtur vox hortatioque Pontificis excitavisse. Nuntiatum est, idemque saepe nuntiatur, ubique gentium numerari, qui, animorum expiandorum caussa, Romam cogitent. Equidem per id tempus valde vellemus formam suam habitumque pristinum Romanae urbi restitutum : quo scilicet esset integrum servare traditum a patribus morem exercendae religionis sine ullo impedimento, etiam in aperto Urbis, apparatu publico insueto ritu insuetae sanctitati temporis consentaneo : antiquae custodia disciplinae, *civitatem sanctam* peregrinus agnosceret. Verum, exuto Pontifice, simul est catholicorum comminuta libertas: incolarum advenarumque pietati sola relinquuntur templa.

Inter haec, vices occidentis anni aliud peperere incommodum cum iniuria Sedis Apostolicae coniunctum, idemque virorum incorrupte iudicantium communi opinione damnatum; quod Nos quidem tacite ferre non possumus. Intelligi de conventu Legatorum summorum Principum ad Hayam volumus, Augusto Imperatore Russiarum auctore, consulendum erat de pace imperiorum constituenda firmius, coercendâque tum crebritate, tum atrocitate bellorum. Quid magis dignum advocatione Pontificis? Videlicet pro iustitia contendere, conciliare pacem, prohibere dissidia, insitum divinitus est in pontificatu maximo : idque et iudicio et re omnis agnovit superior aetas. Decessores autem Nostros iis muneribus magna cum salute gentium christianarum saepenumero perfunctos, plus est exploratum, quam ut memorari oporteat. Sane incepto illi tam frugifero tamque nobili quaesitum vel a priucipio sponte fuerat Nostrae suffragium auctoritatis: tum etiam in optatis erat, generatimque sen-

íentiae inclinaverant, Nobis ut foret ipso in concilio Hayensi locus. Una ex omnibus reclamavit vox, at quidem tamdiu in repugnando pertinax, quoad pervicit, eorum ipsorum vox, inquimus, qui potestati suae summum Ecclesiae rectorem expugnatione Urbis fecere obnoxium. Quid non ab iis hostile timeamus, quando nec dubitant in luce Europae vim inferri sanctitati iurium atque officiorum, quae ab apostolico munere sponte nascuntur? Attamen, qualiacumque futura sint tempora, Nos quidem, adiuvante Deo, nec conniventes ôffendent, nec pavidos.

Sed partes Nostras res Orientalium catholica modo deposcit. In Patriarchatu Giliciensi Armeniorum cum venerabili fratri Stephano Petro X Azarian succedendum esset, qui Calendis Maii decesserat in pace Christi : eius rei caussa in aedem Constantinopolitanam sanctissimi Nominis Mariae Episcoporum Armenio ritu coacta ad praescripta legum Synodus est. Die vicesimo sexto superioris mensis Iulii Patriarcham in demortui locum suffragiis fecere venerabilem fratrem Paulum Emmanuelian Episcopum Caesareensem, qui Petrus ex more appellatus est, undecimus eo nomine. De ratione tota docuerunt Nos per litteras ipsi, qui ad suffragia convenerant, Episcopi : illud praeterea rogantes, ut, quem ad Patriarchalem dignitatem ipsi extulerant, eum confirmare potestate apostolica vellemus. Idem sibi rogat, simulque sacri honorem Pallii libello supplici petit Patriarcha electus, edita fidei catholicae professione ex forma Urbaniana, adiectis insuper quae a sacrosancto Concilio "Vaticano decreta sunt. Venerabilis fratris Pauli Emmanuelian egregia in apostolicam Sedem voluntas et multarum ornamenta virtutum, collegarum episcoporum testimonio prolixe laudantur. Is iam episcopalia munera administra vit diu; consilio, doctrina, laboribus apostolicis opinionem atque amorem gentis suae promeritus. His de caussis, atque ex sententia sacri Consilii christiano nomini propagando Ecclesiarum negotiis orientalis ritus praepositi, cum eius tum Episcoporum precibus annuendum censuimus.— Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus fratribus Armeniis Ciliciae factam de persona praedicti Pauli Emmanuelian, quem absolvimus a vinculo, quo tenebatur Ecclesiae Caesareensi, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Ciliciae Armeniorum, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali

Ecclesiae, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris >B et Filii $$ et Spiritus Sancti. Amen.

SSmus habita allocutione supra relata, sequentes proposuit Ecclesias :

Patriarchalem Ecclesiam Armenorum Ciliciae vacantem per obitum bo. me. Stephani Petri X Azarian, ultimi illius Patriarchae extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Pauli Emmanuelian, Episcopi Caesareensis Cappadociae, qui ab Antistitibus Catholicis Ciliciae rite electus seu postulatus, assumpsit nomen Pauli Petri XI.

Cathedralem Ecclesiam Albanen, vacan, per obitum clar. me. Isidori S. R. E. dum viveret Card. Verga, ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti ; quam optavit Emus ac Rmus Dominus Antonius eiusdem S. R. E. titulo SS. Nerei et Achillei Presbyter Cardinalis Agliardi.

Metropolitanam Ecclesiam Guadalaxarensem in Republica Mexicana, vacan, per obitum bo. me. Petri Loxa et Pardavé, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Hyacinthi Lopez, Archiepiscopi de Linares.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Pelusianam vacan, per obitum bo. me. Ioannis Glavina, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Alphonsi Martini Larue, Episcopi Lingonensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Iconiensem vacan, per obitum bo. me. Aloisii Puecher Passa valli ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Raphaelis Siro Hi, Episcopi Aquinatensis, Sorani ac Pontis Curvi.

Metropolitanam Ecclesiam Rothomagen. vac,an. per obitum clar. me. Gulielmi Mariae Romani S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Sourrieu, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Friderici Fuzet, Episcopi Bellovacensis.

Metropolitanam Ecclesiam Albien. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Fonteneau, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R' P. D. Eudoxii Eduardi Hirenaei Mignot, Episcopi Foroiuliensis.

Metropolitanam Ecclesiam Colonien, vacan, per obitum clar. me. Philippi S. R. E. dum viveret Presb. Card. Krementz, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Theophili Huberti Simar, Episcopi Paderbornensis.

Metropolitanas Ecclesias Acheruntin. et Matheranen, invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per translationem R. P. D. Diomedis Falconio ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Larissensem, favore R. P. D. Raphaelis Rossi, Episcopi Bovensis.'

Metropolitanam Ecclesiam Tolosan. vacan, per resignationem libere ac sponte factam ab Emo ac Rmo Domino Francisco Desiderato S. R. E. titulo S. Sabinae Presbytero Cardinali Mathieu in manibus praefatae SANCTITATIS SUAE ab Eademque admissam, favore R. P. D. Ioannis Augustini Germain, Episcopi Ruthenensis.

Metropolitanam Ecclesiam Pragen, vacan, per obitum clar. me. Francisc<ie Paula S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis de Schoenborn, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Leonis lib. Baronis de Skrbensky, Presbyteri archidioeceseos Olomucensis. Qui ex legitimis, catholicis nobilibusque parentibus in loco *Hausdorf* nuncupato archidioeceseos Olomucensis progenitus et in trigesimo septimo aetatis suae anno constitutus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Lystrensem, vacan, per obitum bo. me. Gonzali Canilla, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Ruiz-Cabal et Rodríguez, Episcopi Pampilonensis et Tudelensis.

Cathedralem Ecclesiam Pampilonen., cui ex Apostolicis Litteris « *Ad Vicariam* » datis nonis Septembris 1851 altera Tudelensis Ecclesia adiuncta extat, vacan, per dimissionem a R. P. D. Antonio Ruiz-Cabal et Rodríguez ultro libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam ab EADEMQUE admissam, ac successivam translationem ad titularem Ecclesiam Episcopalem Lystriensem, favore R. P. D. Iosephi Lopez Mendoza et Garcia, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Episcopi Iacensis.

Catedrales Ecclesias Luceorien. ac Zytomirien. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per obitum bo. me. Cyrilli Lubowidzki, ultimi illarum Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Boleslai Hieronymi Klopotowski, Episcopi titularis Eleutheropolitani et Suffraganei Luecoriensis ac Zytomiriensis.

Cathedralem Ecclesiam de Zacathecas in Republica Mexicana, vacan, per obitum bo. me. Bonaventurae Portillo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Alva, ex Ordine Minorum, Episcopi Iucatani.

Cathedralem Ecclesiam Mandelen. cum ei adnexo titulo Abbatialis Ecclesiae S. Salvatoris Maioris vacan, per translationem R. P. D. Dominici Ambrosi ad unitas Ecclesias Terracinensem, Privernensem ac Setinam, favore R. P. D. Iosephi Gandulfi, Presbyteri Aesini. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Aesi progenitus et in quadragesimo secundo aetatis suae anno constitutus, Romae inter alumnos Pontificii Seminarii Pii receptus, dein munera Professoris philosophiae in seminario ac Vicarii capitularis, sede vacante, adimplevit. Insuper inter Domesticos SANCTITAS SUAE Praesules cooptatus est. Examinator etiam prosynodalis, Vicarius Generalis atque Cathedralis Ecclesiae, Canonicus ad praesens usque renuntiatus est.

Cathedralem Ecclesiam Cotronensem vacan, per obitum bo. me. Iosephi Cavaliere, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore Emmanuelis Merra, Presbyteri Andriensis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Andriae progenitus et in sexagesimo secundo aetatis suae anno constitutus, inter intimos SANCTITATIS SUAE Cubicularios supranumerarios primum ac deinde inter Apostolicos Protonotarios *ad instar participantium* est adscitus.

Cathedralem Ecclesiam Acerrarum vacan, per obitum bo. me. Hyacinthi Magliuolo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci De Pietro, Presbyteri Neapolitani. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Neapoli progenitus et quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, novem ab annis Parochus Ecclesiae sub titulo SSmae Ascensionis renunciatus est.

Cathedrales Ecclesias Gravinen. et Montis Pelusii invicem perpetuo canonice, unitas vacan, per obitum bo. me. Vincentii Salvatore, ultimi illarum Epi-

scopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Christophori Maielio, Presbyteri Aversanae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in oppido vulgo *Aprano* nuncupato Aversanae dioeceseos progenitus et in trigesimo octavo aetatis suae anno constitutus, Examinator prosynodalis ac Vicarius foraneus renunciatus, novissime ad munus Parochi Ecclesiae S. Mariae vulgo *di Costantinopoli* Aversana in urbe est assumptus.

Cathedrales Ecclesias Aquinanten., Pontis Curvi ac Soran. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per promotionem R. P. D. Raphaelis Sirolli ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Iconiensem, favore R. P. Fr. Luciani Bucci, ex Ordine Minorum, Presbyteri archidioeceseos Lancianensis. R. P. Fr. Lucianus» in saeculo Raphael Bucci, ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco -vulgo *Castelnuovo* nuncupato archidioeceseos Lancianensis progenitus et in octavo supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus, Ordinem Minorum a prima iuventa ingressus, variis ac gravissimis in suo Ordine perfunctus est muneribus, praesertim Secretarii Custodiae Terrae Sanctae ac Provicarii generalia Vicariatus et Delegationis Apostolicae Alexandriae Aegypti.

Cathedralem Ecclesiam lacen, vacan, per translationem R. P. D. Iosephi Lopez Mendoza et Garcia ad Sedem Cathedralem Pampilonensem. favore R. P. Fr. Francisci Valdés et Noriega, Ordinis Eremitarum S. Augustini et Presbyteri dioeceseos Ovetensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Eudoxiaden. sub Archiepiscopo Pessinuntio, vacan, per obitum bo. me. Petri Antonii Antivari, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Di Costanzo, Presbyteri Cavensis dioeceseos, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Angeli Michaelis Onorati, Episcopi Tricaricensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Larissensem vacat, per assignationem Tituli Presbyteralis S. Callisti, factam Emo ac Riho Dno Augustino S. R. E. Card. Ciasca, favore R. P. D. Diomedis Falconio, Archiepiscopi Acheruntini et Matheranensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Miren, vacat, per obitum bo: me: Iosephi Mariae Guideiii Guidi, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Ceppetelli, Episcopi titularis Tiberiensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Tyanen. vacat, per promotionem *R.* P. D. Alexandri Samminiatelli Zabarella ad Ecclesiam Patriarchalem Constan tinopolitanam, favore R. P. D. Amilcaris Tonietti, Episcopi Ucinensis.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Edessen. vacat, per obitum bo. me. Philippi Castracanae degli Antelminelli, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ianuarii Granito Pignatelli e Principibus Di Belmonte, Presbyteri Neapolitani.

Cathedrales Ecclesias Terracinen., Privernen. ac Setin. invicem perpetuo canonice unitas, vacat, per translationem R. P. D. Pauli Aemilii Bergamaschi ad Ecclesiam Cathedralem Troianam, favore R. P. D. Dominici Ambrosi, Episcopi Mandelensis.

Cathedralem Ecclesiam Ilcinen. vacat, per promotionem R. P. D. Amilcaris Tonietti ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Tyanensem, favore R. P. D. Iaderis Bertini, Presbyteri Senensis.

Cathedralem Ecclesiam Apuan. vacat, per promotionem R. P. D, Alphonsi Mariae Mistrangelo ad Metropolitanam Ecclesiam Florentinam, favore R. P. Fr.

Angeli, in saeculo Antonii Fiorini, ex Ordine Minorum Capulatorum, Presbyteri eiusdem dioeceseos Apuanae.

Cathedralem Ecelesiam Namurcen, vacat, per obitum bo. me. Stanislai Ioannis Baptistae Decrolière, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Thomae Heylen, ex Ordine Praemonstratensi, Presbyteri archidioeceseos Mechliniensis.

Cathedralem Ecclesiam S. Ludovici de Maragnano in Brasilia vacat, per translationem R. P. D. Antonii Candidi de Alvarenga ad Sedem Cathedralem S. Pauli in Brasilia, favore R. D. Aloisii Francisci Salesii Pessoa, Presbyteri dioeceseos Olindensis.

Ecclesiam Titularem Episcopalem Ascalonitan. sub Archiepiscopo Caesarien, vacat, per obitum bo. me. Alexandri Cañal, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Aloisii Finoia, Presbyteri Neapolitani. Qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Bernardi Antonii de Riso, Episcopi Cathacensis.

Episcopalem Ecclesiam titularem Tiberien, sub Archiepiscopo Scythopolitano vacat, per promotionem R. P. D. Iosephi Ceppetelli ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Myrensem, favore R. D. Aloisii Spandre, Presbyteri archidioeceseos Taurinensis. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Augustini S. R. E. titulo S. Eusebii Presb. Card. Richelmy Archiepiscopi Taurinensis ad pontificalia ceteraque pastoralia munia illa in civitate et archidioecesi de eius lubito ac consensu salubriter et fructuose in Domino obeunda.

Episcopalem Ecclesiam titularem Amisen. sub Archiepiscopo Amaseno vacat, per successionem R. P. D. Ioannis Edmundi Fitzmaurice ad Sedem Cathedralem Eriensem, favore R. P. D. Aquilini Ferreira, Presbyteri dioeceseos Cordubensis in America. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Reginaldi Toro, Episcopi Cordubensis in America.

Episcopalem Ecclesiam titularem Circesien. sub Archiepiscopo Edesseno vacat, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Simon, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Philemonis Cabanillas, Presbyteri dioeceseos Cordubensis in America. Qui etiam deputatus fuit in alterum Auxiliarem R. P. D. Reginaldi Toro, Episcopi Cordubensis in America, ad pontificalia ceteraque pastoralia munia illa in civitate et dioecesi de eius lubito ac consensu salubriter et fructuose in Domino obeunda.

Cathedralem Ecclesiam Foroiulien. vacan, per promotionem ad Sedem Metropolitanam Albiensem R. P. D. Eudoxii Eduardi Hirenaei Mignot, favore R. D. Iosephi Eugenii Arnaud, Presbyteri dioeceseos Massiliensis, ad nominationem perillustris Viri Aemilii Loubet Gallicae Reipublicae Praesidis.

Cathedralem Ecclesiam Bellovacen. vacan, per promotionem R. P. D. Friderici Fuxet ad Metropolitanam Ecelesiam Rothomagensem, favore R. D. Mariae Coelestini Douais, Presbyteri dioeceseos Montis Pessulani, ad nominationem per illustris Viri Aemilii Loubet Gallicae Reipublicae Praesidis.

Cathedralem Ecclesiam Gratianopolitan. vacan, per obitum bo. me. Amandi Fava, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Pauli Aemilii Mariae Ioseph Henry, Presbyteri archidioceseos Algeriensis.

Cathedralem Ecclesiam Adiacen. vacan, per obitum bo. me. Pauli Matthaei de la Foata ,ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Aloisii Olivieri, Presbyteri dioeceseos Adiacensis.

***Cathedralem Ecclesiam Lingonen.* vacan, per dimissionem sponte ac libere factam a R P. D. Alphonso Martino Larue in manibus SANCTITATIS SUAE ab Eademque admissam, ac successivam promotionem ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Pelusianam favore R. D. Sebastiani Herscher, Presbyteri dioeceseos Argentinensis.**

***Cathedralem Ecclesiam Engolismen.* vacan, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Frérot ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Ludovici Mando, Presbyteri dioeceseos Briocensis.**

***Cathedralem Ecclesiam Tarbien.* vacan, per obitum bo. me. Prosperi Mariae Billère, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Xaverii Schoepfer, Presbyteri dioeceseos Argentinensis.**

***Cathedralem. Ecclesiam Corisopiten. et Leonen,* vacan, per obitum bo. me. Henrici Felicis Valleau, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Virgilii Dubillard, Presbyteri archidioeceseos Bisuntinae.**

***Cathedralem Ecclesiam Ruthenen.* vacan, per promotionem R. P. D. Ioannis Augustini Germain ad Metropolitanam Ecclesiam Tolosanam, favore R. D. Ludovici Eugenii Francqueville, Presbyteri dioeceseos Ambianensis.**

***Cathedralem Ecclesiam Einen,* vacan, per obitum bo. me. Natalis Matthaei Victoris Mariae Goussail, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iulii Mariae Ludovici de Carsalade du Pont, Presbyteri archidioeceseos Auxitanae.**

***Cathedralem Ecclesiam S. Petri seu Martinicen.* vacan, per obitum bo. me. Iosephi Stephani Friderico Tanoux, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Mariae Caroli Alaphridi de Cormont, Presbyteri Parisiensis.**

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

MONITA excerpta ex constitutione Benedicti XIV quae incipit ***Convocatis*** et ex altera cuius exordium ***Inter praeteritos*** de usu facultatum confessariis tributarum occasione Iubilaei edita eorumdem confessariorum commoditati iussu Sanctissimi Domini Nostri Leonis divina providentia Papae XIII.

Singulares ad expiandos animos facultates, quae sacri Iubilaei causa Poenitentiariis minoribus et Confessariis ab Apostolica Sede demandari solent, perspicuum est, intelligenter et caute, hoc est ratione et iudicio administrari oportere. Si temere, si inconsiderate neglígenterque adhibeantur, in perturbationem disciplinae facile cadent, imo finem ipsum, quo spectant natura sua, quod est bonunî animarum verum et solidum, non tam assequeniur quam frustrabuntur. Idcirco Benedictus XIV cum facultates extra ordinem, sacri Iubilaei gratia, dedisset per

Constitutionem Apostolicam ***Convocatis***, de prudenti rectoque earum usu ***Monita*** attexuit iussis gravi auctoritate Confessariis intendere ad ea animum acriter, eademque sic sequi ut normam maxime tutam inviolateque servandam.

Idem placuit Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII: qui scilicet eius consilii sapientia atque utilitate perspecta, decessoris sui exemplum imitatione renovandum iudicavit. Videlicet iis ipsis Litteris Apostolicis, quas de ***facultatibus*** nuper dedit, Monita illa Benedictina separatim publicari ad commoditatem ac normam Cofessariorum iussit, nonnihil tamen immutata convenienter tempori, ita ut intelligi observarique eo modo debeant, quo infra scripta sunt:

I. Primo meminerint Confessarii firma perstare quae in Constitutione ***Sacramentum Poenitentiae*** de complici in sexto a Benedicto XIV statuta sunt an. 1741. Excepto quidem crimine absolutionis complicis, quod semel aut bis admissum fuerit, quo in casu facultas conceditur.

II. Advertant, absolutiones, commutationes, dispensationes, quarum ipsis potestas collata est, non posse a se exerceri extra actum sacramentalis Confessionis, neque easdem a poenitentiariis minoribus tum ordinariis, tum extraordinariis posse exerceri extra suam cuiusque basilicam vel ecclesiam, nisi in casibus alias sibi a Maiori Poenitentiario permissis vel permittendis; vel in casu administrandi Poenitentiae Sacramentum alicui infirmo, qui cum corporalis aegritudinis causa ad Basilicas seu Ecclesias ipsis respective designatas accedere personaliter nequeat, eorum aliquem arcessendum duxerit, ut Confessionem Sacramentalem pro Iubilaei consecutione apud ipsum expleat ***{ex*** § 25).

III. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem Iubilaei per eumdem poenitentem consequendi ***{ex*** § 26).

IV. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant quam parti laesae poenitens satisfecerit: vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi serio promittat se satisfacturum, cum primum poterit.

V. In publicis Censuris, quarum absolutio est Poenitentiariis minoribus impertita, satisfactione praedictae consulatur iuxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus

erit poenitens cum libello supplici, in quo, expresso nomine, cognomine ac dioecesi poenitentis, et casu huiusmodi publicae censurae subiecto, scribat subtus Confessarius testimonium absolutionis ab eadem censura concessae: inde enim ex Poenitentiariae Officio recipiet Breve in forma ***Missi vel remissi*** iuxta ipsius Officii praxim ***{ex eadem Bulla*** §§ 5 ***et*** 27).

VI. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad Monasterium illud, eiusque Ecclesiam, monendo poenitentes, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras. Quod si eae sint poenitentis ac locorum circumstantiae, ut executioni mandari nequeat praescripta isthaec conditio, consulatur Cardinalis Maior Poenitentiarius, qui pro sui prudentia, ubi ita necessitas postulant, dispensare super eadem poterit ***{ex*** § 28).

VII. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad "malum finem ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda nullatenus cum iisdem dispensent ***{ex*** § 29).

VIII. A lectione prohibitorum librorum, eorum praesertim qui in Const. ***Apostolicae Sedis*** designantur, non ante absol" vant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario vel ipsi Confessario aut alii facultatem eosdem retinendi habenti tradiderit, vel se, quamprimum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat ***{ex*** §30).

IX. Regulares a suo Ordine apostatas vel fugitivos non absolvant, quamdiu extra Ordinem permanserint, nisi firmum propositum gerant ad suum Ordinem redeundi; quibus tamen idoneo tempore ad id exquendum praefinito, absolutionem elargiantur cum reincidentia, ut eo termino elapso intelligant, se fore relapsuros in eamdem sententiam et censuras, quibus ante erant innodati: et durante dicto termino moneantur, ipsis esse prohibitum exercitium sacrorum Ordinum, donec habitum resumpserint et ad Religionem redierint sub obedientia Superiorum ***(ex*** § 32 ***et ex tabella faeult. Poenitentiariis tribut.)***

X. Personis Romam ad Iubilaeum consequendum venire volentibus, non intelligitur data veniendi libertas sine obtento

alias necessario suorum respective Superiorum consensu (*ex* § 43).

XI. Romanorum appellatione, quoad visitationes quatuor Basilicarum per viginti dies peragendas, comprehenduntur omnes et singuli nati atque habitantes Romae, sicut etiam nati atque habitantes in Suburbano vinearum tractu intra quintum ab Urbe lapidem. Incolarum autem nomine ad eumdem effectum intelliguntur omnes illi, qui certum aliquod officium in Urbe obtinent, vel cum spe illud obtinendi moram ibidem trahunt, ideoque in ipsa quasi domicilium acquirunt, omnesque illi qui ad eamdem Urbem vel ad aliquem Suburbanum locum intra quintum lapidem, ut supra, se contulerunt alia quacumque de causa, quam praesentis Iubilaei lucrandi, vel, si ipsius lucrandi causa ad Urbem accesserint, eo tamen animo sunt, ut per maiorem anni partem, seu ultra sex menses, ibi commorentur. Reliqui omnes Peregrinorum aut Externorum nomine, quoad visitationes earumdem Basilicarum per decem dies agendas, se comprehensos intelligant (*ex* § 44).

XII. Confessionem et Communionem, ad Iubilaeum lucrandum iniunctas, haud necesse est visitationibus quatuor Basilicarum praemittere. Satis erit vel huiusmodi visitationum decursu vel etiam iisdem expletis, Confessionis et Communionis Sacramenta suscipere (*ex* § 45).

XIII. Cum Confessio Sacramentalis sit opus iniunctum peragenda etiam erit ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si lucrari Iubilaeum velit (*ex* § 46).

XIV. Si quis post Confessionem peractam, in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera ad Iubilaeum lucrandum iniuncta expleverit, Confessionem denuo praemittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis iniunctis operibus expleat, ut Indulgentiam Iubilaeo adnexam consequatur (*ex* § 47).

XV. Quamvis iniuncta Communio sit, pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, neque intra Annum Sanctum, Parochi proprii vel Confessari iudicio, admittendi videantur, censeri possunt ab isto iniuncto opere legitime impediti, eisdemque Communio in aliud pium opus, arbitrio Confessarii praescribendum, commutabitur (*ex* § 48).

XVI. Ad iniunctam Basilicarum visitationem perficiendam non opus est in easdem Basilicas per Portas Sanctas vel per harum' aliquam ingredi vel regredi (*ex* § 49).

XVII. Si quod super veniat Indultum, quo visitationum numerus initio praescriptus ad minorem redigatur, quisquis ante eiusmodi indultum visitationes Basilicarum per aliquas vices peregerit, visitationes a se iam peractas utiliter ipse computare poterit ad conficiendum numerum visitationum eo indulto praescriptarum, superaddendo nimirum alias, quae desint ad explendam summam indulto praefinitam. Si vero summam seu numerum Indulto praefinitum antea iam expleverit, vel etiam excesserit, unum saltem diem visitationis quatuor Basilicarum praeterea adiungat, ut indulti beneficio uti valeat ***(ex** § 50 **et ex Const. Inter praeteritos*** § 82).

XVIII. Iniunctae piae preces, in singularum visitatione Basilicarum, ad fines Sanctitati Suae propositos et in Bulla indictionis expressos, effundendae, satis erit si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines orare voluerit, laudandus est ; aliquam tamen etiam vocalem orationem adiungat ***(ex*** § 51).

XIX. Qui per Anni Sancti spatium bis aut pluries omnia et singula opera, primitus in huius Iubilaei indictione praescripta, vel superveniente forsan aliquo indulto ea quae in ipsius Indulti concessione pro eiusdem Iubilaei consecutione praescribuntur, plene iteraverit; vel prius ad Indictionis, deinde ad Indulti formam, vel prius ad formam Indulti unius, deinde ad alterius fortasse diversi formam, ut praefertur, iteraverit, bis quoque aut pluries poterit Anni Sancti Iubilaeum lucrari. Ita enim habita ratione annui spatii, ad quod huiusmodi Iubilaeum protenditur, placuit Sanctitati Suae de Apostolicae liberalitàtis plenitudine indulgere, ita tamen ut qui semel illarum gratiarum particeps factus est prima vice qua Iubilaeum consecutus est seu qua omnia praescripta opera implevit, iterum earum particeps fieri non poterit, si post primam Iubilaei acquisitionem iterum in censuras incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel novis votorum dispensationibus aut commutationibus indigeat ***(Convocatis*** §52 - ***Inter praeteritos*** § 84).

Si vero forte alicui huiusmodi gratiarum necessitas tunc solum occurrat, postquam iam acquisiverit Iubilaeum, seu postquam omnia opera praescripta impleverit, semel iisdem gratiis eum gaudere posse Sanctitas Sua benigne concedit.

XX. Absolutio a censuris, praeter eas quae datae sint ad reincidentiam ; item commutationes votorum et dispensationes iuxta concessas Iubilaei anno respectivas facultates, semel ob-

tentae, permanent in suo vigore, etiamsi contigerit, eum qui illas iam obtinuerat, mutato postea, quod prius habuerat, sincero et serio proposito Iubilaeum hoc lucrandi ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, de eodem Iubilaeo consequendo amplius non laborare ***(ex*** § 54).

XXI. Suspensio facultatum absolvendi, dispensandi etc. pro Anno Sancto denunciata per Apostolicas Literas Sanctissimi Domini Nostri datas Pridie Kal. Octobris vertentis anni non comprehendit ipsam Romanam Urbem, in qua hoc maxime anno praestat Operariorum copiam et auxilia pro expediendis poenitentibus non imminui. Quicumque ergo in eadem Alma Urbe huiusmodi facultatibus alioquin legitime muniti reperiantur, easdem per hunc quoque annum in ipsa Urbe, iuxta tenorem ac praefinitum tempus uniuscuiusque concessionis alias obtentae, exercere libere poterunt ***(ex*** § 55).

XXII. Extra Urbem vero servanda omnino erit suspensio facultatum in memoratis Litteris praescripta, per quam non modo facultates illas, quae causa vel occasione Indulgentiarum concessae fuerint, verum etiam ceteras quaslibet quocumque alio titulo et causa concessas, praedicto anno durante, suspensas esse et censeri debere declarat Sanctitas Sua; illis dumtaxat exceptis, quae ab ipsa generali suspensione memoratis Litteris fuerunt praeservata e ***(ex*** § 56).

XXIII. Meminerint insuper, ***vere poenitentes et confessos*** eos dumtaxat intelligi, qui Confessionem actualem rite emiserint: eam proinde omnino necessariam esse ad Iubilaeum assequendum, nec Confessionem ***in voto*** sufficere. Item Communionem ***Sacramentalem simul et spiritualem*** peragendam esse, quae nimirum iuxta Tridentini Concilii monitum ***(Sess. 13, cap. 8),*** illorum est, ***qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam mensam accedant:*** hinc Iubilaeum non lucrari nec qui ***sacramentaliter dumtaxat*** Eucharistiam sumunt, ut ***peccatores:*** nec qui ***spiritualiter*** tantum, qui nimirum voto illum caelestem panem edentes, fide viva quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt. (Ex Constit. Bened. XIV. - ***Inter praeteritos*** §§ 2. 7).

XXIV. Visitatio quatuor Basilicarum in ¡uno die fieri debet, vel nimirum ab una ad alteram mediam noctem, vel a vesperis diei praecedentis usque ad subsequentis vespertina crepuscula ***(Ex Bulla cit.*** §§11. 13).

XXV. Noverint Poenitentiarii minores, aliique Confessarii peculiaribus, Iubilaei causa, facultatibus instructi, non obstante amplitudine verborum super omnibus peccatis et excessibus quantumlibet gravibus et enormibus, interdictum sibi esse quidquid in Constitutione « ***Pastor bonus*** » Cardinali Poenitentiario Maiori interdictum est, prout essent ex. gr. qui vivente Romano Pontifice circa Successoris electionem tractatus inierint, suffragia comparaverint, aut pactiones fecerint, et qui Astrologia iudiciaria vel per se vel per alios de statu reipublicae christianae, sive de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquisìerint. Quod si aliquis ex praedictis casibus iisdem occurrat, adeant Cardinalem Maiorem Poenitentiarium, **cui** opportuna et necessaria remedia a Sanctitate Sua praescribentur. ***(Ex Bulla cit.*** § 39).

XXVI. Facultas ***commutandi vota dispensando*** distinguitur a sola ac simplici commutatione, quae subrogationem exigeret materiae fere aequalis : sed commutatio mixta cum dispensatione est capax verae inaequalitatis inter materiam voti et rem subrogatam.

XXVII. Cum visitatio Basilicarum non sit opus, ad quod praecepto ullo quis obligetur, sed novum onus ad consequendam Indulgentiam impositum, commutatio eiusdem fieri nequit in alia opera, ad quae poenitens ex alio titulo sit adstrictus ***(ibid.*** § 53).

Quae quidem Monita in memoratis Benedicti XIV Constitutionibus luculenter proposita, mandavit Sanctissimus Dominus Noster in lucem iterum tradi, ut ex ipsorum praescripto tutissima in animarum procuratione regula praesto sit; atque ut praesenti eorumdem collectioni fides habeatur, ab aliquo ex Sacrae Poenitentiariae Officiali, addito eiusdem Tribunalis sigillo, subsignari iussit.

Datum Romae ex sacra Poenitentiaria anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo nono, Kalendis Novembris[1], Pontificatus SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII anno vicesimo secundo.

EX EADEM S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Quaesitum est: An facultates Episcopis vel Ordinariis a S. Sede *pro foro externo* concessae suspensae sint per Bullam « Quod Pontificum » tempore Iubilaei ?

S. Poenitentiaria respondet: Negative. Datum Romae in S. Poenitentiaria die 26 Decembris 1899.

A. CARCANI, S. *P. Reg.*

A. Can. MARTINI, /S. P. *Secr.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

LITTERAE quoad facultatem sese devovendi sacro Cordi iesu.

Perillustris et Rfhe Domine,

Quam encyclicis Litteris « *Annum Sacrum* » datis die 25 mensis Maii huius anni « *de hominibus Sacratissimo Cordi Iesu devooendis* » SSiîius Dominus Noster Leo PP. XIII spem expressit atque fiduciam, fore ut maxima inde bona, nedum in singulos, verum etiam in universam christianam Familiam derivarent ; eam singularis quidam christiani populi consensus ac prompta voluntas confirmavit atque auxit. Nam simul ut supremi Pastoris audita vox est compellantis orbem ut divinam caritatis Victimam sibi demereret totumque se Illi manciparet, statim populus romanus imprimis, exinde vero jnon Italia solum, sed omnis Europa dissitaeque quamplures regiones visae sunt quasi mutuo certa re, ut Summi Pontificis votis ac voluntati sese morigeras exhiberent. Quae omnia quanto gaudio cumularint Sanctissimum Patrem satis quidem significavi [litteris diei 21 mensis Iulii huius anni, quibus Ipsius Pontificis nutu ac nomine Tibi et singulis e tuo Clero magnopere gratulabar, agebamque gratias.

Nunc vero allatum est, memoratas encyclicas Litteras ad remotiores regiones quasdam serius pervenisse, quam definitum rei peragendae tempus postularet. Quamobrem Sanctitati

Suae supplices preces oblatae sunt, ut harum etiam pio desiderio satisfieret, facta ipsis potestate sese devovendi Sacratissimo Cordi Iesu, iisdem conditionibus, ac si cum ceteris legitimo tempore solemne hoc religionis testimonium edidissent. Cui petitioni Beatissimus Pater benigne annuens, quin etiam largius indulgens, concessit ut non modo fideles, ad quos encyclicae Litterae tardius pervenerunt, sed omnes qui consecrationis iteraverint formam die solemni Sanctissimo Cordi Iesu sacra proximi anni, vel dominica proxime sequenti, ac cetera praescripta servaverint, de privilegio prorsus singulari iisdem fruantur indulgentiis, quae in memoratis Apostolicis Litteris expressae sunt.

Ex his facile intelligi potest, quam curae sit Summo Pontifici haec forma pietatis atque omnium quotquot in orbe sunt dedicatio Sacratissimo Cordi Iesu. Confidit enim Beatissimus Pater, sicut edixit, tum denique fore ut sanentur tot vulnera inflicta hominum societati, ut ius omne ad pristinae auctoritatis exemplum revirescat, ut restituantur ornamenta pacis, quum *« omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris ».*

Spem certam foveo, singulos Antistites de studio atque industria, cuius tam praeclarum specimen huc usque ediderunt, nihil cessuros in posterum ut quamplurimi Ecclesiae Filii utentes ad salutem Apostolicae liberalitatis munere, acquirantur Christo, et « *hauriant aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* ».

Interim Amplitudini Tuae fausta cuncta ex animo adprecor.

Romae, ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis die 27 Novembris anno 1899.

Amplitudinis Tuae

uti Frater addictissimus

C. CARD. MAZZELLA, *S. B. C. Praefatus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. B. C, Secretarius.*

FACULTAS indulgetur celebrandi missam media nocte diei 31 Decembris 1899.

Urbis et Orbis.

Anni saeri a Beatissimo Patre et Domino Nostro Leone XIII feliciter indicti proxime celebraturus initia, summopere decet nocte surgentes adire saeculi Auctorem, ad eius aras provolvi, acceptissimam offerri Hostiam, divinum scilicet Agnum, sacro convivio interesse, ut opportuno maxime tempore liceat auxilium, gratiam, misericordiam invenire : *Nunc enim propior est salus. Ecce nunc tempus acceptabile; ecee nunc dies salutis.* Quod si regnum caelorum, id est praesentis temporis Ecclesia, simile esse perhibetur decem virginibus sponso de nocte occurrentibus, hac potissimum solemni faustitate licet unicuique mentem accuratius in sacra illa verba intendere: *Aptate vestras lampades; ecce sponsus venit, exite obviam ei.*

Cum insuper media nocte postremae diei mensis Decembris futuri anni praesens absolvatur saeculum novumque habeat initium, valde congruum est, ut pio quodam ac solemni ritu Deo gratiae agantur pro acceptis huius decursi saeculi beneficiis, et potiora impetrentur, urgente praesertim necessitate temporum, ad novum saeculum auspicato ineundum.

Itaque ut imminens annus MCM ab implorata Dei ope Eiusque Unigeniti Filii Servatoris nostri sumat auspicia idemque prospero cursu finiatur, longe felicius, uti sperare fas est, allaturus aevum; SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne concedit ut die 31 mensis Decembris, tum labentis, tum ad venturi anni, media nocte in templis ac sacellis ubi SSiïia Eucharistia rite adservatur, iuxta prudens arbitrium Ordinarii, sui cuiusque loci, exponi possit adorandum idem Augustissimum Sacramentum ; facta potestate legendi vel canendi eadem hora coram illo unicam missam de festo in Circumcisione Domini et Octava Nativitatis; fidelibus autem sive infra sive extra Sacrificii actionem, de speciali gratia, sacram synaxim recipiendi: servatis ceterum servandis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Novembris, anno 1899.

C. CARD. MAZZELLA, *S. B. C. Praefectus.*

L. © S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

URBIS ET ORBIS. Extenditur ad universam Ecclesiam, addita Doctoris qualitate, officium et Missa s. Bedae Venerabilis.

Quo Sancti Bedae Venerabilis, tot illustrium scriptorum et summorum Pontificum praeconiis condecorati, honor et cultus augeatur, complures sacrorum Antistites, praesertim ex Anglia, supplicibus ad Pium Papam IX fel. rec. litteris, et nuperrime iteratis precibus Sanctissimo Domino Nostrd Leoni Papae XIII porrectis, enixe postularunt, ut dies festus huius sancti ac praeclari Confessoris in toto Catholico orbe agi valeat cum Officio et Missa propria Ecclesiae Doctoris, prouti aliquibus locis atque universis sodalibus Benedictinis et Cisterciensibus iamdiu concessum fuit. Illud etiam Ven. Card. Bellarmini effatum ingenti cum animi gaudio atque spe com memorarunt: ***Beda Occidentem. Damascenus Orientem sapientia sua illustravit;*** insimul asserentes ea omnia quae iuxta Benedictum XIV in Opere de Canonizatione Sanctorum lib. IV, part. 2, cap. 11, n. 13 pro adiudicando titulo Ecclesiae Doctoris necessaria sunt, Sancto Bedae apprime convenisse.

Placuit autem ipsi Sanctissimo Domino Nostro eiusmodi tam gravis negotii examen Sacrorum Rituum Congregationi committere. Quae, exquisito prius doctissimi viri suffragio typis cuso, in Ordinariis Comitiis die 11 Iulii hoc vertente anno ad Vaticanum habitis, infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Relatore, sequens dubium discutiendum atque expendendum suscepit: « An sit extendendum ad universam Ecclesiam festum S. Bedae Venerabilis cum Officio et Missa propria, addita Doctoris qualitate? » Et Sacra eadem Congregatio, omnibus rite perpensis, auditoque R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: « Supplicandum Sanctissimo pro extensione Officii et Missae S. Bedae Venerabilis ad Universam Ecclesiam, addita Doctoris qualitate ». Quam resolutionem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab ipso infrascripto Cardinali relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et confirmavit, atque insuper, ex ipsius Sacrae Congregationis consulto, concedere dignata est, ut Festum S. Bedae Venerabilis cum Officio et Missa propria Confessoris et Ecclesiae Doctoris, prouti haec approbata sunt, die 27 Maii, quae est natalitia, eaque impedita iuxta Rubricas, die prima insequente libera, ab universa Ecclesia sub ritu duplici minori

inde ab anno 1901 in posterum recolatur. Tandem idem Sanctissimus Dominus noster supradictum Officium cum Missa de S. Beda Venerabili, sub enunciato ritu in Kalendario Universali et in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani deinceps inseri iussit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Novembris 1899.

C. CARD. MAZZELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, 5. *R. C. Secretarius.*

MINORICEN. Dubia varia.

R. D. Ioannes Barber Pons, Ecclesiae Cathedralis Minoricensis Beneñciarius et Sacrarum Caeremoniarum Magister, de Rmi sui Episcopi consensu, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi resolvenda humillime proposuit, nimirum:

Dub. I. An Officium votivum S. Iacobi Maioris Apostoli, quod ex Indulto s. m. Clementis Papae IX, recitabatur feriis secundis non impeditis in Hispaniae dioecesibus, et nunc persolvi potest loco Officii votivi de Sanctis Apostolis pro feria tertia assignati, iuxta decretum Urbis et Orbis diei 5 Iulii 1883, transferri possit ad feriam tertiam, in illis Hispaniae dioecesibus, ubi Officia votiva pro singulis hebdomadae diebus non sunt pro Communitatibus adoptata?

Dub. II. An in dioecesibus, ubi Officia votiva pro singulis hebdomadae diebus decreto 5 Iulii 1883 concessa, non fuerint adhuc adoptata, possint ulterius semel pro semper eligi?

Dub. III. An pro commemoratione S. Antonii Abbatis, huius dioecesis Minoricensis Patroni, de quo concessum est Officium proprium a Ssmo Dno Nostro Leone Papa XIII, dici possit in suffragiis Sanctorum antiphona propria de secundis Vesperis festi : « Hodie Beatus Antonius, hilari vultu Sanctos Angelos intuens, tamquam si amicos videret, migravit in coelum...», omisso « Hodie » ?

Dub. IV. An omnes ad medium chori accedentes et recedentes unico genu flectere teneantur, Canonicis exceptis, quum non sit in altari maiori Ssmum Sacramentum reconditum?

Dub. V. An post Missam solemnem, qua Anita, benedictio cum Ssmo Sacramento datur, dum Celebrans et ministri recedunt ab altare ad scamnum in cornu Epistolae, ut ibi Celebrans exuat casulam et manipulum, induatque pluviale, ac ministri manipulos deponant, debeant coram SS. Sacramento discooperto in ipso altari, ubi Missa celebrata est, in plano utroque genu flectere, aut unico genu in gradu infimo altaris?

Dub. VI. An consuetudo utendi cingulo ad instar fasciae tolerari possit?

Dub. VII. An toleranda consuetudo utendi fundo caerulei coloris sub velo translucenti in fimbriis et manicis albarum?

Dub. VIII. Dum dicitur « Fidelium animae » in fine officii, estne manu producendum signum Crucis ad instar benedictionis?

Dub. IX. Thurificatio Ssmi Sacramenti estne facienda duplici ictu in triplici ductu, etiam intra Missam solemnem, ante Introitum et ad Offertorium?

Dub. X. Cereus Paschalis, debetne ardere, dum cantatur Missa in Vigilia Pentecostes?

Dub. XI. Ante SS. Sacramentum discoopertum tenentur, ne semper utroque genu flectere, iuxta decretum 937 - 1627, d. d. 19 Augusti 1651, ad 6, etiam processionibus interessentes imo et pluvialibus induti?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Servetur Indultum sa. me. Clementis Papae IX.

Ad II. *Affirmative* iuxta ipsum decretum Generale.

Ad III. *Pro gratia.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. Iuxta praxim Ecclesiarum Urbis, *in plano utroque genufieetitur.*

Ad. VI. Tolerari potest enunciata consuetudo ubi viget, donec cingula hucusque adhibita, consumentur.

Ad VII. *Affirmative* et detur decretum n. 3780 d. d. 12 Iul. 1892, ad V.

Ad VIII. *Negative.*

Ad IX. *Affirmative* iuxta decretum 3110-5318 d. d. 22 Martii 1862, ad 20.

Ad X. *Negative,* et servetur specialis Rubrica Missalis.

Ad XI. ***Affirmative,*** si agatur de accedentibus et recedeniibus, iuxta citatum decretum.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1899.

C. CARD. MAZZELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. © S.

DIOMEDBS PANICI, <S. *R. C. Secretarius.*

ADDITIO ad VI lectionem Breviario Romano inserenda in dedicatione Archibasilicae SSmi Salvatoris.

Quod autem Pius nonus perficiendum censuerat, Leo decimus tertius, cellam maximam, vetustate fatiscentem, ingent molitione producendam laxandamque curavit, vetus musivum, multis iam antea partibus instauratum, ad antiquum exemplar restitui et in novam absidem, opere cultuque magnifico exornatam, transferri, aulam transversam laqueari et contignatione refectis expoliri iussit, anno millesimo octingentesimo octuagesimo quarto, Sacrario, aede canonicorum, perpetuaque ad Baptisterium constantinianum porticu adiectis.

Concordat cum originali approbato.

In fidem etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis, die 17 Novembris 1899.

L. & S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

NUCERINA PAGANORUM. Beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Caesaris Sportelli sacerdotis professi e Congregatione SSmi Redemptoris.

Sancto et Apostolico viro'Alphonso Mariae de Ligorio quem cum sua religiosa familia in Ecclesiae praesidium et incrementum Deus Optimus Maximus opportuno tempore excitavit, praecipuum adiutorem atque alterum veluti auctorem Congregationis Ssrñi Redemptoris divina Providentia adiunxit Servum Dei P. Caesarem Sportelli. Hic, die 19 Iunii anno 1701 Mola Bariensi natus ex piis honestisque parentibus Bernardino et Barbara Pavia, inde a pueritia mitem et ad sacra proclivem praetulit

indolem. Annum decimum sextum aetatis agens Neapoli humanioribus et severioribus disciplinis sedulam dedit operam laude et praemio pluries cohonestatam. Eximii sacerdotis Falcoia e Piis Operariis, postea Episcopi Stabiensis, usus est consilio, cuius etiam regimini in spiritualibus se totum subiecit. Emenso utriusque iuris curriculo, inter Doctores et Advocatos Neapolitanae Curiae relatus est; atque in agendis causis egenorum rationes libentius suscipiebat tuendas opera et impensis suis. Erudiendis educandisque puellis prospicere cupiens, a sua genitrice adiutus Institutum Piarum Magistrarum Roma Neapolim deduxit. Adhuc laicus quasi angelus consolator publica valetudinaria frequenter adibat, et suae pietati indulgens plures horas in templo coram Ssmo Eucharistiae Sacramento vel ante Deiparae Virginis imaginem devote insumebat. Meliora aemulatus charismata, persequi statuit vestigia Beati Alphonsi de Ligorio qui forensi curia relicta et clericali militiae adscriptus iam prima Congregationis Ssmi Redemptoris iecerat fundamenta. Eidem libentissime se dedit comitem anno aetatis suae trigesimosecundo, atque in eius fide iugiter mansit, peculiarem finem pro viribus tuendo novae Congregationi a legifero patre praestitutum, sacrarum missionum. Sacerdotio insignitus a praelaudato Falcoia, qui ad Episcopalem sedem Stabiensem iam fuerat evectus, iisdem sacris missionibus constanter adlaboravit. Hisce aliisque inspectis, ipsomèt S. Alphonso imperante, plurium domorum rector et universae Congregationis a consiliis fuit. Tandem infirmitatibus et laboribus fractus, imminentem obitum praesentiens, extrema Ecclesiae sacramenta recepit, atque elatis in caelum oculis piissimam animam Deo reddidit die 19 Aprilis anno 1750 in Festo Patrocinii S. Ioseph Sponsi B. M. V. Eius sanctitatis fama in vita et post mortem celebrata atque in dies magis clara et perdurans pluribus confirmata est attestationibus tum iudicialibus per Ordinarium Processum Nucerinum Paganorum super ea constructum, tum extraiudicialibus per litteras postulatorias complurium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum, cleri et populi Nucerini, atque ipsius Rmi P. Matthiae Raus, Rectoris Maioris Instituti Ssmi Redemptoris, de Causa beatificationis et canonizationis huius Servi Dei rite introducenda. Quibus omnibus a Rmo P. Claudio Benedetti eiusdem Instituti Postulatore Generali ad Sacram Rituum Congregationem delatis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Hiero-

nymus Gotti huius Causae Relator, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit : « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?»* Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu Commissionem esse signandam, si Sanctissimo placuerit.* » Die 28 Novembris 1899.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Caesaris Sportelli, sacerdotis professi e Congregatione SSmi Redemptoris, die quarta Decembris eodem anno.

C. CARD. MAZZELLA *S. R.* C *Praefectus.*

L. & S.

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius.*

VICEN. Beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Antonii Mariae Claret archiepiscopi s. Iacobi de Cuba deinde traianopolitani fundatoris Congregationis missionariorum filiorum Immaculati Cordis B. M. V.

Inter hispanos ecclesiae praesules qui Oecumenico Concilio Vaticano interfuerunt, vir opere, sermone et sanctimoniae fama clarus exhibetur Dei Famulus Antonius Maria Claret, Archiepiscopus Traianopolitanus et fundator Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. In oppido *Sallentj* dioecesis Vicensis, die 23 Decembris anno 1807 ex parentibus magis virtute quam censu praeditis ortus, in templo paroeciali sacro baptismate ablutus est. Optima disciplina institutus et sacramento confirmationis iam roboratus, decennis ad sacram synaxim primum accessit. Studio cathechismi ac piis lectionibus incumbens, etiam pueros in his erudiebat et ad devotionem quam ipse fovebat, erga SSmum Eucharistiae Sacramentum et Deiparam Virginem studiose excitabat. Ad sacra ministeria vocatus et vix latinae linguae rudimentis imbutus,

anno 1825 praeceptorem per obitum amisit Inde a patre Barcinonem missus artem textoriam speciali industria et peritia didicit. Morem gerens genitori, suae etiam vocationi consulebat, artem exercens et studiis vacans. Interim vitae periculum passus, et, auxiliante Beatissima Virgine, incolumis servatus, perfectioris status ingrediendi consilium aperuit patri, quo annuente, annum aetatis vigesimum secundum agens, Barcinone relicta, Vicum se contulit, ubi inter Seminarii alumnos cooptatus litteris sacrisque disciplinis decem annos impendit. Ter diversos ordinum gradus ascensus, die 13 Iunii anno 1835 sacerdotio ornatus est, et in Festo S. Aloisii Gonzagae primum sacrum devotissime litavit. Sacerdotis et oeconomi parochi muneribus in patrio oppido ***Sallent*** egregie functus, Catalauniam Provinciam atque insulas Canarias sacris expeditionibus peragrandas suscepit, studio iugiter incensus animarum salutis provehendae. Anno 1849 Vici Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. Congregationem, de religiosa et civili societate benemerentem, instituit; quae deinceps ab Apostolica Sede approbata in Hispania atque in aliis nationibus propagata est. Verum paulo post Dei Famulus Romani Pontificis voluntati parens, die 6 Octobris anno 1850 Archiepiscopus S. Iacobi de Cuba consecratus est. Adhibita opera tredecim Sacerdotum et duodecim Sororum S. Vincentii de Paulo quos secum adduxerat, insulam illam excolere sategit. Quum pastorali regimini nuncium dare excogitaret, a Regina confessionibus audiendis electus in Hispaniam revertitur, a qua tamen ex Summi Pontificis mandato cubanam ecclesiam regere pergit, donec die 13 Iulii anno 1860, in locum Servi Dei alio Archiepiscopo Cubano suffecto, Antonius Archiepiscopus tit. Traianopolitanus renunciatur. Muneri sibi delato ita satisfecit ut ipsa aula regia et Matritensis civitas eius benefacta expertae sint. Devotionem erga Ecclesiam et Apostolicam Sedem pluries ostendit Famulus Dei, praesertim in Sessionibus Oecumenici Concilii Vaticani. Tandem Roma Fontem Frigidum profectus, ibi post duos menses nervorum tremore correptus est; atque, ingravescente morbo, per manus Superioris Generalis suae Congregationis P. Iosephi Xifrè Sanctissimo Viatico refectus, die 24 Octobris anno 1870 obdormivit in Domino. Interim quum ex tabulis processualibus ordinariis exhibitis constare videretur tum de concursu cleri et populi ad funus et sepulchrum Servi Dei, qui in templo Vicensi suae Congrega-

tionis quiescit, tum de fama sanctitatis, virtutum et miraculorum, in vita et post obitum, magis in dies crebrescente, ad instantiam Rmi P. Hieronymi Batlló, Procuratoris Generalis praedictae Congregationis Missionariorum et huiusce Causae Postulatoris, attentisque litteris postulatoriis aliquorum Emorum S. R. E. Cardinalium et plurium Rmorum Sacrorum Antistitum, necnon Capitulorum, Ordinum, Congregationum ac Piarum Communitatum utriusque sexus una cum privatis personis ecclesiastica vel civili dignitate praestantibus, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochówski, eiusdem Causae Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *«Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit».* Die 28 Novembris 1899.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum [relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefati Ven. Servi Dei Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi Traianopolitani, die quarta Decembris eodem anno.

C. CARD. MAZZELLA, S. *B. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, S. *B. C. Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 2 Aprilis, 20 Aagusti 1898„ et 28 Ianuarii 1899.

Sess. 24, cap. 1, De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Ioachina Maria marchionissa De Lonze de Lisbor, vidua de Laska, post plures annos Parisiis transactos, domicilium Londinum transtulerat, ubi cum filiabus commorabatur. Inter has filias erat Henrica, natu minor, quae educationis causa perficiendae post aliquot annos, anno nempe 1887, iterum Lutetiam Parisiorum repetiit et, post paucos dies apud amitam Sophiam Fries transactos, ingressa est domum Sororum ab Assumptione, in paroecia vulgo d'Auteuil sitam, ut inter alumnas adscriberetur.

Interea Henrica diebus solemnioribus anni, uti assolet, Superiorissa permittente, domum amitae petebat, apud quam interdum etiam noctem transigebat. Tempore vacationum paschalium, dum puella cum amita se contulisset ad visendam Principissam Mathildem, ei occurrit quidam Germanus Bapst. qui statim Henricae pulcritudine captus de ea in matrimonio ducenda cogitavit. Huic matrimonio annuit Henrica, nec non eiusdem mater, quae civitate Londinensi, ubi domicilium habebat, Parisios advenit die 28 Maii an. 1888. Interea Henrica ***initio mensis Iunii*** monasterio valedixit et

Monitum. Veniam dabunt lectores si sequentem referendo casum matrimonii ordinarios excedimus limites. Haud memoria extat, temporibus actis consimilem enodatam fuisse quaestionem apud S. C. Concilii, aut s. Rom. Rotam, aut apud S. C. S. Ufficii. Nunc enim agitur de resolvenda quaestione matrimoniali - an validum sit matrimonium contractum inter personas, quae habentes domicilium in loco, ubi lex Tridentina de forma matrimoniali hactenus promulgata non fuit, nuptias ineunt, absque praesentia proprii parochi, in loco ubi lex illa Viget. Hinc S. C. C. diu agitavit casum propositum; quem tamen dimisit rescripto - requiratur votum duorum consultorum. Duo reapse scripserunt celebres canonistae, sed in diversam iverunt sententiam.

simul cum matre habitavit in quadam domo, intra fines paroeciae S. Petri de Chaillot, quam mater occasione matrimonii ad sex tantum hebdomadas conduxerat.

Post mensem, die nempe *7 Iulii 1888,* in praedicta ecclesia S. Petri de Chaillot contractum fuit matrimonium, quin, uti videtur, nulla petita aut obtenta fuerit delegatio nec a parocho aut ordinario viri, nec a parocho aut ordinario mulieris.

Nuptiis absolutis, sponsi iter aggressi sunt, et postea una simul habitarunt in via « Faubourg St. Honoré » ubi vir suum habebat domicilium ; mater vero iterum Londinum rediit.

At contra omnium expectationem hoc matrimonium haud felicem exitum habuit ; siquidem discordiis exortis inter coniuges post septem annos mutuae cohabitationis, mulier non solum virum deseruit, ad eum non amplius reversura, sed et divortium civile facile obtinere potuit. Dein alias nuptias inhians, edocta de sui matrimonii nullitate, ob clandestinitatis impedimentum, ad Curiam Parisiensem recursum habuit, expostulans ut matrimonium nullum declaretur ob defectum formae Tridentinae.

Curia Parisiensis processum confecit, atque mense Iulii praeteriti anni matrimonium nullum declaravit ob defectum formae Tridentinae. Ab hac sententia, appellationem movit Parisiensis vinculi defensor.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Qui actricis iura tuenda suscepit, totam orationem hac ratiocinatione complectitur : in **Gallus** uti nulla habenda sunt matrimonia quibus adsistit sacerdos, qui nec est parochus vel Ordinarius proprius, nec licentiam proprii Parochi propriive Ordinarii obtinuit, nisi agatur de matrimonio vagorum. Atqui matrimonio ab Actrice contracto adstitit Sacerdos, qui non erat Parochus vel Ordinarius proprius, neque licentiam aut delegationem obtinuerat vel petierat a Parocho vel Ordinario proprio coniugum , neque

nupturientes uti vagi considerari possunt. Igitur matrimonium die 7 Iulii anno 1888 ab Henrica de-Laska cum Germano Bapst in ecclesia S. Petri de Chaillot, adstante sacerdote Marbeau, initum, nullum et irritum dicendum est. Unde in duas partes suam orationem dispescit, quarum prima iuris est, altera facti.

Et ad quaestionem iuris pergens orator in primis notat, extra dubium esse in **Gallus** Tridentinum decretum *Tametsi* publicatum fuisse; ac proinde coniugia in hac regione contracta « aliter quam praesente parocho vel alio Sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus » irrita esse. Omnibus pariter notum est, Parochum seu Ordinarium debere esse proprium, et proprium parochum vel Ordinarium, pro assistentia matrimonio praestanda, illum esse et dici, in cuius paroecia vel uterque, vel alteruter ex coniugibus domicilium vel quasi-domicilium habet. Hoc posito, orator ad mentem revocat doctrinam domicilii vel quasi-domicilii, quod ad normam iuris requiritur, ut validum matrimonium contrahatur. Et quoad quasi-domicilium, de quo unice in casu nostro agitur, adnotat procurator, quod ad illud acquirendum duo sunt necessaria: *factum* commorationis et *animus* ibidem manendi per maiorem anni partem ; quibus positis a primo instanti commorationis quasi-domicilium contrahitur. Commoratio autem in parochia cum intentione permanendi per minus tempus, est simplex commoratio, non autem quasi-domicilium, de quo canones loquuntur. Sed quia nonnulli auctores, putant suiBcere ad quasi-domicilium animum in parochia permanendi per aliquot anni menses, et non requiri animum permanendi per maiorem anni partem; imo quia nonnulli censuerunt commorationem in loco per mensem constituere quasi-domicilium canonicum, has opiniones orator reiicit auctoritate S. Congregationis S. Officii. Siquidem in epistola, quam Card. Patritii nomine eiusdem S. Congregationis dedit ad episcopos Angliae et Statuum Foederatorum haec leguntur : « Ad constituendum verum quasi-domicilium . . . . . duo haec simul

requiruntur, habitatio nempe in loco ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per maiorem anni partem. Quapropter si legitime constet, "vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die, quo haec simul concurrunt, nimirum et huiusmodi animus et actualis habitatio, iudicandum est quasi-domicilium acquisitum fuisse, et matrimonium, quod proinde contrahatur, esse validum... Praeterea manifestum quoque est, actualem habitationem ineptam esse ad quasi-domicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere, proprieque habitantis, quemadmodum scilicet ceteri solent, qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent ».

Hanc doctrinam patronus decisionibus S. C. C. confirmat. Nam Sacra Congregatio Concilii pluries declaravit non acquiri quasi-domicilium ex commoratione in aliquo loco rusticandi causa vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium coram parocho illius loci non posse contrahi. Etenim, uti observat Sánchez, ***De matrimonio, lib. III, disp. XXV, n. 12,*** et De Angelis in ***lib. IV Decretalium, lib. III, n. 4,*** ille qui locum adiit rusticandi causa vel pro rusticanis negotiis, non praesumitur habere (nisi aliud demonstretur) intentionem ibidem permanendi per maiorem anni partem, et neque per dimidiam, sed tantum per tres vel quatuor menses, etsi per mensem ibidem permanserit, quia praesumptio quae ex scopo commorationis enascitur fortior est praesumptione quae ex menstrua commoratione desumitur. Has declarationes Sacrae Congregationis Concilii refert Benedictus XIV in ***Inst. Eecles. XXXIII, n. 7.***

Haec principia recolenda censuit advocatus, ut ad hanc conclusionem facile pervenire posset, Actricem uti peregrinam habendam esse ; siquidem licet ipsa Parisiis, in paroecia S. Petri de Chaillot, spatio unius mensis commorata sit, tamen quum non haberet animum ibidem permanendi per maiorem anni partem, uti inferius ostenditur, nullum domicilium vel quasi-domicilium acquisivit.

Hisce itaque praemissis, patronus ad quaestionem proprius accedens quaerit, num alienigenae, qui e loco • advertunt ubi decretum ***Tametsi*** non viget, et matrimonium ineunt in loco, ubi viget, quin antea ibi domicilium vel quasi domicilium acquirant, decreto eidem subiiciantur. Atque praeprimis notat, praetereundum non esse principium canonicum certissimum, nempe matrimonium valere, etsi una tantum pars a forma Tridentina libera est', cum haec et alteri libertatem communicet, prouti tradit Bened. XIV, ***De Synodo, lib. IV, n. 12,*** et omnes canonistae uno ore repetunt.

Iamvero, pergit orator, licet circa personas decreto Tridentino obligatas vel non obligatas in locis ubi decretum est promulgatum, gravissimae agitari possint et agitentur quaestiones, principium tamen generale ab omnibus admissum est, hisce in locis omnes teneri forma Tridentina, sive alienigenae sint, sive vagi. Et a vagis incipiens advocatus notat, vagos in sensu iuris eos appellari, qui nullibi domicilium vel quasidomicilium habent, et omnes doctores conveniunt, quod si vagi in loco reperiantur, ubi promulgatum est decretum ***Tametsi,*** isti matrimonium contrahere tenentur iuxta formam Tridentinam, licet quilibet parochus vel Ordinarius sit proprius, cum nulla adsit ratio praelationis. Rursus, si dè vagis agatur, qui in una parochia simplicem habent commorationem, probabilius iuxta auctores hic tantum nuptiis adstare potest ; ita ut hi vagi non modo Tridentina forma adstringatur, sed unus sit proprius eorum Parochus vel Ordinarius. (Gasparri, ***Tract, de matrimonio n. 917).***

Ad alienígenas quod attinet, conveniunt omnes doctores, Tridentina forma teneri eos, qui e loco ubi decretum « Tametsi » promulgatum est, in aliud pergunt, in quo pariter fuit publicatum, et similiter eos, qui discedentes e loco ubi nulla substantialis forma matrimonii constituta est, antequam contrahant, domicilium.....vel .quasi-domicilium., acquirunt in loco ubi forma illa habetur. At quaestio inter do-

ctores agitatur quoad alienígenas, qui retinentes domicilium vel quasi-domicilium in loco Tridentinae legi non subiecto, immigrant in locum eidem subiectum, ibique nuptias ineunt, quin antea domicilium vel quasi-domicilium acquirant. Patronus totis viribus auctoritate doctorum probare nititur alienígenas in casu forma Tridentina teneri, ita ut sententia contraria, quae ab auctore Carriere ***(Praelectiones Theol, p. 111, cap. III sec. II)*** propugnatur, tamquam improbabilis reiicienda sit.

Revera, contendit orator, ipse Carriere, /. ***c,*** apertissime fatetur sententiam, sibi contrariam, communem esse. Sufficiat unum aliumve inter praecipuos auctores citare. S. Alphonsus, ***lib. VI, n. 1080;*** Pirhing, ***lib. VI Decret., tit. III, n. 10:*** Sánchez, ***De matrimonio, lib. III. disp. XVIII, n. 25.*** In eodem sensu loquuntur Pontius, ***De matrimonio, lib. V, cap. VIII, n. 1;*** Salmanticenses, ***De matrimonio, cap. VIII, n. 18;*** Reiffenstuel, ***lib. IV Decret., tit. III, n. 130,*** qui ait hanc doctrinam esse certam et carere controversia; D'Annibale, ***Summula Theologiae Moralis, tom. III § 457, not. 41 ;*** Mansella, ***De dispensationis us nlatrimonialibus.***

Ulterius orator hanc sententiam confirmat auctoritate S. C. S. Officii, in instructione diei 14 Dec. 1859.

Unde, iuxta patronum, sententia vere singularis Carriere omnino seponenda est ; et tanquam certum retinendum axioma iuridicum: « ***locus regit actum*** », uti supra citati auctores contendunt, etiam matrimoniali contractui applicari, et ideo alienígenas in casu nostro forma Tridentina adstringi. Si matrimonium ineunt in patria ubi decretum ***Tametsi*** non est publicatum, forma Tridentina non fuisset ad validitatem necessaria ; sed si matrimonium ineunt in loco ubi decretum ***Tametsi*** est publicatum et viget, hoc decretum ipsos obligat et ideo exigit pro validitate praesentiam proprii parochi vel Ordinarii aut alterius sacerdotis de parochi vel Ordinarii licentia cum duobus testibus.

Iuxta oratorem, finis ipse, quem Patres Tridentini sibi

proposuerunt in decernendo celebri decreto « Tametsi » idem confirmat. Nam iuxta ea quae enarrat Card. Pallavicini in sua Historia ***Conc. Tridentini lib. XXII n. 42-46 et numer. 104-105,*** eatenus inter Patres Tridentinus praevaluit sententia, quod parochus proprius esset testis necessarius ad coniugii validitatem, quia ipse, prae ceteris, cognoscere poterat impedimenta, si quae adessent, inter sponsos. Quoties igitur adsit parochus, qui sit proprius, et lex de eius praesentia urgeat, coram illo est contrahendum vel saltem ex eius delegatione.

Hisce positis advocatus ad quaestionem facti descendens probare satagit, quod matrimonio ab Actrice contracto adstitit Sacerdos, qui non erat Parochus vel Ordinarius proprius, nec delegationem proprii parochi vel proprii alterutrius coniugum Ordinarii obtinuerat nec petierat ; sponsi autem vagi non erant.

Reque vera, virum, quando contractum fuit matrimonium, nullum habuisse domicilium in paroecia S. Petri de Chaillot facile probat ex testimonio ipsius Germani Bapst, qui licet in sua depositione matrimonii nullitati pro viribus se opponat, tamen percontatus de suo domicilio absolute reposuit: « Moi j'habitais n. 213, rue du Faubourg Saint Honoré, et cela depuis deux ans et demi environ. J'avais là un véritable domicile; ma paroisse était Saint Philippe du Roule ».

Quoad vero sponsam non minori certitudine constare, contendit orator, ipsam tempore quo matrimonium evenit domicilium alibi habuisse ac Parisiis in territorio saepius memoratae Paroeciae Sancti Petri de Chaillot. Et sane actrix statim ac Angliam dereliquit, et mense Septembri vel Octobri anni 1887 Galliam, educationis ergo, petiit, brevi tempore ante ingressum in monasterium commorata est apud amitam Sophiam Fries in via vulgo dicta ***avenue Marceau,*** quae quidem via intra fines parochiae Sancti Petri ***de Chaillot*** continetur. At nemo certo dicet, subiungit orator, actricem hac commoratione obtinuisse in hac parochia quasi-do-

micilium. Siquidem commorationis finis excludit pro foro externo animum commorandi per maiorem anni partem. Sed si defensor vinculi contenderet, Actricem hac prima commoratione acquisivisse quasi-domicilium in parochia S. Petri de Chaillot, libenter id ei advocatus concedit. .Nam Actrix paulo post, nempe die 17 Novembris anno 1887 dereliquit amitae domum, et ingressa est monasterium Assumptionis in parochia S. Mariae d'Auteuil, in qua proinde obtinuit quasi-domicilium, et sic amisit quodlibet domicilium, si quod habuisset, in parochia S. Petri de Chaillot. Hoc ab ipsa Superiorissa Monasterii ab Assumptione testatur : « Mademoiselle Quetta de Laska, est entrée comme pensionnaire libre au Couvent de l'Assumption le 17 Novembre 1887; elle en est sortie au mois de Juin 1888. Madame de Laska habitait alors l'Angleterre ». Equidem aliquando actrix vacationum diebus monasterium deserens, in domum amitae redibat, ibique nonnumquam etiam dormivit, sed exinde nemo serio deducet quasi-domicilium continuari aut constitui. Etenim hae absentiae a Monasterio nunquam nimis protrahebantur, et insuper videtur Henrica modo apud amitam Dnam Fries se contulisse, modo apud materteram Dnam Mariam de Lonze Lisbor quae Parisiis commorabantur, ceu enarrat ipsa superiorissa sub iuramenti fide.

Ulterius cum mater Actricis, matrimonii causa in Galliam venit, Henrica statim monasterio egressa est, et una cum matre se recepit in publico diversorio cui nomen Hôtel Meyerbeer, rue Montaigne, in parochia S. Philippi du Roule cum animo non redeundi neque in monasterium neque apud amitam.

Unde, prosequitur orator, si Henrica usque ad mensem Iunii anni 1888, quando una cum matre se recepit in Diversorio a Meyerber nuncupato, nec domicilium nec quasi-domicilium habebat in paroecia Sancti Petri de Chaillot, illud certe postea non acquisivit. Siquidem domus in Via Christoph Colomb Num. 16 sita, quae intra fines paroeciae Sancti Petri de Chaillot existit, et ubi matrimonium celebra-

tum fuit, locata fuit ab actricis matre tantum ad sex hebdomadas et unice pro receptionibus occasione matrimonii faciendis, quae duo omnino repugnant cum notione quasi-domicilii.

Ulterius patronus contendit nullam delegationem in casu intercessisse parochi vel ordinarii alterutrius coniugum.

Ex dictis, iuxta patronum, consequitur etiam nullam delegationem parochi Londinensis, actricis ***proprii,*** intercessisse, quia de eodem nemo cogitavit. Et tamen hic tantum erat tempore, quo nuptiae evenerunt proprius Henricae Parochus, cum ipsa nullimode uti vaga considerari possit. Siquidem notum est **alios** usque dum in minori aetate constituti reperiuntur suorum parentum domicilium sequi. Iamvero anno 1888, quo nuptiae celebratae sunt, Henrica minor erat, sicut fidem facit documentum de matrimonio celebrato ex libris Paroeciae Sancti Petri de Chaillot extractum et Mariae de Laska eiusdem Henricae matris domicilium Londini erat.

Unde concludit advocatus, cum I° in Galliis uti nulla habenda essent coniugia, quibus adsistit parochus non proprius nec a proprio coniugum parocho vel Ordinario delegatus, nisi agatur de matrimonio vagorum ; cum 2° sponsi in casu vagi non fuissent, et matrimonium contraxissent coram parocho qui non erat proprius, neque ullam habebat delegationem a parocho vel Ordinario proprio alterutrius coniugum, legitima conclusione retinendum esse matrimonium hoc fuisse nullum vitio clandestinitatis.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. EX adverso Defensor matrimonii ex officio concedit nulla auctum delegatione parochum sancti Petri de Chaillot Henricam et Germanum matrimonio coniunxisse ; admittit etiam Henricam in supradicta parochia sancti Petri quasi-domicilio potitam minime esse : at suis viribus inficiatur matrimonium hoc fuisse clandestinum, veluti contractum contra formam Tridentinam. Quare ad examen deducit celebre decretum ***Tametsi*** Concilii Tridentini ***cap. 1 de ref. matr. sess. 24.***

Ex hoc infert orator duplex esse recitatae legis obiectum. Legislator, nempe sancta synodus I° eos (nupturientes) ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: 2° huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit. Unde haec lex Tridentina personalis est et localis, quod idem sonat ac inhabilitans et irritans.

Igitur, ait sacramenti assèrto, si dignoscere velimus num decreto ***Tametsi*** in celebratione praesentis matrimonii factum sit satis, quaerendum est quid alteruter coniugum, nempe Henrica praestare ad hoc debuerit. Quod facili pacto assequimur si videamus an prima tantum praedicti parte, an solum altera, an demum utraque Henrica obstricta sit. Contingere namque potest ut quis solummodo prima, vel tantum altera, vel utraque ligetur decreti parte : nec omnes eodem modo sed alii duplici, alii simplici, ut ita dicam, funicülo vinciuntur. Videlicet necessitate parochi proprii non urgentur qui secundae solummodo decreti ***Tametsi*** parti obnoxii sunt.

Quare, observat orator, prima legis pars, utpote inhabilitans, non omnes, qui in paroecia, ubi lex promulgata est et viget, versantur, afficit, sed eos solummodo qui inibi morantur animo sive perpetuo manendi, sive ad notabile tempus, adeo ut subditi illius parochi dici queant. Ratio est quia lex inhabilitans respicit personam.

Quocirca dicti t'ari solet legem personalem non loco sed subditi ossibus haerere, Benedict. XIV ***de synod, dioeces, lib. 13, cap. 1.*** Cui nedum consequitur ut peregrini non teneantur personali lege vigente non in domicilii sed in loco transitus; verum etiam, ut peregrini versa vice ligentur, nisi animo non redeundi a patria discesserint, personalibus patriae legibus, etsi ad loca, sine animo ibi figendi sedem, divertant ubi illae minime vigent. Quod in ceteris personalibus legibus etiam in Tridentina servatur, Benedictus XIV ***instruct. 33, n. 9.***

Unde, arguit defensor, cum ea sit inhabilitantis seu personalis legis natura : planum est Henricam in praesenti con-

traversia non attingi illis Tridentinae legis verbis : « Eos sancta synodus ad sic (absque parocho et testibus) contrahendum omnino inhabiles reddit ». Profecto Henrica nulla prorsus ratione lege Tridentina afficitur ob domicilium londinense ; quoniam inibi minime viget ***cap. Tametsi:*** quasi-domicilia, si quae habuerit Lutetiae Parisiorum extra parochiam sancti Petri de Chaillot, quando matrimonium initum est, prorsus amiserat.

Hisce positis, ad alteram partem legis transit orator, quae sic iacet : « Huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullai ». Et observat hanc decreti partem a prima esse toto coelo diversam. Etenim prima pars ***personas, nupturientes, matrimonialis contractus auctores*** persequitur : « eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit »: dum pars secunda spectat contractus matrimoniales, quos irritos facit et annullai, non vero auctores matrimonialis contractus, nupturientes. Idcirco quaestio de nupturientium domicilio vel quasi domicilio aliena prorsus ab hac legis parte est : ipsi sat superque est ut contractus matrimonialis, qui momento temporis perficitur, in parochia initus sit, in qua ***cap. Tametsi*** vim legis obtinet. Perspicuum itaque est ea decreti parte Henricam etsi londinensem comprehensam esse: prout etiam perspicuum ei satisfecisse Henricam, quippe quae matrimonium celebravit coram vice-parocho Emmanuele Marbeau, a parocho delegato, et coram testibus.

Quod si ex adverso contradictor dicat matrimonium fuisse clandestinum, quia parochus sancti Petri de Chaillot, cuius de licentia sacerdos Emmanuel Marbeau matri monialem consensum excepit, non proprius parochus erat Henricae, respondet defensor vinculi Henricam nulla parochi proprii necessitate astrictam esse. Nam, epitheton ***proprius*** relationem dicit non ad actum, sed ad personam. At quidquid respicit personam, ad primam pertinet, non vero ad alteram decreti ***Tametsi*** partem. Rursus, in sensu capitis ***Tametsi*** propositio: Caius proprius est Titii parochiis, idem sonat

ac propositio: Titius domicilium vel quasi-domicilium habet in parochia, quam regit parochus Caius. Planum hoc est, et hoc sustinet adversus orator, cum contendit parochum sancti Petri de Chaillot non fuisse proprium Henricae ; quod idem sonat ac Henricam per eam moram non factam esse vere subditam parochiae sancti Petri. Iam vero factum istud domicilii vel quasi domicilii nupturientium in parochia ubi celebratur matrimonium prima quidem Tridentinae legis pars requirit, quemadmodum dictum est supra; non vero altera, quippe quae regit actum, non vero actus ***auctorem,*** et nil aliud exigit quam quod actus, contractus matrimonialis, ubi lex viget, celebretur."

Dein, quaerit defensor, undenam oriri potest ista parochi proprii necessitas, quae Henricam obliget? Non ex domicilio londinensi ; siquidem inauditum esset legem vires exerere in loco, ubi non viget; atque plus esset in effectu quam in causa. Imo pugnaret cum voluntate a patribus tridentinis in calce decreti rotunde manifestata.

Ulterius, sequitur orator, lex ista quam sancta synodus expresse vetat ne suum robur habeat in paroeciis in quibus publicata non est, non haberet quidem ibi robur suum, sed aliud efficacius, cuius vigore fideles domicilium vel quasi domicilium in parochiis a decreto tridentino immunibus strictius ligarentur quam incolae loci ubi viget ***Cap. Tametsi.*** Porro tridentini patres, quoniam quam maxime abhorrebant coarctare libertatem matrimoniorum, de nupturientibus solici ti, qui parocho proprio sisti vel non possent vel nollent, designarunt parochum vel sacerdotem de eius licentia. Iam vero facultate sistenti apud alium sacerdotem, qua pro lubitu fruuntur incolae loci ubi viget lex tridentina, expertes essent incolae loci ab ea lege immunis, si in loco ei legi obnoxio matrimonio iunguntur transeuntes.

Unde, quaerit matrimonii defensor, rectores parochiarum in quibus concilium tridentinum publicatum non est, quo iure licentiam nupturientibus coram alio sacerdote matrimonium celebrandi conferre possunt? Non certo vigore ea-

pitis ***Tametsi,*** quod ea in parochia suum robur non habet; nec iure decretalium, quia parochus a decretalium iure cum mandatum ad valide matrimonio assistendum ipse non habeat nec alii conferre potest. Pressius, iure decretalium nupturientes ad parochum accedunt ut licite, non ut valide nuptias expleant. Ex quo consequitur, ut parochus huiusmodi a subdito de dispensatione rogatus, respondere subdito deberet : res est conscientiae, pendens a causa excusante.

Unde, pergit orator, infelices isti peregrini in parochiis a decreto tridentino immunibus sedem habentes, aliam sedem in loco nuptiarum, aliud domicilium constituere antequam nuberent, necessario deberent. Quid quod vagos, etsi sancta synodus nos moneat eos improbi esse ingenii ***(I. c. cap. 7),*** pro lubitu vagari et incertas sedes habere sinimus, ac ne somnio quidem cogitamus illos ad Agendum in certa parochia domicilium vel quasi-domicilium obligare, nec suspicamur vel a longe contraire concilio tridentino, cum passim eos ad matrimonium admittimus coram quocumque parocho.

Neque, urget orator, distinctio illa primam inter et alteram legis tridentinae partem, inter eos qui coram parocho proprio et eos qui tenentur quidem coram parocho non tamen proprio contrahere, tamquam inusitata atque nova habenda est. Siquidem, respondet, haec distinctio nata est una simul cum ipsa concilii tridentini lege. Certe tridentini patres, dum contractus matrimonialis definierunt formam, nomen « proprium » parocho minime adiecerunt. En quibus contenti illi fuere: « Praesente parocho vel sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus ». Vix intelligitur quamobrem sapientissimi illi patres epitheton illud « proprium » quo herculeus interpretum labor elicuit ex prima legis parte, tanta cura reticuerint, si ad contrahendum coram parocho proprio compellere animo intendissent omnes, illos nempe etiam, qui secunda solum legis parte ligantur.

In factum autem distinctio traducta non nudiustertius

est, nec probata a privato aliquo auctore, sed a supremo iamdudum Ecclesiae principe. Reque vera iam retulimus supra Sacrum Hunc Ordinem inter alia declarasse incolas loci in quo viget ***cap. Tametsi,*** transeuntes seu peregrinantes per locum a decreto dicti ***cap. Tametsi*** immunem, teneri, si inibi matrimonium contrahant, ad servandam legem tridentinam : et resolutiones huiusmodi a papa Urbano VIII die 14 Augusti 1627 probatas.

Suo vero ingenio facile quisque perspicit memoratos peregrinos non utraque, neque secunda, sed prima tantum ligari legis tridentinae parte. Sane prima pars , ceu supra demonstratum est, sicut eos qui in territorio versantur non obligat, nisi per domicilium vel quasi-domicilium fiant subditi, ita eos, qui semel subditi facti sunt, ligat, nisi domicilium vel quasi-domicilium deserunt et per hoc desinant esse subditi; quamvis versentur extra territorium, ***cap. 1 de regni. iur. :*** (ibi) « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur ». Altera e contra pars legis, ut supra pariter dictum est, obligat omnes et solos intra territorium existentes sive incolarum, sive hospitum instar ac peregrinorum.

Nec dubium est, advertit orator, quin illos incolas loci concilio tridentino obnoxii in loco a concilio immuni matrimonium celebrantes, non quemcunque sed proprium parochum adhibere debeant. Atque recolit causam ***Parisien, matrimonii diei 25 Augusti 1873.***

Vice versa extant diebus nostris et quando concilium tridentinum editum est, etiam extabant vagi homines. Ex huc usque disputatis liquet istos non prima decreti ***Tametsi*** parte, bene vero altera obstringi. Quod si homines in orbe existunt terrarum, quos ad contrahendum coram parocho proprio cogere oporteat, ut praecaveantur mala quibus tridentini patres occurrere studuerunt, ii profecto ex sententia ipsorum patrum sunt vagi ; ***Trid. cap. 7 de ref or. matr. sess. XXIV.***

Unde arguit defensor, nonne contra vagos, improbi in-

gemi homines qui, prima uxore relicta, aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt, conditum potissime esse videtur decretum ***Tametsi?*** Et tamen certum est eorum matrimonia, quacunque parochi proprii necessitate cessante, rata esse coram quocumque parocho Sánchez ***de matr. lib. 3, disp. 25, n. 11.*** Quare hoc? quia vagos prima decreti parte complecti potis non fuit. Re enim vera prima parte decreti perstringuntur omnes et soli domicilium aut quasi-domicilium habentes in parochia decreto ***'Tametsi*** obnoxia.

Tandem adversario, qui suadere pertentat parochum proprium ad matrimonium contrahendum necessarium esse, quia parochus non proprius facile ignorat impedimenta si quae sint inter nupturientes, orator respondet, quod huic malo sancta synodus occurrit decreto ***cap. VII de ref. matrim, sess. XXIV.*** Ad rem Sánchez ***de matr. lib. 2, disp. 25, num. 8.***

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Archiepiscopalis Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu. Sed Emi Patres, dilata sententia iudiciali, sub die 2 Aprilis 1898 rescripserunt: ***exquiratur votum duorum consultorum.***

CAUSAE PROSECUTIO. ***Votum primi Consultoris.***

Miraretur profecto, si adhuc in vivis ageret, Emus De Luca, qui iam suo tempore omnes iuris quaestiones circa formae matrimonialis a Tridentino inductae observantiam pene sopitas putabat per plures declarationes Sacrae Congregationis, per Rotae Romanae decisiones, ac per communes receptasque Canonistarum ac Moralium traditiones. ***Adnot. ad Sac. Conc. Trid. Disc. 26 n. 2.*** Gravissima, quae de validitate vel nullitate matrimonii inter Germanum Bapst parisiensem et Henricam de Laska londinensem die 7 Iulii 1888 Parisiis in parochiali ecclesia S. Petri vulgo de

Chaillot celebrati, S. C C . discutienda hodie proponitur quaestio plane demonstrat, quantum sua Emum Iurisconsultum coniectura fefellerit. Omissis 'enim Canonistarum et Moralium traditionibus, de quibus infra redibit sermo, illud certum est, nullam hucusque datam fuisse a S. Congregatione declarationem, nullam a Rota Romana decisionem , quae respexerit quaestionem de validitate vel nullitate matrimonii inter personas initi, quae habentes domicilium in loco, ubi Tridentinum decretum ***Tametsi, Cap. 1, Sess. 24 de ref. matr.*** hactenus promulgatum non fuit, nuptias contrahunt absque praesentia vel licentia proprii parochi in loco ubi decretum illud viget ; in qua quaestione totam tum a patrono, tum a vinculi defensoribus praesentis causae matrimonialis summam constitutam vidi.

Quidni? Putabimus ne tot labentibus annis nunquam contigisse, ut incola loci a decreto ***Tametsi*** immunis in loco ei subiecto matrimonium inierit? An potius dicendum matrimonii sic contracti valorem nunquam in dubium revocatum fuisse? Id certe talis momenti esse nemo non videt, ut quempiam praemoneat, quanto maturo examine, prudensque iudicio sit*in hac nostra quaestione procedendum.

Consultor nonnullis in facto notatis, ad iuris quaestionem accessit, aiens, quaeritur, an valeat matrimonium ab incolis loci a decreto ***Tametsi*** immunis in loco eidem subiecto sine praesentia vel licentia proprii parochi contractum. Qui negativam tenent, triplici utuntur argumentorum genere : primum deducunt ex vi legis generalis Ecclesiae, quale affirmant esse decretum Tridentinum ; secundum ex iuris effato « ***Locus regit actum*** »; tertium demum ex communi Doctorum sententia. Qui vero affirmativam defendunt ut sunt cl. Defensores Parisiensis et Romanus, in eo potissimum innituntur, quod lex Tridentina sit inhabilitans seu personalis, et irritans seu localis ; necessitatem autem parochi ***proprii*** dicta lex requirit non qua localis, sed qua personalis est.

Quo controversiae enodatio clarior procedat, quaedam

iuris principia praemittenda esse censeo. Est de legis natura ut immediate respiciat communitatem , mediate vero omnes et solos subditos intra ius dicentis territorium manentes. Exinde consequitur quod quaelibet lex natura sua sit ***territorialis*** seu ***localis,*** nec afficiat personas nisi per territorium; unde effatum : « ***Extra territorium ius dicenti non paretur impune » 20 D. de iurisd. et cap. 2, de const. in 6°;*** idque etsi quis animo se obligationi legis subducendi exeat e territorio ; cum hic non in fraudem legis agat, sed utatur iure suo. Huic tamen principio exceptio facta est per prohibitiones inductas a Clemente VIII in Const. ***Superna*** 21 Iulii 1620, et ab Urbano VIII in Brevi ***Exponi Nobis*** 14 Augusti 1627, ne scilicet quis e territorio egrediatur ad eludendas reservationis et clandestinitatis leges, ut infra videbimus. - Alia vero ex parte cum lex ferri nequeat nisi in subditos , consequitur ut qui subditi non sunt, non teneantur legibus loci, in quo versantur. At huic etiam principio communiter exceptio fit praesertim quoad contractus quorum valor dicitur pendere a legibus loci in quo fiunt; unde effatum « ***Locus regit actum ».*** Interest quamplurimi in nostra quaestione, ut bene determinetur sensus et vis istius exceptionis. Ut manifestum per se est, quod contractus quoad valorem pendeant a legibus loci in quo fiunt, ac proinde quod locus regat actum non est ex vi intrinseca ipsarum earumdem legum, sed unice ex causa extrinseca. Huius autem causae fundamentum est ***/. 19 D. de iud.,*** qua constitutum est, ut quis nedum in loco domicilii, sed etiam in loco celebrati contractus conveniri possit. Dispositio haec a nostro iure confirmata est in ***Cap. 20 Decret, et Cap. 1, § 3, in 6°, de foro competenti:*** quibus expresse decernitur, peregrinum ratione contractus forum sortiri dummodo citatione praeveniatur antequam excedat a loco in quo contraxit, Schmalz, *n.* ***45, de for. comp.*** Porro cum quisque iudex lites omnes dirimere teneatur iuxta leges et ritum propriae regionis ; hinc necessitas ex interpretatione prudentum servandi leges, locales

in contractibus ineundis. Audiatur Pignatelli ***Tom. V, Constat. 79, n. 32:*** « Doctrina quod advenae non teneantur legibus loci, in quo sunt, non valet quoad contractus ut cum pluribus notat Sánchez ***lib. 3 de matr. dis. 18 n. 10;*** quia cum contractus sit quid pertinens ad forum extraneum, regulari debet iuxta leges, secundum quas procedit ille forus ». Quare effatum illud quod locus regat actum, unice originem suam repetit ex interpretatione prudentum super eo fundata quod quisque competens forum sortiatur ubi contraxit. Exinde est, quod idem effatum natura sua multiplices patiatur exceptiones in praxi. Mihi hic sufficiat tantummodo in memoriam revocare communem et receptam distinctionem, cum qua, teste Emo De Luca ***De don. disc. 21, n. 3,*** Rota et Curia procedit, quod scilicet leges contractuales vel sunt tales, quae inhabilitant simpliciter et absolute personas contrahentium; vel quae inhabilitant causative et secundum quid, nempe sub certa forma vel solemnitate ; vel quae demum respiciunt simpliciter formam actus. Iam si de hisce ultimis agatur, iisdem etiam non subditos in loco contrahentes teneri ab omnibus receptum est; ideoque quoad solemnitates simpliciter formam actus respicientes omnino valet principium, quod locus regat actum. At non idem dicendum de aliis legibus, quae vel simpliciter vel secundum quid inhabilitant personas contrahentes; hae enim leges non actum, sed agentem directe respiciunt, eidemque auferunt vel absolute Vel secundum quid contrahendi 'capacitatem. Id autem necessario et essentialiter secumfert, ut iisdem legibus nonnisi personae, quae legislatori subditae sunt, ligari possint; cum nec concipi valeat legislatoris potestas circa iuridicam personarum non sibi subditarum capacitatem. Exinde est, quod relate ad has leges personarum inhabilitatem sancientes, licet et ipsae territoriales, seu locales et contractuales sint, minime teneat quoad non subditos seu peregrinos principium quod locus regat actum. Sic ex. gr. si quis, in sua patria maior ac habilis, extra territorium in loco, in quo esset minor et absque certa

solemnitate inhabilitate ad contrahendum, contraheret sine ista solemnitate, contractum validum esse firmavit Rota *dec* ***746*** *n.* ***3*** *et* ***4,*** quae reputatur in materia magistralis; ac etiam in *Romana societatis officii* ***29*** *Maii* ***1623,*** *cor. Remboldo,* et in *Reatina Castrorum* ***21*** *Iunii* ***1666,*** *cor. eodem.* Cfr. etiam Bartolum ad ***l. 1*** *Cod. de Sum. Trin. n.* ***32;*** Brunneman *Comm. in Cod. ad* ***l. 1*** *de Sum. Trin. n.* ***6;*** De Luca *de alien, disc.* ***29*** *n.* ***3*** *seqq.*

Iam ad legem Tridentinam *Cap.* ***1,*** *Sess.* ***24*** *de Ref. matr.* accedamus. Neminem latet, legem hanc ita accipiendam esse et de facto sic interpretari apud omnes Canonistas et Theologos, ut quantum fieri possit, minus corrigat de iure veteri Sacrorum Canonum. Audiatur Bossius *De matr. contr. cap.* ***4, § 11,*** *n.* ***20:*** « Lex correctoria est stricte interpretanda et huiusmodi est decretum Tridentini in *d. cap.* ***1,*** *Sess.* ***24*** *de ref.,* quod est correctorium iuris antiqui : ergo non est extendendum, sed potius stricte interpretandum est ». Luculentiora depromit Ursaya *Bis.* ***25*** *n.* ***26,*** *tom.* ***7,*** *par.* ***2:*** « Lex correctoria est stricte interpretanda et huiusmodi est decretum Tridentini, quod est correctorium iuris antiqui____Ex quo iuxta notoria principia infertur, quod ita interpretanda sit, ut, quominus fieri possit, minus corrigat dictum ius commune; ita ut sit satis eo ipso quod evitatur polygamiae crimen, qui fuit finis S. Concilii Tridentini dictam novam legem condendo....... si aliquod de mere possibili remaneret dubium, in isto semper inclinandum esset pro matrimonii validitate ».

Exinde scatet, inter cetera, doctrina, ab omnibus recepta, communicationis privilegii, quod scilicet si una pars ratione loci, in quo habitat, vel ratione societatis, in qua vivit, exempta sit a lege Tridentina, eius exemptio propter individuitatem contractus etiam alteri parti communicetur; ideoque neutra teneatur forma Tridentina quoad validitatem matrimonii ; et ita matrimonium clandestinum sit validum, licet illicitum. Qua quidem in re Benedictus XIV *de Syn. VI, VI, n.* ***12,*** enarrat, omnes qui in S. C. C. coram ipso

Pontifice expenderunt quaestionem de validitate matrimonii clandestini haereticorum inter se, aut mixti in Statibus Foederatis Belgii et Hollandiae, semel admissa validitate matrimonii haereticorum inter se, concordibus suffragiis admisisse quoque validitatem matrimonii mixti.

Quod vero ipsum spectat Tridentini decretum ***Tametsi,*** praeprimis inquirendum hic venit an et quo sensu ipsum constituat legem generalem Ecclesiae. Modus ipse singularis ac extraordinarius, quem in eiusdem decreti promulgatione servandum voluerunt Patres Tridentini, clare demonstrat, non posse quoad ipsum iisdem criteriis, quibus in aliis legibus, proeedi. Notum siquidem est, promulgationem esse de ratione ipsius legis, S. Thom. /. ***2, q. 90, n. 4;*** adeo ut sine promulgatione nulla sit legis obligatio quoad subditos ; ***leges enim,*** ait Gratianus ***C. III, Dist. IV, tunc instituuntur cum promulgantur.*** Atqui licet decretum Tridentinum latum fuerit pro bono totius ecclesiae ; ac proinde, ut ita dicam, ***in feri*** appellari possit lex generalis Ecclesiae ; non ita tamen dicendum ***in facto esse ;*** cum enim Patres Tridentini statuerint, ut decretum publicaretur in unaquaque parochia et vim non haberet nisi post triginta dies a facta publicatione ; cumque de facto non in omnibus parochiis ipsum publicatum sit, apparet idem decretum de facto non omnes Ecclesiae subditos respicere, ac proinde non constituere de facto legem generalem Ecclesiae. Patet hinc falso omnino nonnullos Doctores quoad has paroecias, in quibus lex Tridentina clandestinitatis publicata non est, invocare principium exemptionis a iure communi, ut exinde deducant, exemptionem hanc localem esse, non vero personalem. Siquidem heic nulla decreti publicatio facta est; ideoque nedum pro parochis, sed et pro ipsis personaliter parochianis decretum ipsum nullam vim habet. Equidem intelligo principium, ad quod isti Doctores appellant quando agitur de iure communi, quod sit pro omnibus subditis publicatum ; tunc enim si quacumque ex ratione detur aliqua exemptio, haec quidem ex generali principio non personalis,

sed localis est; ideoque absentes a proprio territorio exempto hac lege tenerentur, cum subsint legislatori communi, pro omnibus lex publicata sit, et ipsi extra non gaudeant proprii territorii privilegio. At idem non intelligo prorsus, quando agitur de lege, ut est decretum Tridentinum, quae non pro omnibus subditis publicata est; tunc enim pro iis, pro quibus lex publicata non est, exemptio, si ita appellari potest, nedum localis, sed et personalis necessario esse debet; quia sive in proprio, sive extra proprium territorium versentur, semper verum est, quod pro ipsis lex publicata non est; lex autem non publicata pro subditis nulla lex est.

Notanda insuper veniunt verba, quibus Concilium Tridentinum utitur: « Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat ». Ex quibus evidenter patet, hic agi de lege non quidem simpliciter respiciente formam actus, sed secundum quid inhabilitante, sub certa scilicet forma vel solemnitate. Haec autem forma vel solemnitas consistit in praesentia vel licentia parochi et duorum vel trium testium. Parochum vero debere esse proprium alterutrius contrahentium nunc amplius dubitari non potest. Tota ergo vis Tridentinae legis ad hoc reducitur, ut si in locis, in quibus decretum ***Tametsi*** publicatum est et viget, matrimonium attentari contigerit, non servata praedicta forma, matrimonium hoc sit ipso iure nullum ac irritum ***ex inhabilitate contrahentium.***

Exinde adaequata deducenda est quaestionis solutio: quinam et quomodo hac Tridentina lege teneantur. Ac primum haud probanda videtur distinctio inducta a cl. vinculi Defensore Romano, quod scilicet duplex sit Tridentini decreti diversa pars: una, qua S. Synodus nupturientes aliter quam praedicta forma ad contrahendum inhabiles reddit; altera, qua huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit; si

quidem evidens est, hoc alterum non esse nisi meram declarationem immediatae et necessariae consequentiae ex priori ; inhabilitas enim contrahentium ipso iure et per se ipsam secumfert nullitatem contractus ; cum ***capacitas subiecti*** sit unum ex requisitis pertinentibus ad ***essentiam*** contractus. Quando igitur S. Synodus irrita ac nulla edixit coniugia aliter contracta, nihil novi per hoc statuit, sed simpliciter expresse declaravit, quod inerat iam decretae inhabilitati sponsorum ad aliter contrahendum. Quare haud consona Tridentini decreto apparet theoria ab eodem sacramenti Adsertore in medium prolata, quod nempe contingere possit, ut quis solummodo prima, vel tantum altera, vel utraque ligetur decreti parte ; nec omnes eodem modo, sed alii duplici, alii simplici funículo vinciantur; una enim est lex Tridentina; unicum eiusdem legis obiectum, unicumque funiculum, quo eodem omnino modo omnes vinciuntur, ad quos eadem lex porrigitur.

Nec maiori soliditate nititur doctrina alterutrius matrimonii Vindicis Parisiensis; verum enim est, legem Tridentinam esse simul personalem et localem ; at minime verus est sensus, quo huiusmodi distinctio ab ipso- accipitur. Nam non est ratio domicilii vel quasi-domicilii, ut ipse arbitratur, quae facit differentiam inter legem qua personalis est, et qua localis; siquidem ratio haec ex principio generali communis est cuicumque legi ; cum lex non obliget nisi subditos ; subditus autem nonnisi ratione domicilii vel quasi-domicilii quis fit.

Quo huius distinctionis sensus recte percipiatur, et sic rite determinetur quid voluerit Instructio S. C. S. Officii diei 14 Dec. 1859 cum statuit, legem Tridentinam esse simul personalem et localem, recolenda hic sunt et applicanda quae supra ex principiis generalibus iuris praemisimus. Ex regula generali quaelibet lex natura sua non respicit nisi omnes et solos subditos intra ius dicentis territorium manentes. Exinde duo sequuntur: I° Ut quaelibet lex natura sua non sit nisi pro subditis ; 2° Ut quaelibet

lex natura sua sit territorialis seu localis. Porro etiam lex Tridentina, qua lex natura sua sit oportet territorialis seu localis et nonnisi pro subditis. Verumtamen^, ut superius innuimus, hic attendenda venit limitatio inducta per decretum Urbani VIII diei 14 Augusti 1627, quo statutum fuit, invalidum esse matrimonium eorum, qui discedentes ex loco ubi receptum est decretum Concilii Tridentini, se in locum, ubi non est receptum, transferunt cum fraude, ibique clandestine contrahunt. Ex quo fit, ut contra generale principium quod extra territorium ius dicenti non pareatur impune, lex Tridentina subditos obliget etiam extra territorium, et hinc cum sequatur personam, hoc sub respectu personalis est. Et hoc praecise sensu personalis dicitur in citata Instructione S. Officii, ut patet ex eiusdem Instructionis verbis: « Quatenus personalis est, afficit eos, qui domicilium vel quasi-domicilium habentes in loco ubi Tridentinum decretum publicatum est et viget, in altero, ubi illud non viget, contrahere vellent ».

Eo vero sensu localis est et dicitur, quo ceterae omnes leges; quatenus scilicet afficiat territorium ; quo quidem sub respectu ***natura sua*** non obligat nisi ***subditos*** ibi manentes; cum quaelibet lex nonnisi pro subditis dari possit. Hinc ex principio generali, qui subditi non sunt, seu peregrini venientes ex loco ubi lex Tridentina non est publicata, in locum, ubi viget, ***vi intrinseca*** ipsius legis teneri non possunt. At nec teneri possunt ex ***causa extrinseca,*** seu ratione contractus; lex enim Tridentina non est ex illis, quae simpliciter formam actus respiciunt, et quoad quas valet principium, quod locus regat actum; bene vero ex illis est, quae inhabilitant personas contrahentes aliter, quam sub certa forma. Atqui iam vidimus, his legibus nonnisi personas, quae legislatoris subditae sunt, ligari posse. Neque est, ut dicatur, inhabilitatem hic non esse ex sententia iudicis, ideoque ossibus adhaerentem; sed ex lege provenire, ideoque naturam legis sequi ; hoc enim si quid conferre potest quoad subditos extra proprium territorium commorantes,

quatenus scilicet cum eos lex proprii territorii ibi non obliget, nec inhabilitate obligare possit; nihil prorsus confert in casu contrario, non subditi nempe commorantis in loco, ubi lex inhabilitans viget; cum nulla sit legislatori potestas circa iuridicam personarum non sibi subditarum capacitatem. Nec pariter est, ut quis insistat in verbis citatae Instructionis S. Officii : « Quatenus localis, afficit territorium, eosque, qui ibi matrimonio iungendi sunt, obligat ». Ipse enim contextus satis ostendit, ibi S. C. nec a longe respexisse casum non subditorum contrahentium in loco, ubi viget lex Tridentina ; bene vero eius mentem fuisse declarare, dictam legem nedum obligare subditos in proprio territorio manentes ***(localis);*** sed eosdem obligare etiam extra territorium contrahentes ***(personalis).*** Ceterum habemus hac in re apertam declarationem Assessoris S. Officii in epistola ad Rmum Secretarium S. C. C. diei 3 Maii 1898, qua asseritur in Archiviis S. Officii nullam decisionem repertam fuisse circa casum, de quo agimus ; quod demonstrat, aliam prorsus fuisse S. C. mentem in edenda Instructione diei 14 Decembris 1859.

Qua de re ex hucusque dictis iam concludere liest, Tridentini decretum « ***Tametsi*** » nec qua lex generalis est, nec qua localis, nec qua personalis afficere peregrinos venientes ex loco, in quo idem decretum publicatum non est, ideoque valere matrimonium quod ab ipsis clandestine contrahatur in loco eidem decreto subiecto.

Et ceteroquin qui contrarium sustineret, necessario unum ex his admittere cogeretur : vel scilicet quod peregrini venient ex loco a Tridentina lege immuni, nullimode contrahere valide possent matrimonium in loco ubi eadem lex viget; vel quod ad valide contrahendum deberent ibi domicilium vel quasi-domicilium acquirere; vel demum quod requireretur licentia proprii contrahentium parochi. Atqui primum inauditum in iure, contrarium libertati coniugiorum et alienum prorsus est a litera et spiritu legum ecclesiasticarum. Cfr. Benedictum XIV ***De Syn. XII, V, n.*** 5,

Instr. *S.* ***Off.*** *6* ***Iulii*** *1819* etc. Alterum vero idem esset ac dicere, Concilium Tridentinum voluisse, ut in locis, in quibus viget decretum ***Tametsi*-****nomasi* inter subditos validae iniri nuptiae possint; quod quam a S. Synodi mente longe abeat nemo non videt. Tertium denique non est praticabile in casu. Siquidem plane admitto, parochi ***proprii*** iuridicam conditionem nec creatam, nec immutatam fuisse a Concilio Tridentino per decretum ***Tametsi.*** Libenter etiam do, ante Concilium Tridentinum, et nunc quoque in locis, ubi decretum ***Tametsi*** publicatum non est, ad ***licitam*** matrimonii celebrationem fideles ex lege disciplinari teneri ad publice in Ecclesia contrahendum cum benedictione proprii parochi. At haec nihil habent commune cum iure, quo fruitur parochus proprius assistendi tamquam ***testis auctorizabilis,*** ut aiunt, coniugiis ***pro eorumdem validitate ;*** hoc enim ius parocho proprio unice et exclusive provenit ex decreto ***Tametsi*** tamquam a sua causa efficiente. Ubi ergo hoc decretum non viget, ibi nec tale ius parocho competere potest. Porro si parochus non habet ipse ius assistendi tamquam testis auctorizabilis, evidens est quod nec aliis hanc assistendi licentiam dare possit; cum « nemo possit plus iuris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur » ***Reg. iur.*** *79.* ***in*** *6°.*

Exinde manifeste consequitur, haud satis solidam esse differentiae rationem, quam hac in re cl. Consultor Canonista in ***Romana matrimonii*** *11* ***Ian.*** *1868* inducit inter ***vagos et peregrinos*** ad hoc ut demonstret, vagorum exemplum quoad matrimonii validitatem nihil prodesse peregrinis. Licet enim per se diversa omnino sit vagorum et peregrinorum, conditio ; cum primi domicilium nullibi habeant; alii vero habeant fixum domicilium ; ideoque licet in genere quod de primis in iure statuitur, logice nequeat secundis aptari; nihilominus in hoc, de quo agimus, argumento, si res intimius perscrutetur, non ita esse videtur ; nam hic agimus de peregrino, qui domicilium habens in loco, ubi Tridentini decretum publicatum non est, versatur in loco

ubi idem decretum viget, ibique nuptias contrahit, et quaerimus an licentia proprii parochi necessaria sit ad valide contrahendum. Iam quamvis peregrinus hic habeat fixum domicilium et parochum proprium; tamen cum ibi non sit publicatum Tridentini decretum, huic parocho nullum ius est assistendi pro validitate nuptiarum ; ideoque nec facultas dandi aliis assistendi licentiam. Et hic ad effectum contrahendi valide matrimonium pro hoc peregrino idem est ac si nec fixum domicilium, nec proprium ipse parochum haberet. Quapropter re ***effective*** considerata in speciali hac nostra quaestione nulla iuris differentia est inter vagum et peregrinum ; ac proinde vagorum exemplum, alias aperte dispar, hic bene convenit et prodest peregrinis.

At sentio difficultatem: contra validitatem matrimonii in casu clamat communis Doctorum sententia. Gravis quidem difficultas, et non talis, quae superari non possit. Duplici sub respectu haec Doctorum sententia considerari potest, vel scilicet sub respectu ***scientifico,*** vel sub respectu ***auctoritativo.*** Sub primo respectu tanti ipsa valet, quanti rationes, quibus fulcitur. Porro hae rationes non aliae sunt quam istae : I° quia Tridentini decretum est lex generalis Ecclesiae; ***2°*** quia locus regit actum; 3° demum quia ita deciditur de contractu matrimoniali in ***cap. 1 de spons. et matr.*** Atqui prima et secunda ratio, ut supra iam demonstravimus, nihil valent ; tertia vero non facit ad rem, eo quia in citato ***Cap. 1 de spons. et matr.*** Concilium Triburiense contra praetensiones viri qui dicebat nullum coniugium a se cum muliere de Saxonia contractum iuxta leges Saxonum et non iuxta leges suae patriae, decidit valere matrimonium non praecise quia observatae fuerunt leges loci, in quo nuptiae initae sunt, sed quia observantia legum sive Saxonum sive Francorum non pertinebat ad substantiam contractus matrimonialis, qui solo consensu perficiebatur.

Quod si Doctorum sententia consideretur sub respectu ***auctoritativo,*** notandum sedulo est, minime communem esse

inter Doctores sententiam, quod in casu, de quo agimus,, requiratur praesentia vel licentia parochi ***proprii;*** quin immo qui hoc sustinent paucissimi sunt : mihi datum non fuit alios videre, nisi praelaudatum Consultorem Canonistam in cit. ***Romana matrimonii*** et duos alios ab eodem in suo voto citatos, Kugler scilicet ***De matr. n. 294,*** et Pignatelli ***Tom. 79, n. 33.*** Et quidem neque isti conveniunt inter se; dum enim Consultor Canonista videtur admittere in casu licentiam parochi domicilii proprii peregrinorum requiri ; Pignatelli contra existimat quod tales peregrini « divertendo ad locum, in quo non habent proprium parochum sibi reddunt impossibilem formam praescriptam a Concilio servandam in loco, in quo contrahunt » ***I. c.***

Vere communis inter Doctores sententia ea est, quae tenet, peregrinos venientes ex sua patria, ubi Tridentinum non est publicatum, in locum ubi illud viget, si clandestine, i. e. absque praesentia ***parochi*** et testium contrahant, invalide contrahere. Licet sententia haec non solidas habeat pro se rationes, nec respondeat indubiis iuris principiis, ut ex supra expositis apparet ; denegari tamen non potest, eamdem gravissima Doctorum auctoritate fulciri, a qua, non obstantibus rationibus contrariis, minime recedendum esse puto. Idque eo vel magis, quod pro vagis res apud omnes liquida sit, eorumdem nempe parochum pro valida matrimonii celebratione esse parochum commorationis, et si nullam commorationis sedem habeant, quemlibet parochum. Atqui, ut supra notavimus, re ***effective*** considerata in hac nostra speciali quaestione nulla iuris differentia est inter vagos et peregrinos. Ergo si peregrini, venientes ex loco ubi non est publicatum decretum ***Tametsi*** in locum ubi illud viget, nuptias contrahant coram parocho loci in quo actu commorantur, et duobus testibus, valide contrahere dicendi sunt.

Iamvero, si placet, ad hucusque exposita principia revocemus matrimonium initum inter Germanum Bapst et Henricam de Laska. Quamvis Germanus suum domicilium Pa-

risus habuerit in paroecia S. Philippi de Roule; Henricam tamen nonnisi in civitate Londinensi, in qua decretum ***Tametsi*** non est publicatum, apud matrem illud habuisse tum ab egregio eiusdem patrono contenditur, tum a vinculi Defensoribus conceditur. Porro matrimonium Lutetiae Parisiorum in Ecclesia S. Petri de Chaillot, intra cuius paroeciae fines Henrica tunc morabatur, coram parocho et testibus celebratum est. Ergo, attenta privilegii communicatione, dicendum est, matrimonium fuisse valide contractum.

Qua de re sive in facto sive in iure dictum matrimonium consideretur, illud validum omnino fuisse censeo.

VOTUM SECUNDI CONSULTORIS. Consultor secundus, nonnullis praenotatis, sibi duplex disceptatio facienda esse, ait, nempe quoad examen districtus iuris et facti advocati actricis ; et quoad iudicium de interpretatione textus Tridentini a defensoribus vinculi matrimonialis proposita.

Et quoad primam partem Advocatus actricis exorditur, mirum sane esse, sed verum tot saeculis, quibus S. C. C. constituta fuerit, nunquam accidisse, ut quaestio eidem S. Congregationi dirimenda proponeretur de validitate matrimonii inter personas contracti, quae ***habentes*** et addendum forte est, atque retinentes ***domicilium*** in loco, ubi lex Tridentina de forma matrimonii hactenus promulgata ***non*** fuerit, nuptias ineant absque praesentia proprii parochi, ubi lex illa ***vigeat.*** Imo etiam Rdmus Assessor S. O. d. 3 Maii 1898 in epistola ad Rdmum Secretarium S. C. C. data, disertis verbis testatur post accuratas indagationes in archivio S. C. Inquisitionis nihil fuisse inventum.

Quae res si iam in se est satis mira, non levem videtur huic causae disceptandae creare difficultatem, cum neminem lateat, quanta sit ***auctoritas rerum perpetuo similiter iudicatarum,*** praesertim in Curia Romana , si agatur de uniformibus et constantibus decisionibus iudicialibus SS. Congregationum. At huic defectui rerum similiter iudicatarum in hac causa disceptanda non nimium momentum est tribuendum. Nam etiam in foro ecclesiastico sane primo

loco « ***non exemplis, sed legibus est iudicandum*** ». Cfr. L. ***13.*** C.^de sent. et interloc. VII. 45. At cap. « ***Tametsi »*** Concilii Tridentini praesertim post tot interpretationes generales Rom. Pontificum et SS. CC. absque iniuria lex quaedam obscura dici non posset, quasi sine praecedente quadam serie decisionum iudicialium tuto applicari nequeat; secus Emi Patres, quibus statim post Concilium Tridentinum fuit executioni mandandum, in tristi atque difficili conditione fuissent constituti. Praeterea esto, quod etiam aliquae decisiones iudiciales S. C. C. in similibus causis fuissent repertae, illae quoque leges universales et normae generales non sunt. Nam Benedictus XIV. in declaratione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia scribit : « Licet Sanctitas Sua non ignoret alias in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis S. Congr. Conc. pro eorum invaliditate respondisse, aeque tamen compertum habens nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum. . . . declaravit statuitque (illa matrimonia) pro ***validis*** habenda esse ». Qua declaratione Benedicti XIV. allegata non omittenda videtur illius clausula finalis, in qua Rom. Pontifex suggerit principia canonica, quae in hac ipsa causa Parisiensi sunt applicanda : « ***Tandem circa coniugia,*** quae contrahuntur vel in regionibus principum catholicorum ab iis, qui in provinciis foederatis domicilium habent vel in foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus principum catholicorum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum ***aut*** declarandum esse duxit volens, ut de iis iuxta canonica iuris communis ***principia*** probatasque in similibus casibus alias editas a S. Congr. Conc. resolutiones, ubi disputatio contingat, ***decidatur ».*** Quam clausulam Bened. XIV. ut Doctor privatus in suo opere de Synod, dioec. 1. VI, cap. 6, n. 14, magis explicat remittitque ad suam Instr. 33, in qua dicit se de illis regulis iuris communis scripsisse. Cfr. Van de Burgt, De matrim, p. 252. 255.

Quodsi accuratius attendatur, etiam in S. C. C. exem-

pia similium causarum non omnino desunt. Certe alia causa Parisiensis a. 1868. S. C. C. proposita cum causa Parisiensi nunc disceptanda maximam habuit similitudinem. Agebatur enim de uxore, quae pariter ante nuptias Parisiis celebratis *Londini* in *domo paterna suum habuit verum domicilium;* maritus, qui fuit e familia principum Romanorum, *in Urbe* domicilium verum retinuisse (1) videtur; *uterque* sponsus Parisiis *in ea parochia* matrimonium celebrarunt, in qua *neutra* contrahentium pars verum domicilium vel quasidomicilium videbatur acquisivisse. Quae causa Parisiensis licet bis in S. C. C. fuerit discussa, tamen neque d. 11 Ianuarii 1868, neque d. 2 Maii eiusdem anni fuit decisa, sed dilata atque etiam post d. 2 Maii *continuata* magis ob dubia de *factis,* quam de *iuris* quaestionibus, novae enim petebantur *informationes;* at nunquam per definitivam sententiam est dirempta, quantum ex actis penes S. C. C. asservatis erui potuit.

Postquam advocatus actricis processum Parisiensem in causa Henricae accuratissime confectum fuisse recte testatus est, a sententia nullitatis matrimonii a iudicibus Parisiensibus d. 10 Iulii 1897 legitime dicit appellatum esse ad S. C. C, atque quamvis de re hactenus indiscussa agi videatur, tamen opinioni praeclarissimorum auctorum et auctoritati S. C. Inq. innixus minime dubitat, quin Emi Patres sententiam Curiae Archiepisc. Parisiensis sint confirmatum.

At imprimis occurrunt defensores vinculi matrimonialis S. C. C. et Curiae Parisiensis qui validum renunciant hoc matrimonium.

Defensores Vinculi concedunt nullam adfuisse delegationem favore parochi s. Petri de Chaillot. At discrepant in quaestione iuris i. e. in determinando parocho *proprio sponsae;* advocatus enim actricis putat parochum proprium sponsae in casu unice fuisse parochum *Londinensem,* defensores vinculi existimant huiusmodi sponsam quoad formam Tridentinam servandam aequiparari vagis, ideoque ipsius pa-

li) **Recole Vol. XI, 507.**

rochum proprium in loco iuri Tridentino subiecto esse parochum actualis et simplicis commorationis.

Post explicatos omnes modos defendendi vel impugnandi valorem huius matrimonii, qui videntur esse possibiles, ad examen deductionum sive probationum particularium *iuris* et *facti,* propius accedit Consultor aiens; extra omnem controversiam est, in *omnibus* et *singulis* parochiis *Parisiensibus* caput Tametsi esse publicatum et vigere non solum pro catholicis, sed etiam pro acatholicis baptizatis. Quod cum in Curia Romana notorium sit, non est longe lateque probandum. Quare notorium quoque est in parochia Parisiensi S. Petri de Chaillot generatim vigere caput *Tametsi* atque de ista parochia potissimum in casu agitur.

Neque ulla ratione in dubium vocandum est *alterum principium* ab advocato actricis allegatum, quod proprius parochus dicatur is, in quo quis verum vel quasi-domicilium habet (nisi agatur de vagis), atque ex capite *Tametsi* proprium parochum vel Ordinarium saltem unius ex sponsis requiri pro assistentia matrimonio praestanda.

Notio quoque genuina traditur *veri domicilii,* quam Ecclesia, saltem quoad substantiam, sed absque servili imitatione ex iure Romano desumpsit. Nam ut fuse probat Laurin in *insigni suo tractatu singulari de domicilio (Archiv, iuris eccles, t. 26. p. 184. sq.)* in antiquo iure ecclesiastico expressae leges Ecclesiae de domicilio non reperiuntur, sed leges Romanae supponuntur et acceptantur.

Ex iure vero constituto Ecclesiae non existit aliquod domicilium ecclesiasticum in municipio, forte in complures paroecias diviso, aut in *dioecesi* aut in universa *provincia ecclesiastica.* Num Ecclesia velit et prudenter possit mutare suum ius constitutum, est quaestio *de lege ferenda; causae* vero pendentes dirimendae sunt secundum *ius iam constitutum* tempore contracti matrimonii.

Acquisitio veri domicilii recte dicitur absolvi duplici elemento sci. *facto* actualis habitationis in aliqua *parochia* et *intentione* perpetuo *ibidem* manendi, si nihil inde avocet.

Et profecto sententia illa de ***obiecto*** intentionis habitandi in ***totum municipium,*** non in determinatam ***parochiam*** huc usque nonnisi ab uno alterove scriptore et sine solidis rationibus allatis fuit propugnata; ergo notam novitatis vix effugere potest. Praeterea verba intelligenda sunt secundum communem modum loquendi et intelligendi et praxim Ecclesiae; at « ***locus*** » habitationis huc usque a scriptoribus et in praxi Ecclesiae non intelligebatur de municipio , sed de parochia sive de territorio parochiali. Cfr. Instr. Card. Rauscher § ***39«*** Laurin /. ***c. p. 216, not. 1.***

Denique patroni huius novae theoriae ex praxi iudiciali Ecclesiae atque praesertim SS. CC. nullam allegant causam matrimonialem, in qua ex ipsorum opinione sententia lata est. Ex altera parte non paucae disceptationes iudiciales de domicilio in ***una*** ex compluribus parochiis eiusdem civitatis (hac ipsa causa Parisiensi Henricae non excepta) nullum habuissent scopum et serium dubium, si intentio generalis manendi perpetuo vel per maiorem anni partem in ***civitate*** ad constituendum verum vel quasi-domicilium in hac vel illa determinata parochia sufficeret. Cfr. v. g. caus. Taurin. ***12' Dec. 1767*** in S. C. C. propositam.

Inde iam facile concluditur principium iuris, quod ad defendendum ***valorem*** matrimonii Henricae fuit assumptum, solido fundamento esse destitutum, si agatur de iure constituto, non de lege ferenda, ideoque ad definiendam hanc causam non posse inservire.

Quasi-domicilium iuxta advocatum actricis est commoratio in parochia cum animo ibidem permanendi per maiorem anni partem, si nihil inde avocet. Consequenter quasi-domicilium acquiritur duplici elemento sci. ***facto*** commorationis in parochia et ***animo*** ibidem manendi per maiorem anni partem. Quae acquisitio quasi-domicilii locum iam habet primo momento, quo duo illa elementa copulative verificantur. Manifeste igitur errarunt Giraldi, ***Expos, iur. pont. P. I, sect. 741, app. I,*** aliique v. g. Bangen, qui praeter duplex illud elementum ***protractionem*** actualis com-

morationis *per integrum mensem* requirunt, ut aperte patet ex Instr. S. O. 7 Iun. 1867: *«Ece eo primum die, quo haec simul concurrunt, nimirum et huiusmodi animus et actualis habitatio, iudicandum est quasi-domicilium acquisitum fuisse* ». Qua declaratione S. C. Inq. doctrinam iam antea inter scriptores magis receptam expresse ratam habuit. Cfr. Laurin *I. c. p.* ***202.*** *sq.* Potiori iure illud addendum est, quod ex citata Inst. S. O. non *qualiscumque habitatio* ad contrahendum quasi-domicilium sufficiat ; haec enim adduntur verba: « *Praeterea manifestum quoque est actualem habitationem ineptam esse ad quasi-domicilium pariendum, si quis in ea regione more* vagi ac itinerantis *commoretur, non autem vere proprieque* « habitantis » *quemadmodum* sci. « ceteri » solent, qui in *eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent* ». At minime exinde deducendum est, requiri *motivum* undequaque *honestum* illius habitationis: secus v. g. usurarius vel concubinarius non posset acquirere quasi-domicilium. Cfr. Sánchez*, De sanet. matr. sacr. I.* ***III,*** *disp.* ***23,*** *n.* ***12,*** aliosque v. gr. Laurin ***Lc.*** *p.* ***201.***

Quibus praemissis iam facile advocato actricis est assentiendum, quod in forma exposita *possit* quasi-domicilium acquiri ; at alteram quaestionem non attingit, num *unice* hac forma quasi-domicilium acquiratur. Advocatus enim in hac materia ad sensum « *iuris romani et canonum* » provocat. At Ecclesiam quasi-domicilii notionem mutuasse ex iure Romanorum est res usque in hodiernum diem non satis probata; *canones* vero expressi de quasi-domicilio in antiquo iure ecclesiastico omnino non existunt, imo etiam nostra aetate expressa et universalis lex pontificia de quasi-domicilio nondum reperitur lata. Notio quasi-domicilii est potius inventum quoddam fori ecclesiastici theoriis virorum doctorum, praxi iudiciali paulatim introducta et tandem per sententias et Instructiones SS. CC. confirmata.

Cuius quasi-domicilii antiquissimum vestigium reperitur in rescripto Honorii III. (a. 1216-1227), ubi agitur de do-

micilio quodam *principali,* cui opponitur domicilium quoddam secundarium. At nova illa terminologia de << quasi-domicilio » saeculo decimo quarto primum videtur reperiri atque tandem *ex ultimo saeculo* est universaliter et constanter in foro ecclesiastico et inter scriptores recepta.

Qua in notione quasi-domicilii theologi et canonistae in quinque diversas sententias abierunt, donec tandem nostra aetate reiecta iampridem laxa Pontii sententia de nimis brevi commoratione, reprobata quoque vel potius melius explicata opinione de sufficientia unius mensis vel notabilis anni partis vel sex mensium tandem adoptata fuerit sententia supra exposita de commoratione in parochia cum intentione" ibidem habitandi per maiorem anni partem.

Quibus praemissis iam vix dubium existere potest, quin theoria illa iuris de quasi-domicilio *ex actis causae Parisiensis a. 1868.* deprompta et in tertio modo definiendi hanc novam causam Parisiensem allegata, solide fundata et tuta non sit, saltem si attendatur ius constitutum. Nam doctrina canonica in Instr. S. Congr. Inq. proposita, cum qua nova illa theoria conciliari nequit, habetur nunc tanquam absolute certa, non tantum in theoria, sed quod maioris momenti est, etiam *in praxi.* Nam secundum hanc doctrinam non tantum matrimonia declarantur nulla, sed declaratione nullitatis facta etiam nova matrimonia indubitanter permittuntur. Id quod fieri non posset, nisi doctrina ista esset omnino certa; secus SS. CC. sese manifesto exponerent periculo violandi ius divinum de impedimento Jigaminis constitutum. Cfr. Gasparri *I. c. n. 916;* Lehmkuhl *I. c. t. II, n. 782.* Neque admitti potest disciplinam illam certam et communiter vigentem de quasi-domicilio in Gallia atque speciatim in archidioecesi Parisiensi eiusque parochiis iure quodam particulari sive consuetudine legitima esse immutatam. Nam imprimis haec doctrina SS. CC. de quasi-domicilio etiam in causis Parisiensibus hisce ultimis temporibus discussis in praxi fuit applicata (cfr. caus. Paris. *14 Dec. 1899* apud Gasparri *I. c. n. 932)* neque ulla incidit disputatio de iure

illo particulari Parisiis vigente. Maxime vero ***in hac nova causa Parisiensi,*** in qua tot intervenerunt iudices -, defensores vinculi, viri docti, nemo ad singularem illam cönsuedinem Parisiensem provocavit, licet defensoribus matrimonii validissima suppeditasset arma ad probandum valorem matrimonii ab Henrica impugnati. Hinc vel ipsa ***existentia*** huius consuetudinis, etiam nunc vigentis non est sufficienter probata ; id quod omnino requiritur ; nam consuetudo quaedam particularis est res ***facti,*** et quae in facto consistunt, non tantum sunt alleganda, sed probanda.

Itaque quemadmodum verum plenumque domicilium acquiritur ex facto habitationis in parochia coniuncto intentioni perpetuo ibi permanendi, si nihil avocet, ita certe ***utroque*** deficiente amittitur sci. ***per discessum actualem*** cum ***animo non redeundi.*** Cfr. Sánchez ***c. I. III, d. 23, n. 2.*** Quae sententia est indubitata et extra controversiam. Nam iuxta regulam iuris : « ***Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*** »; ergo cum duae causae necessariae sint ad constituendum domicilium, ideo etiam ad dissolvendum domicilium duplex causa requiritur sci. actualis parochiae desertio cum animo non amplius redeundi. Hinc quia iura legitime iam acquisita difficilius amittuntur, quam ab initio acquiruntur, ideo solus actualis discessus v. g. etiam longi itineris causa manente animo redeundi ad parochiam quaesiti domicilii nequaquam sufficit ad annitendum domicilium. Cfr. Feije ***I.*** c.

Vicissim qui iam firmum habet animum deserendi domicilium suum in parochia atque non amplius redeundi, sed actu ibidem suam commorationem continuat, is in illo loco adhuc retinet domicilium. Hinc « ***sponsa*** (ita Van de Burgt, ***De matrim, p. 203) defixum habens domicilium in Parochia*** B., ***sed intendens domicilium transferre ipso nuptiarum die ad Parochiam sponsi*** F. ***potest ipso illo die, antequam discedit, matrimonium inire coram parocho Parochiae*** B. ; ***deperdit namquae domicilium non solo animo***

transferendi habitationem, sed animo et reali discessu ex priori loco ».

Denique domicilium amitti concurrente reali discessu ex parochia cum animo non amplius redeundi P. Tarquini in suo voto scripto contra valorem matrimonii in causa Parisiensi a. 1868. in S. C. C. discussa, hisce verbis egregie exponit : « Non enim est dubitandum ipsam quoque Franciscam utut origine Londinensem (i. e. illa Francisca pariter puella minor Londini in domo paterna habuit verum domicilium, sicut in casu nostro Henrica etiam in minore aetate in materna domo Londinensi verum domicilium sortita est) amisisse Londinense domicilium, cum Paulum secuta est. Ex eo enim tempore deseruit paternum domicilium, ut Pauli domicilio perpetuo adhaereret. Ita communiter doctores, qui de hoc casu expresse agunt i. e. de casu matrimonii omnino invalidi, cuius ***occasione*** femina exiverit e paterno domicilio assertique sponsi domicilium secuta sit. Quarto infertur, ita Barbosa ***de off. et potest. Episcop. p. 2, alleg. 32, n. 67,*** feminam, quae coram parocho suae parochiae contraxit matrimonium invalidum seque inde transtulit ad domum sponsi commorantis in alia parochia cum intentione ibi perpetuo manendi, non posse postea coram eodem parocho matrimonium de novo valide celebrare ; nam ille non amplius dicitur proprius parochus ac Sacerdos, cum femina amiserit primum domicilium statim ac incepit habitare in parochia sponsi cum intentione ibi perpetuo manendi. Ita Sánchez etc. » Ita P. Tarquini ***c,*** ubi agit de revalidatione matrimonii, quod ipse putavit invalide esse contractum.

Quodsi haec sententia certissima sit, si agatur de iis qui sui iuris sive m aetate maiori sunt atque ***voluntarium*** habent domicilium (ut patet ex omnibus illis emigrantibus in Americam cum animo non amplius redeundi in Europam ; cfr. Gasparri ***I.*** c), tamen gravis difficultas manet quoad illos, qui ***necessarium*** habent domicilium, et prout filii vel filiae minores nondum emancipati sunt a potestate paterna, ideoque saltem usque ad aetatem maiorem retinent domicilium

verum in domo paterna vel materna, quod libere pro suo arbitrio ***derelinquere*** non possunt, nisi postquam pervenerunt ad aetatem maiorem aut emancipationem consecuti sunt. Cfr. Gasparri ***L c. n. 925;*** Laurin ***I. c. p. 181, 240 sq.***

Profecto filii vel filiae ***minores*** habent domicilium ***necessarium*** vel legale in domo paterna vel materna. Cfr. ***L. 4 Dig. de his qui sui 1, 6.*** Instruct. Card. Rauscher § ***41;*** Conc. prov. Gaii. in Collect. ***Lac. t. IV, I. c;*** Laurin ***I. c. p. 171 sq. 240 sq.*** At pariter certum est filias minores (de quibus solis hoc loco incidit dubitatio) in ***parochia*** conservatorii, ubi educationis causa per maiorem anni partem, imo forte per complures annos a parentibus collocantur, ***posse acquirere*** ibidem quasi-domicilium. Inde illae puellae pro sua libertate tum in parochia domicilii, paterni, tum in parochia conservatorii, quam facto et animo nondum ***derequerunt,*** possunt saltem valide celebrare matrimonium.

Iam indubitatum est, quod is, qui ***necessarium*** habet domicilium velut relegatus in loco relegationis, regularis in monasterio sibi assignato, clericus beneficio residentiali donatus in loco beneficii, minime pro suo ***arbitrio valedicere*** possit suo domicilio absque consensu legitimo. Ergo saltem ***generatim*** idem videtur dicendum de filiabus ***minoribus,*** quae pariter in domo paterna habent necessarium domicilium. Cfr. Laurin ***I. c. p. 181, 190 sq.***

At per sensum contrarium omnino certum est filium vel filiamfamilias, ex iure Romano, saltem cum consensu patrisfamilias suum domicilium, etiam necessarium potuisse mutare (cfr. ***L. 3. 4. 17. § 11. Dig. L.*** f.); ergo cum Ecclesia ***generatim*** (non tamen quoad ***omnia)*** adoptant ius Romanum de domicilio, etiam a filia minore saltem cum consensu patrisfamilias sive matris, quae in locum patris successit, domicilium mutare potest. Cfr. Laurin ***I. c. p. 181, not. 5;*** Scherer /. c. ***p. 150, not. 40.*** Praeterea cum agatur non de qualicumque mutatione domicilii paterni, sed de illa, quae fit in ordine ad celebrandum matrimonium, recipiendum sacramentum, electionem status,

difficulter videtur intelligi, quomodo in foro ecclesiastico mutatio domicilii a minore sub hoc respectu matrimonii celebrandi facta pendeat a consensu patrisfamilias. Nam cap. 3 de iudiciis II, 1 in Sext. legitur: « ***Si annum*** quartum decimum ***tuae pere gisti aetatis in beneficialibus et*** aliis causis spiritualibus necnon dependentibus ***ab eisdem ac si maior 25 annis existeres ad agendum et defendendum per te vel per procuratorem, quem ad hoc constituendum decreveris, admitti debebis*** ». Atque in fine eiusdem capitis additur: « In huiusmodi quoque ***litibus sive causis,*** *quemquam* ***in*** potestate patris existas ***nec alias*** absque ipsius assensu in iudicio regulariter esse possis, eius, cum de iis ***se intromittere non habeat,*** nequaquam requiri ***debebit*** assensus ». Iam causa matrimonialis est evidenter causa spiritualis ; ergo etiam minor, qui annum decimum quartum iam superavit, in causis quoque dependentibus a causa spirituali ab assensu sui patris non videtur dependere. Praeterea « ***cum____libera debeant esse matrimonia*** », ut dicitur cap. 29. X. ***de sponsal. et matr. IV. 1,*** atque Concilium Trident. ***Sess. XXIV. cap. 1. de ref. matr.*** declaravit matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta non esse irrita, sane ista libertas celebrandi filiorumfamilias multum videtur arctari, si in acquirendo vel derelinquendo domicilio quoad matrimonium celebrandum dependerent a consensu parentum.

Reeolenda insuper est doctrina Benedicti XIV. tradita in fine suae Declarationis pro Hollandia. Etenim ibidem declarat coniugia, quae contrahuntur in regionibus ***principum catholicorum*** ab iis, qui in provinciis foederatis ***domicilium habent*** et alia, quae fiunt in foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus principum catholicorum, diiudicanda esse iuxta canonica iuris communis principia et editas a S. C. C. resolutiones. At idem Benedictus XIV. ut doctor privatus in suo opere de Synod dioec. ***I. VI, cap. 6, n. 14,*** inter alia, quae ad explicandam laudatam Declarationem pro Hollandia conducunt, disertis verbis docet de praedictis matrimoniis satis provisum esse per canonici iuris

regulas constitutas de iis, qui relicta regione, in qua domicilium habent (et retinent) nec novo alibi domicilio vel quasi-domicilio adhuc acquisito, matrimonium ibi contrahere cupiunt, et de regulis illis se egisse dicit in sua Institutione 33. Iam vero illa Inst. 33 docet : « ***De iis, qui relicta regione, in qua domicilium habent nec novo alibi domicilio vel quasi-(domicilio) adhuc acquisito, matrimonium ibi contrahunt » nuptias eorum invalidas*** esse ***idque allatis*** S. ***C. C. facile demonstrat.*** Ergo ex doctrina Benedicti XIV invenitur in capite Tametsi etiam ***vis localis;*** nam in casu exposito ad vim ***personalem*** provocare non potuisset ; recte enim notat Van de Burgt ***I. c. p. 249 : « Praef utor um... haereticorum*** (in Hollandia domiciliatorum et postea transeuntium ad regiones catholicas) ***non potest esse irritum ratione virtutis*** personalis, ***quae in lege est; in loco enim domicilii non ligantur decreto ; propterea nullum est, causa virtutis*** localis decreti ».

Neque spernenda sunt argumenta, quae ex competentia iudicis ecclesiastici saltem indirecte probant istud adagium : ***Locus regit actum.*** Cfr. ***cap. 20, X, de foro comp. II. 2. cap. 1. de foro comp. II. 2. in Sext. ;*** Laurin ***I. c. p. 228. not. 2.*** Nam una ex rationibus, ob quas Ecclesia quoque forum contractus admisit, est illa, quod decisio de causa contractus danda sit secundum ***iura,*** quae vigent in loco contractus celebrati et certe ibidem melius cognoscuntur. Cfr. Schmalzgr. ***I. Il, t. 2, n. 30, 40.***

Advocatus actricis breviter attingit et refutare studet doctrinam defensoris vinculi in Curia Parisiensi, quam'hoc loco vocat subtilem, at postea « absurdam ». Cum postea haec doctrina §2° huius voti ex professo sit examinanda, hoc loco ab omni inquisitione abstineo, atque illico transeo ad alteram quandam lacunam notandam, quae videtur reperiri n. 15 in districtu advocati actricis.

Ibidem attingit quaestionem de vagis; at non satis attendit ***duplicem*** existere speciem vagorum, quae vere et proprie domicilio vel quasi-domicilio ***actu*** carent. Sunt enim,

(sequitur)

ut docet Sánchez ***I. c. I. III. disp. 25. n. 1. « qui nullibi certam ac constantem sedem ac domicilium habent, sed hinc inde vagantur ».*** Atque istis vagis, qui « habitualiter » per incertas Sedes vagantes veluti certi histriones atque lingua vulgari haud raro vocantur vagabundi, evidenter loquuntur Patres Tridentini ***Sess. XXIV. cap. 7. de ref. matrim. « Multi sunt, qui vagantur et incertas habent sedes et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta aliam et plerumque plures illa vivente diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne*** hoc genus hominum vagantium ***ad matrimonium facile recipiant*** . . . . . . ***parochis autem praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint et re ad Ordinarium delata ab eó licentiam id faciendi obtinuerint ».***

At ab istis ***vagis habitualiter*** per incertas sedes vagantibus homines illi pacifici et honesti, qui ***per transennam, ad breve tempus*** sive ut recentiores quidam scriptores loquuntur, ***momentanee*** sunt vere vagi sive vero domicilio vel quasi-domicilio actu destituti, plane differunt. Quae species vagorum ad breve tempus antiquis et novis scriptoribus optime fuit nota (cfr. Sánchez ***I. c. n. 4. sq.;*** Feije ***I. c. n. 238),*** ideoque unanimiter tenent huiusmodi momentanee vagos, qui relicta priori parochia ad aliam se transferunt forte in eadem civitate, et dum' domus illa ad quam se transferunt, expeditur habitatore, hospitantur in aliqua domu alterius parochiae, veros esse vagos, et illis nequaquam applicari posse rigidum illud praeceptum a Concilio Tridentino parochis datum de vagis per incertas sedes habitualiter vagantes.

Discussis iuris probationibus, quas actricis advocatus congerit, transit consultor ad facta; « ***Matrimonio ab actrice contracto adstitit*** sacerdos, ***qui non erat Parochus vel Ordinarius proprius, nec delegationem proprii parochi vel proprii alterutrius coniugum Ordinarii*** obtinuerat nec ***petierat: sponsi autem vagi non erant*** ». Haec est conclusio

minor, quam advocatus actricis quoad facta probandam suscipit supposita veritate ***maioris*** ita breviter enuntiatae : ***Coram solo parocho proprio saltem unius ex sponsis sive ex titulo veri do?nicilii, sive ex titulo quasi-domicilii, sive in vagis ex titulo simplicis et actualis commorationis in parochiis Parisiensibus a fidelibus baptizatis matrimonia valide celebrari possunt.***

At Germanus Bapst, sponsus Henricae, matrimonium cum Henrica certe non celebravit coram suo parocho proprio vel eius delegato. Nam Germanus tempore celebrati matrimonii in parochia S. Petri de Chaillot habuit verum domicilium in parochia S. Philippi de Rule, ut constat evidenter ex actis.

Porro parochus S. Philippi de Rule neque per se neque per suum delegatum huic matrimonio adstitit, sed Vicarius secundus parochiae S. Petri de Chaillot delegatus a primo Vicario eiusdem parochiae de S. Philippi de Rule. Id quod iterum manifeste constat ex actis Summarii.

Deinde Germanus im parochia S. Petri de Chaillot nullum omnino acquisiverat ***quasi-domicilium,*** quia licet ibidem de facto mortuus sit tempore praeparationis et celebrationis matrimonii cum Henrica, tamen nunquam suum verum domicilium in parochia S. Philippi du Rule dimisit neque unquam ullo verbo vel facto manifestavit ***intentionem*** habitandi per ***maiorem anni partem*** in parochia S. Petri de Chaillot. Hinc etiam ex titulo quasi-domicilii parochus S. Petri de Chaillot (vel eius delegatus) non potuit dici proprius parochus Germani. Denique cum Germanus ipso momento matrimonii contracti haberet et retineret verum domicilium in parochia S. Philippi du Roule, nullo modo >***vagus*** dici potuit ideoque parochus S. Petri de Chaillot ex titulo simplicis commorationis matrimonio Germani tanquam vagi ut proprius parochus valide assistere non potuit. Qua in re advocato actricis est omnino adstipulandum; facta enim illa ex processu certissime constant.

Quare universa disceptatio reducitur ad quaestionem,

num huic matrimonio saltem adstiterit proprius parochus sponsae, qui fuerit competens saltem per unum ex tribus titulis supra enumeratis.

Certe si Henrica tempore celebrati matrimonii in parochia Parisiensi S. Petri de Chaillot simul habuit et retinuit in domo matris verum domicilium in parochia Londinensi, (conditionate loquor et interim factum sumo), evidenter proprius parochus Londinensis Henricae neque per se neque per sacerdotem delegatum adstitit ; imo ne in mentem quidem veuit alicui huiusmodi delegationem parochi Londinensis petendi. Ergo si res eo reducatur, quod parochus Londinensis fuerit proprius parochus ex vero domicilio, indubitatum quoque est ***factum*** saltem ***hunc*** parochum matrimonio Henricae non adstitisse.

At numquid forte adstitit parochus vel sacerdos rite delegatus, qui fuerunt competentes sive proprii ex ***quasi-domicilio*** ab Henrica Parisiis acquisito? Profecto Henrica Parisios venit, ut suam compleret educationem in monasterio assumptionis. Qua occasione antequam ingrederetur laudatum monasterium, certe per breve tempus morata est apud suam amitam, Sophiam Fries, cuius domus sita erat infra fines parochiae S. Petri de Chaillot. At recte advocatus actricis ex ista visitatione transeunte apud amitam omnino negat Henricam ibidem acquisivisse quasi-domicilium. Nam omnibus attentis circumstantiis Henrica non habuit ***intentionem*** in domo amitae habitandi ***per maiorem anni*** partem, sed potius educationis causa mox ingrediendi monasterium assumptionis. Hinc etiamsi fortasse talem intentionem habuisset (id quod plane improbabile est), certe quasi-domicilium apud amitam iterum amisisset, quia illud de facto deseruit, et ingressa est conventum assumptionis neque brevibus visitationibus, quas Henrica interdum instituit in domo amitae, cum moraretur in conventu assumptionis, ullo modo concludi potest, quod in domo amitae fixerit quasi-domicilium atque retinuerit vel ipso tempore, quo in conventu habitavit. Id sane fìngi posset, si ut scholaris ex-

terna visitasset tantum scholas conventus, at minime si in convictu conventus assumptionis stabilem habuit habitationem pro more aliarum puellarum ibidem educatarum.

Porro negari non potest Henricam ratione habitationis in conventu assumptionis ***quasi-domicilium*** acquisivisse ***in parochia S. Mariae D'Auteuih*** intra quam conventus ille est situs, quia de facto Henrica ibidem habitavit cum animo ibidem manendi saltem per maiorem anni partem, imo forte per totum annum scholasticum, nisi praematurae illae nuptiae fuissent conciliatae. Nam Henrica sane ingressa est in conventum pro more aliarum puellarum educandarum, quae ex communiter contingentibus dicuntur acquirere quasi-domicilium. Porro si post mensem habitationis elapsum stat aliqua praesumptio iuris pro intentione manendi per maiorem anni partem, id fit indubitatum, si puella ultra sex menses de facto manet in conservatorio, e quo ante finem anni scholastici per accidens egreditur propter nuptias ipsi oblatas. Verumtamen totum illud quasi-domicilium in parochia S. Mariae d'Auteuil est nullius momenti, quia Henrica ante nuptias celebratas illud amiserat ; discesserat enim ex conventu cum animo nuptias mox celebrandi, non denuo redeundi. Quae nuptiae insuper non coram parocho S. Mariae vel eius delegato, sed coram delegato parochi S. Petri de Chaillot fuerunt celebratae. Hinc tota disputatio de quasi-domicilio huc redit, num Henrica ***post*** egressum ex conventu assumptionis acquisiverit quasi-domicilium in parochia ***S. Petri de Chaillot.*** Id quod advocatus actricis optimo iure negat suamque negationem solide probat. Nam Henrica post discessum ex conventu habitavit cum matre in diversorio publico (Hôtel Meyerbeer) quod situm est in parochia S. Philippi du Roule (parochia sponsi) atque mox pariter cum matre transtulit habitationem suam in parochiam S. Petri de Chaillot, ubi mater pro sex hebdomadis conduxit domum quandam instructam pro solitis receptionibus tempore nuptiarum.

Ergo in casu Henrica ratione quasi-domicilii ***matris*** in parochia S. Petri de Chaillot non habuit quasi-domicilium,

quia mater cum filia sua minorenni communicare non potuit, quod ***ipsa*** non habuit.

Unicus igitur titulus, ex quo parochus S. Petri de Chaillot potest vocari proprius Henricae parochus, est titulus simplicis et actualis commorationis, si Henrica fuit vaga. Nemo profecto in dubium vocare potest, quod Henrica in domo a matre conducta simplicem quidem, sed stabilem quandam habuerit sedem commorationis suae.

At numquid Henrica vere fuit vaga? Id absolute negat advocatus actricis, at saltem peremptoria argumenta suae resolutissimae negationi non addit. Profecto esset error manifestus, si quis diceret, Henricam tempore contracti matrimonii fuisse ***habitualiter vagam,*** quae per ***incertas*** sedes v. g. ut saltatrix vage tur secundum descriptionem vagorum a Concilio Tridentino ***Sess. XXIV. cap. 7. De ref. matr.*** datam. At numquid Henrica cum Parisiis in ecclesia parochiali suae actualis commorationis matrimonium contraheret, forte fuit vaga ***momentanee*** sive ad ***breve tempus*** ? Quae conditio vagi momentanei sane plane fuisset sufficiens, ut parochus S. Petri de Chaillot ut ***proprius*** valide assisteret celebrationi matrimonii Henricae et Germani. ***Parisiis*** certe Henrica neque verum, neque quasi-domicilium habuit, cum nuptias cum Germano 'celebraret, ergo ex ***habitatione Parisiensi*** Henrica vagis certissime esset adnumeranda. Quod si quaeratur, num Henrica forte ***alibi*** verum domicilium vel quasi-domicilium habuerit et retinuerit, sicut Germanus verum domicilium habuit et retinuit in parochia S. Philippi du Roule, unice dubitari potest de retento ab Henrica vero domicilio ***in parochia Londinensi,*** ubi in domo materna antea habuit verum domicilium.

Si Henrica fuisset aetate ***maior*** vel iam ***emancipata,*** cum Parisiis contraheret matrimonium, sane ***dubium superesse*** posset, num Henrica inter vagos esset adscribenda. Nam filii postquam facti sunt maiores vel emancipati, sane in domo paterna non amplius retinent domicilium ***necessarium*** sive legale, atque pro suo iure domicilium paternum

derelinquere ***possunt*** (cfr. Gasparri ***I. c. n. 925),*** sed ex altera parte nequaquam ***ipso facto,*** sive ipso iure amittunt quodvis domicilium in domo paterna, quamprimum aetatem maiorem attigerunt vel emancipati sunt. (Cfr. Laurin ***I. c. p. 190. not. 3 p. 242 not. 8)*** potius domicilium ipsorum necessarium vel legale ***transit in voluntarium,*** si filii ***de-facto*** in domo paterna habitare continuant neque ullam habent intentionem 'discedendi, sicut uxor post mortem mariti non amplius habet domicilium legale sive necessarium uxoris in parochia mariti (cfr. ***L. 22 § 1 lib. 38 § 3 Dig. ad municip. lib. 1),*** sed domicilium ut voluntarium manet, si uxor de facto ibidem habitare pergat neque animum habeat discedendi. Quare Henrica si maior vel emancipata fuisset, domicilium voluntarium etiam in domo paterna vel materna retentum libere dimittere potuisset. At Henrica tempore contracti matrimonii cum Germano nec maior fuit nec emancipata, sed ***minor.***

Praeterea etsi maior fuisset, omnibus attentis circumstantiis domicilium maternum Londini habitum certe ***ante nuptias de facto*** non dimisit. Nam etsi ***una conditio*** amissionis veri domicilii scil. ***actualis discessus*** in Henrica fuerit verificata (nam evidenter Henrica Londinum reliquerat et tempore celebrati matrimonii Parisiis versabatur iam ab octo fere mensibus); at ***altera*** conditio i. e. intentio deserendi ***iam ante*** celebratas nuptias domicilium in domo materna Londinensi in Henrica nequit pro foro ecclesiastico admitti. Nam huiusmodi actu absque ulla necessitate posito Henrica sese effecisset ***vagam.***

Quodsi dubium quoddam remaneat, lex ipsa voluntatem contrahentis sponsae interpretata est; etenim in X. ***32 Dig. ad municip. L. 1.*** statuitur: « ***Ea, quae desponsa est,*** ante contractas nuptias ; ***suum domicilium non mutat*** ». Cui sanctioni iuris Romani, cum expressa et diversa lex canonica non habeatur, procul dubio etiam in foro ecclesiastico standum est.

Quae sane sunt verissima in casu quo Henrica esset ***maior;***

at certissima sunt habenda, si quis attendat, Henricam, ***utpote minorem, ne de iure quidem*** potuisse ante contractas nuptias absolute deserere et amittere domicilium Londinense in domo materna, etsi ipsa Henrica vel eius mater id voluissent. Nam voluntas privata nequit mutare absolutam iuris dispositionem iuxta ***L. 38 Dig. de pactis II, 14:*** « Ius publicum privatorum pactis mutari non potest ». Sed minores ipsa iuris dispositione in domo paterna vel materna verum domicilium habent assignatum, quod nequaquam minorum vel parentum arbitrio est relictum.

Quum egisset Consultor de deductionibus iuris et facti advocati actricis, agere incipit de interpretatione textus Tridentini a defensoribus vinculi proposita. Patres Tridentini ait in primo membro cap. ***Tametsi Sess. XXIV. De ref. matrimon.*** potissimum allegant ***rationes,*** quibus inducti fuerint ad novas leges condendas de celebratione matrimonii. Cum autem ***ratio*** legis non sit lex, et ex rationibus generalibus allatis non potuerit deduci lex quaedam specialis et multo minus lex quaedam ***irritans,*** mox Patres Tridentini in secundo membro dant legem ***quandam praeceptivam (Sancta Synodus— praecipit)*** de denuntiationibus matrimonialibus, a proprio contrahentium parocho faciendis, qua lex Conc. Later. IV. fuit ampliata, sed nequaquam in legem irritantem transformata. Nam Synodus tantum praecipit, clausula vero ***irritans nullibi*** additur. Deinde sequitur tertium membrum, in quo accurate definitur ***forma,*** qua ***saltem parocho*** (at verbum ***proprio*** expresse non additur) ***et duobus vel tribus testibus praesentibus*** celebretur. Quia tantum dicitur: ***Celebretur,*** ideo haec praescriptio fuisset lex ***mere praeceptiva,*** quae celebrationem matrimonii ***sine*** forma Tridentina reddidisset ***illicitam, non invalidam; nam*** lex illa praeceptiva, utpote clausula irritante destituta, neque in terminis legum irritantium lata, non fuisset lex vere irritans. Cfr. Suarez, ***De leg. I. V, cap. 25, 26.***

Hinc Patres Tridentini tandem addiderunt quintum membrum, in quo videtur esse cardo praesentis controversiae

atque manifesta habetur clausula irritans hisce verbis concepta : « ***Qui aliter quam praesente parocho*** (verbum ***proprio*** iterum non additur) ***vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentarunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullai ».***

Interpretatio textus Tridentini, quam suppeditat defensor Parisiensis Curiae non est plane nova. P. Tarquini in alia causa Parisiensi a. 1868 (1) discussa hisce verbis illam breviter clareque refert et perstringit : « ***Quod vero ad aures mihi pervenit, ab aliquo dictum esse, venientes e loco immuni in locum Tridentinae legi subiectum, teneri quidem coram Parocho nubere, sed parochum ipsum arbitrio suo posse eligere, prout vagis conceditur; id porro probari a me nullo pacto potest. Novum enim hoc est et inauditum; neque unquam plane ita iudicari vidi, sed perpetuo contrarium ».***

Neque defensor S. C. C. novam se putat tenere doctrinam, si theoriam defensoris Parisiensis ratam habeat atque eidem opem ferat per distinctionem fuse expositam supra allegati membri : ***Qui aliter etc.*** Quam distinctionem advocatus actricis hisce verbis breviter recteque exponit: ***« S. C. C. ligaminis Assertor celebre Decretum :*** Qui aliter etc. ***in duas partes dispescit, quarum alteram, utpote quae contrahentes respicit, esse tantum*** inhabilitantem ***asserit et alteram*** irritantem ***atque demonstrare conatur contingere posse, ut quis solummodo prima*** vel ***tantum altera*** vel ***utraque ligetur decreti parte, ut exinde concludat, Actricem non primae eiusdem decreti parti obnoxiam fuisse, sed tantum secundae, quae*** nullimode ***iuxta contradictorem exigit proprii*** alterutrius ***coniugum parochi praesentia*** ». Hactenus advocatus actricis, qui illico addit: « ***Patres Emi, si candide loqui nobis fas est, exposita divisio*** absurda ***omnino nobis videtur ».***

(1) Recole Vol. XI, 567.

Profecto P. Tarquini atque advocatus actricis sententias a se relatas et impugnatas epithetis honorificis non exornant. Quamvis mihi statim ab initio candide quoque fatendum videatur, me non posse consentire interpretationi textus Tridentini ab utroque defensore vinculi datae, tamen a severioribus censuris et notis penitus abstineo. Vix enim mihi persuadere possum interpretationem quandam esse aperte absurdam, quae saltem illud effecit, ut haec causa matrimonialis differretur et exigeretur votum duorum consultorum. Causae enim matrimoniales exigunt promptam definitionem, sed propter absurdas interpretationes sententiae iudiciales ab Emi Patribus non solent differri neque exigi inutilia vota consultorum de absurdis interpretationibus. Neque illud reticendum, quod tum P. Tarquini tum advocatus actricis recurrant saltem ad ***aliqua*** argumenta debilia vel nullius fere momenti. Sane si P. Tarquini cum emphasi exclamat, se nunquam plane vidisse ita iudicari, est argumentum petitum ex ignorantia sive defectu scientiae ; at ex defectu scientiae solide non probatur non existentia alicuius rei, nam etiam doctissimo consultori facile accidere potest, ut decisiones S. C. ignoret raro datas et forte ante sat longum tempus praesertim in S. C. Inq., quae huiusmodi decisiones in causis matrimonialibus promulgare non solet. Quodsi idem consultor addit, se semper vidisse contrarium, haec evidenti nituntur aequi vocatione. Quomodo enim videre potuit decisiones contrarias perpetuo datas, quae post accuratam investigationem etiam in archivio S. C. Inq. factam nullibi fuerunt inventae, quas penitus ignorat Secretarium S. C. C. in causa Parisiensi a. 1868, ubi exacte causas ad rem facientes recenset, sed ne unam quidem, quae huc spectaret. Idem accidit in prima huius causae propositione, ubi in relatione ex officio facta de similibus casibus a S. C. C. definitis est altum silentium, atque ipse advocatus actricis candide fatetur casum plane novum et a saeculis non decisum subiici iudicio Emorum Patrum. Denique est argumentum palmare. Post solemnem illam exclamationem de

contrariis decisionibus perpetuo datis et visis, unusquisque procul dubio expectasset, ut P. Tarquini pro more consultorum et praxi S. C. C. saltem unam ex illis causis a se visis allegaret; at mirabile dictu ne unam quidem proponit, sed aliis (utique solidis) argumentis insistit. Ergo haec exclamatio est adnumeranda assertionibus generalibus non satis probatis.

Similiter advocatus actricis in scriptura sua secunda sive subsidiaria n. 3 de proprio contrahentium parocho solida allegat principia, e quibus vera conclusio deduci potest atque n. 7 exceptionem sui adversarii de proprio parocho vagorum plane peremptorio modo réfutât. At quae n. 4 habet de foro competente et de lege generali, et praesertim argumenta, quibus n. 5 et 6 insistit, non omnibus viris doctis videbuntur esse adeo peremptoria, ut de ***absurditate*** contrariae sententiae manifeste conclamatum sit. Nam certe forum competens fit ex loco contractus, sed haec argumentatio est petita ex analogia de competentia ***iudicis*** et competentia ***parochi*** pro assistentia matrimonii ; at argumenta ex analogia petita in iure solent esse periculosa. Accedit, quod ius constitutum de contractibus ordinariis emptionis et venditionis extendatur ad contractum plane ***singularem*** matrimonii, qui ***simul est sacramentum;*** huiusmodi extensio principii generalis ad causam omnino specialem et sui generis non est adeo clara et aperta. Denique quod peius est, forum illud competens ex loco contractus iuxta communem sententiam nequit applicari ***peregrinis,*** qui celebrant contractus in loco, per quem transeunt, (et in casu ex ipsa sententia advocati actricis agitur de peregrina). Cfr. Pirhing ***I.*** *IL* § ***2, n. 36.*** Imo si quaestio incidat de competentia ex loco contractus ***matrimonii,*** S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. et Cardin. Rauscher in suis Instructionibus de processu matrimoniali ***illum titulum*** competentiae iudicis matrimonialis ***omnino non commemorant.*** « Item nullus auctor alicuius auctoritatis (ut dicit Gasparri /. ***c. n.*** *1169)* id expresse meminit. Exinde quis non immerito suspicari

posset tale forum competens esse solum pro contractibus civilibus, de quibus (auctores) tantum loquuntur et ad matrimonium non pertinere ». Qua limitatione certe Sedes Apostolica, cuius territorium est orbis terrarum, non constringitur, ideoque S. C. C. in loco contracti matrimonii frequenter, at non semper iudices delegatos constituit.

Si deinde advocatus actricis arguit ex natura legis ***generalis,*** quam capiti Tametsi tribuit, iam supra demonstravi ex ***natura plane singularis*** huius capitis eiusque promulgatione in ***singulis parochiis*** applicationem iuris de aliis legibus generalibus lati esse periculosam et certe non peremptoriam, quia generi per speciem potest derogari, ergo aliunde ex ***ipso iure speciali capitis*** Tametsi solutio difficultatis videtur esse repetenda. Et revera Sánchez ***I. c. t.*** *III,* ***disp. 18 n. 26 sq.*** (ad quem auctorem postea etiam advocatus actricis n. 6 provocat) nequaquam ex illo principio de lege generali obligationem peregrinorum servandi formam Tridentinam repetit, sed ex illo alio axiomate, quod ***locus regat actum*** et etiam peregrini in contractibus ineundis debeant ordinarie (Sánchez ***I. c. n. 11.*** admittit exceptionem) servare solemnitates ***iure loci*** praescriptas.

Denique advocatus actricis n. 5 et 6 proponit argumentationem ex decreto Urbani VIII, ***14 Aug. 1627,*** et communi quidem sententia doctorum. At defensores vinculi optimo iure respondere poterunt allegationem decreti Urbani VIII non esse ad rem. Nam decretum Urbani VIII agit de fidelibus, qui ***retento*** domicilio in parochia capiti Tametsi ***subiecta,*** migrant in aliam a capite Tametsi ***immunem.*** Qui fideles evidenter ligantur obligatione personali etiam in loco exempto, nisi ibidem acquirant saltem quasi-domicilium, At in casu agitur de iure Tridentino applicando, si quis ex loco ***exempto*** et forte ibique ***retento*** domicilio veniat in parochiam ***non exemptam.*** De hoc casu Urbanus VIII. ex professo non agit ; insuper in tali peregrino v. g. Anglo nulla est obligatio personalis, sed ad summum localis, quam defensores vinculi non negant. At coram quo parocho illi de-

beant contrahere tanquam proprio, de hac re expresse nihil habet. Quare advocatus actricis melius provocasset ad ***clausulam finalem*** declarationis ***Benedicti XIV*** pro Hollandia.

Coronidis loco illud sit additum, quod advocatus actricis decretum Urbani VIII cum ***communi*** quadam sententia doctorum ita interpretatur, ut matrimonia in primo et secundo casu allegata, ab Urbano VIII fuerint declarata irrita « non ob inhabilitatem contrahentium, sed potius in fraudis poenam ». At si iam ipse textus decreti Urbani VIII ***rite*** explicatus ob diversitatem casus a defensoribus vinculi non sit timendus, multo minus ***falsa*** interpretatio textus illius decreti ut legitimum argumentum allegari potest. Nam nunc iam diu non amplius dubitari potest, quin matrimonia in primo et secundo casu fuerint invalida praecise propter ***inhabilitatem personalem*** contrahentium, non ***formaliter*** in poenam ***fraudis.*** Nam ex Instr. S. C. Inq. et ex iteratis decisionibus S. C. C. et S. C. Inq. S. C. nunc ***certo*** constat talia matrimonia esse certo invalida etiamsi contrahentes ***absque ulla fraudulenta*** intentione matrimonii celebrandi et parochum proprium declinandi ex suis parochiis iuri Tridentino subiectis discesserint et alibi bona ***fide*** in parochia exempta coram parocho (non suo) celebrarint matrimonium. Nam lex Tridentina est localis et personalis, ut constat ex Instr. S. C. Inq. 14 Dec. 1859. At obligatio illa ***personalis*** in discedentibus ex parochia iuri Tridentino adstricta non cessat, nisi in loco a iure Tridentino exempto saltem ***quasi-domicilium*** acquisiverit aut facti sint ***vagi.*** Ideoque contrahentes vere in fraudem proprii parochi agunt quamdiu conditiones ipso iure statutas ad obtinendum immunitatem ab illa obligatione personali non impleverint. Quae sententia cum a S. C. O. et S. O. Inq. in compluribus declarationibus nullitatis matrimonii fuerit adoptata, ita certa evasit, ut contraria omnem probabilitatem amiserit. Cfr. Gasparri ***c. n. 985 sq.*** Quare collectio illa doctorum, quae in favorem alicuius communis (vel communioris) sententiae contrariae allegatur, sane est insigne mo-

numenttim eruditionis P. Ballerini, Editorum Act. S. Sed., advocati actricis, at nunc rebus antiquatis est adnumeranda.

Quibus animadversionibus criticis praemissis, nunc ad positivam textus Tridentini interpretationem est accedendum.

I. Itaque imprimis lex Tridentina cap. Tametsi lata obligat omnes fideles baptizatos, qui in loco huic iuri Tridentino subiecto contrahunt matrimonium. Nam Patres Tridentini utuntur verbo generalissimo : « Qui aliter... matrimonium contrahere attentabunt, eos. . . . .***inhabiles reddit et huiusmodi contractus...*** annullat ». Quare ii solummodo sunt excipiendi, qui ex generalibus iuris principiis aut ex limitatione ***ab ipso Concilio Tridentino*** in fine capitis apposita aut ***ex speciali titulo*** aliunde probanda sunt excepti. Hinc sane excepti sunt ***infideles inter se*** matrimonia celebrantes, imo etiam in matrimoniis ***mixtis*** infidelium, nisi aliud obstaret impedimentum disparitatis cultus; nam propter individuitatem contractus pars exempta a ***forma*** Tridentina servanda suam immunitatem etiam communicat cum altera parte contrahente. Nam licet hoc principium de communicatione exemptionis ob individuitatem contractus ad alia impedimenta v. g. consanguinitatis extendi nequeat, tamen impedimento clandestinitatis sive formae Tridentinae ex praxi recepta nunc certo applicatur, nisi modificatio quaedam huius principii iuris mere positivi sit attendenda v. g. in declaratione et statuto Leonis XIII pro insula Melitensi. Porro unica limitatio ab ipso Concilio Tridentino suae sanctioni generali (Qui aliter-eos) addita reperitur in clausula finali : ***Ne vero haec [tam salutaria praecepta quemquam lateant*** etc., ubi praescribit Ordinariis omnibus, ut cap. Tametsi ***in singulis parochiis*** publicent et insuper decernit, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat. « Quae clausula finalis Concilii Tridentini sane Parisiis fuit servata, neque quisquam de pienissimo vigore capitis Tametsi in parochiis civitatis Parisiensis dubitat. Neque ***tituli*** quidam ***speciales*** exemptionis ibidem invocari possunt, qui v. g. a Bened. XIV

pro Hollandia aut a Leone XIII pro insula Melitensi sunt concessi. Manet igitur Parisiis in suo inconcusso et pleno valore lex Tridentina: « Qui aliter - eos Sancta Synodus... ***inhabiles*** reddit et huiusmodi contractus. . . . annullai ».

II. Praeterea ***quotquot*** capite Tametsi ligantur, ii omnes coram proprio parocho matrimonium celebrare debent. Profecto Concilium Tridentinum in duobus illis membris c. Tametsi, ubi ex professo agit de ***forma substantiali*** ipsius ***celebrationis*** matrimonii (non de denuntiationes et de benedictione matrimonii) verbum illud : « proprio » vocibus : « Saltem Parocho » vel « Praesente Parocho » non addit, atque huic omissioni defensor vinculi H. S. C. in suis animadversionibus magnam vim videtur tribuere. At indubitanter verbum : « ***Proprio*** » etiam in locis citatis est omnino subintelligendum. Cfr. Sánchez ***I. c. I. III, cap. 19, n. 2.*** Nam Patres Concilii Tridentini tum in ***praecedentibus*** (de denuntiationibus matrimonialibus) tum in ***subsequentibus*** (de benedictione matrimonii) expresse loquuntur de parocho proprio, sed ex toto contextu semper agitur ***de eodem*** parocho; hinc etiam in parte media capitis Tametsi verba Concilii Tridentini intelligenda sunt de parocho proprio. Porro si verbum illud « ***proprio*** » non esset addendum logice sequeretur propter illam indefinitam locutionem « ***parocho » unumquemque verum parochum*** posse assistere matrimoniis fidelium, **i** Cfr. Sánchez ***I. c. n. 1.*** At hanc conclusionem defensor vinculi certe non admittit ; esset enim conclusio plane nova et inaudita et manifeste pugnans cum verbis sequentibus Concilii Tridentini : « ***Quodsi*** quis ***Parochus vel alius sacerdos sive regularis sive saecularis sit***_____alterius ***parochiae sponsos sine*** illorum ***Parochi licentia matrimonio coniungere*** aut benedicere ***ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario*** eius Parochi, ***qui matrimonio*** interesse ***debebat*** seu ***a quo benedictio suscipienda erat absolvatur*** ». Hinc praeter determinatum parochum ***reliqui*** sub gravissimis ***poenis*** excluduntur. At determinatus parochus, qui debet assistere sive interesse est ***unus***

idemque cum illo. a quo benedictio est suscipienda; sed in textu immediate praecedente Synodus Tridentina disertis verbis statuit: « ***Benedictionem*** a proprio ***Parocho*** fieri ». Ob perfectam igitur aequiparationem inter Parochum ***assistentem*** et Parochum ***benedicentem*** ab ipso Concilio Tridentino stabilitam (qui ***matrimonio interesse debeat*** seu ***a quo benedictio suscipienda erat)*** etiam parochus assistens debet esse ***proprius.*** Denique si vel solum verbum ***parochi*** in subiecta materia matrimonii et in contextu spectetur, et ratio habeatur scopi Ecclesiae in novo decreto condendo atque praxis iam ante Concilium Tridentinum vigentis, ille parochus contrahentium (sine illorum parocho) est unice parochus proprius. Hinc quoad sensum rectissime monet P. Tarquini in laud&to suo voto (a. 1868): « Omnes animadvertunt, non simpliciter coram Parocho contrahi matrimonium Tridentinum iussit, sed coram Parocho proprio ». Cui interpretationi textus Tridentini communis opinio doctorum suffragatur, de qua nunquam fuit seria controversia. Cfr. Sánchez et Gasparri ***I. c.*** Quare si defensor vinculi insistat illi omissioni vocabuli « ***proprio »*** ad falsas adigitur conclusiones mimiumque probat et ideo nihil probat.

Qui proprius contrahentium sponsorum parochus ex capite Tametsi dicitur is, in cuius parochia saltem unus ex contrahentibus sponsis habet aut ***verum domicilium*** aut ***quasi-domicilium ,*** aut ***actualem commorationem,*** si de ***vago*** sponso agatur.

Etenim ex mente Patrum Tridentinorum parochus proprius saltem in ordine ad matrimonium contrahendum non est parochus ***originis.*** Nam si simpliciter in iure nominetur parochus proprius intelligitur parochus ***domicilii.*** Quodsi sacri canones etiam complecti volunt parochum originis, id ***expresse*** declarant, ut contingit ***in sacra ordinatione.*** Hinc doctores communiter his veluti fundamentis innixi proprium parochum, cum de matrimonio agitur, eum existimant, in cuius parochia domicilium constituitur. Hanc pariter opinionem S. C. C. d. 18 Nov. 1702 in causa. Mutinensi se-

cuta est. Ita optimo iure argumentatur Bened. XIV in ***Inst. eccles. 33, n. 6.*** Cui vero domicilio merito adnumeratur quasi-domicilium tanquam titulus, ob quem quis fìat ***proprius*** parochus, saltem ut valide et licite assistat matrimonii celebrationi. Nullibi enim in iure sanctio illa singularis, qua Episcopus ex titulo veri domicilii, non quasi-domicilii fit proprius sive competens Episcopus ***ordinationis,*** etiam ad matrimonium fuit extensa. Hinc auctores omnino sunt unanimes, quod non tantum ex vero domicilio, sed etiam ex quasi-domicilio repetunt, quod aliquis fiat dioecesanus vel parochianus, sive ut subditus Episcopo vel parocho tanquam proprio suo pastori subiiciatur. Id quod absque dubio valet de solemnizatione matrimonii. Quare si iam Glossa in antiquum ius Decretalium iterum iterumque docet principium: Dioecesanus alicuius, ubi aliud non additur, intelligi debet dioecesanus domicilii, procul dubio Patres Tridentini verba cap. Tametsi de proprio parocho iuxta communem modum loquendi scholae et doctorum intellexerunt. Cfr. Sánchez ***/. c. I. III, disp. 23, n. 7;*** Laurin ***I. c. p. 219, sq.***

Denique inde ab antiquis temporibus iam recepta fuit doctrina solos vagos ex mera habitatione fieri parochianos alicuius parochi sive eidem subiici ut ***proprio.*** Cfr. v. g. Glossa ad ***cap. 20, X.*** de foro ***com. II, 2. v. « Aut domicilii*** ». At istud principium nunquam ad peregrinos vel hospites fuit extensum. Cfr. Sánchez ***I. c. I. III. disp. 18. n. 3 sq. disp. 25. n. 8. sq.;*** Reiffenstuel /. ***IV. I. 3. n. 86, 94;*** Bened. XIV. ***Inst. eccl. 33, n. 10;*** Laurin /. ***c. p. 206.*** Is enim, qui verum domicilium aut quasi-domicilium in aliqua parochia retinet atque transeunter per simplicem commorationem versatur in alia parochia, nullo modo ***vagus*** vel vagabundus est, sed peregrinus vel hospes habetur. Qua in doctrina scriptores vere unanimes sunt, ut patet ex doctoribus supra allegatis.

Inde iam conclusio sequitur indubitata ex triplice tantum titulo parochum fieri ***proprium*** in ordine ad celebrationem matrimonii sci. aut ex vero domicilio aut ex quasi-

domicilio aut ex vera, etsi momentanea, vagitate contrahentium; ***quartus*** titulus non datur.

At ex sententia defensorum vinculi in causa Henricae et G-ermani revera quartus quidam titulus competentiae ad assistentiam praestandam in parochis videtur existere. Ipsi enim praetendunt ***certos*** contrahentes, qui ex ipsorum opinione veri vagi non sunt, quippe qui alibi in parochia capiti Tametsi non subiecta verum, vel saltem quasi-domicilium retinent, et tantum ut hospites et peregrini nunc versantur in parochia capiti Tametsi subiecta, nihilominus quoad celebrationem matrimonii esse ***aequivalenter vagos,*** qui ibidem coram parocho simplicis commorationis valide matrimonium celebrare possint.

At contra istam sententiam defensorum vinculi imprimis militat gravissima illa ***praesumptio,*** quod ***peregrinos cum vagis con fundant.*** Est enim manifestum discrimen inter vagos et peregrinos ab omnibus scriptoribus admissum, maxime in hac materia celebrationis matrimonii. Cfr. Laurin /. ***c. p. 223 sq.*** Quare quod iura statuerunt de vagis, nonnisi arbitrarie ad peregrinos extendi potest. Hinc recte arguit P. Tarquini in suo voto a. 1868. scripto : « ***Quod enim iura conditionem*** vagi ***exigunt, ut peregrino liceat parochum eligere, id docet eum, qui*** vagus non sit, ***hanc facultatem non habere. Qui enim vagus non est, una cum domicilio habet parochum proprium, coram quo, licet in loco a Tridentino immuni non teneatur sub poena irritante matrimonium inire, tenetur tamen lege disciplinari*** (praescribente), ***quae semper in Ecclesia viguit; vagus autem cum nullum habeat domicilium ita nullum habet parochum*** (proprio ex domicilio) ***nullamque proinde legem, quae apud illum*** (parochum domicilii non existentis) ***inire nuptias cogat. Itaque merito Kugler communem referens opinionem*** (De matr. 294) ***scribit : Peregrini invalide contrahunt in loco, ubi Tridentinum receptum est, absque praesentia parochi et testium, quamvis in propria Dioecesi Tridentinum non esset receptum. . . . Imo quamvis in dicto casu peregri-***

nus non vagus, neque domicilium aut quasi-domicilium figere volens in loco Concilii recepti matrimonium contraheret coram loci parocho et testibus adhuc non modo illicite, sed etiam invalide ageret, quia non contraheret coram proprio parocho. Pignat. ***tom. 5, Cons. 79, n. 33*** [iunct. n. 32 et praesertim n. 34 ubi Pignatellus haec addit: Ex hoc igitur capite tenendum est, matrimonium huiusmodi (i. e. peregrinorum de quibus in casu), quia divertendo ad locum, in quo non habent proprium Parochum, se reddunt impotentes ad contrahendum ; nam sibi reddunt impossibilem formam praescriptam a Concilio servandam in loco, in quo contrahitur et proinde |nulliter contrahunt iuxta Doctores modo citatos], ***quandoquidem, uti dictum est Parochum proprium domicilium tantum aut quasi-domicilium facit*** ». Hactenus P. Tarquini ***I. c.***

Altera ratio contra defensores vinculi repeti potest ***ex ipso scopo Concilii*** Tridentini. Etenim Patres Tridentini nequaquam parocho qualicunque, sed certo determinatoque curam et tutelam matrimonii quoad denuntiationes, investigationes impedimentorum, celebrationem et benedictionem voluerunt committere. Quod nimis multis personis committitur, teste experientia collegialiter quidem geritur, sed etiam collegialiter negligitur. Hinc vel ipsi ***vagi*** iuxta magis fundatam sententiam non coram ***unoquoque parocho,*** sed tantum coram parocho ***actualis*** commorationis valide contrahere possunt, ut recte tenent Bened. XIV. ***Inst. 33, n. 10*** aliique v. g. Card. D'Annibale, Mansella, Santi, Lehmkuhl, Pirhing, Schmalzgrueber.

Quodsi Sánchez ***I. c, I. III, disp. 25, n. 11 sq.*** cum aliis contrariam sententiam tenet, valde debilibus argumentis innititur, si tandem aliquando contendit ***quemlibet parochum de mundo*** esse competentem, ut matrimoniis vagorum assistat. Nam ratio petita ex confessione non est ad rem ; quia certe nullus vagus confiteri poterit apud aliquem parochum, nisi actu versetur in aliena illa parochia, aut parochus alienae parochiae versetur in parochia actualis com-

morationis vagi; porro potestas confessiones excipiendi ex disciplina nunc vigente de sacramento ***poenitentiae*** est diiudicanda; quae praxis nequaquam ad ***alia*** sacramenta est -transferenda. Porro si dicitur non esse rationem, cur potius hic parochus quam ille assistat, est probatio parum solida; nam manifesta est ratio, cur potius parochus actualis commorationis vagi assistat. Etenim haec ipsa actualis commoratio est iam optima ratio, cur ille parochus ceteris praeferatur. Nam prout supra demonstratum est, auctores passim admittunt ***aliquem*** fieri verum parochianum sive subditum parocho, ut ***proprio,*** aut ex vero domicilio aut ex quasi-domicilio aut ***ex actuali habitatione, si agatur de vagis*** Cfr. Laurin /. c. ***p. 223 sq.*** Ergo cum perfecte verificentur verba Concilii Tridentini de proprio parocho nulla est ratio, cur ***simul actu*** (i. e. non tantum ***potentia,*** si vagi migrent in aliam parochiam) omnes parochi totius mundi dicantur competentes ad assistentiam. Nec dicatur etiam parochus peregrinorum valide in aliena parochia matrimoniis suorum parochianorum posse assistere. Omnino id tenendum est; at evidenter dispar est ratio. Nam parochus ille peregrinorum tantum assistit matrimoniis eorum, qui ***actu*** vere sunt ipsius ***subditi*** parochiani ; sed parochus alienae parochiae quoad vagum ibidem commorantem non [vere iam ***actu,*** sed potius tantum ***potentia*** est proprius parochus vagi. Denique si iam exercitatio sacri ministerii in aliena parochia etiam quoad proprios paucosque subditos in casibus permissis aliquid odiosi habet, id a fortiori valet, si ius ad illam exercitationem merito negatur, et insuper omnibus parochis totius mundi detur facultas interveniendi negotio duorum vagorum, quod evidenter melius curatur a parocho loci. Quid enim magis ridiculum fìngi potest, quam si quis admittat, omnes parochos magnae cuiusdam dioecesis convenientes ad Synodum dioecesanam esse competentes ad assistentiam in matrimonio duorum vagorum, quod fortuito celebratur in civitate episcopali, ita ut inter 900 fere parochos v, g. in Archidioecesi Coloniensi praeventioni sit locus.

Ti.

Nec solide probata est in hac re distinctio, quam introduxit Gasparri *I. c. n. 917,* qui Sánchez consentit, nisi vagus in parochia ***habest stabilem*** quandam commorationem. At haec distinctio inter simplicem commorationem et ***stabilem*** commorationem, quae ad quasi-domicilium non pertingat, imprimis in iure scripto vel decisionibus SS. CC. vel consuetudine nullum habet fundamentum, sed privato arbitrio est inventa. Praeterea ***stabilis*** illa commoratio est notio adeo vaga, ut in gravissimo negotio validitatis matrimonii omnia tandem pendeant a subiectiva quadam aestimatione, quae a clara et perspicua norma non dependet. Numquid enim ***mensis*** requiritur et sufficit ad ***stabilem*** illam commorationem, an requiritur forte intentio manendi ultra ***tres menses,*** quemadmodum in acquirendo quasi-domicilio necessaria est intentio manendi ultra sex menses? Haec omnia non sunt definita, sed plane vaga. Melius igitur retinetur sententia Benedicti XIV, in qua decisio pendet ***a facto simplici*** et ***facile cognoscibili*** i. e. actualis habitationis vagi in aliqua parochia.

Quibus praemissis iam ita argumentum reassumi potest. Quodsi in ipsis vagis solidae existunt rationes, ob quas exclusis reliquis parochis solus admittatur parochus actualis habitationis, ***fortissima*** adest ratio excludendi alios parochos actualis commorationis tanquam competentes, si quis ex ***vero domicilio*** habet parochum ***proprium.*** Nam certe ille parochus veri domicilii est mane***tque proprius*** parochus, etiamsi parochianus proficiscatur ut peregrinus in alias regiones ; at tota ipsius competentia per se exclusiva fit plane illusoria, si non tantum accedat alius quidem parochus forte ex vero domicilio vel quasi-domicilio alibi quaesito, sed praeterea omnes parochi totius mundi catholici fiunt competentes, in quarum parochia sponsi casu morantur.

Porro iam tertia urgenda est ratio contra defensores vinculi ex ipsa genuina textus Tridentini interpretatione petita. Patres Tridentini 1. c. statuunt: « I. Qui aliter quam praesente parocho vel sacerdote de ipsius parochi seu

Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt ; II. Eos Sancta Synodus 1) ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et 2) ***huiusmodi*** contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullai ».

Nemo profecto defensori vinculi S. C. C. contradicere poterit, si is solummodo contendat in ***secunda*** parte allegati textus Tridentini (II. Eos ***Sancta Synodus*** etc.) ***duplex*** membrum esse distinguendum 1) ad sic contrahendum..... inhabiles reddit; 2) huiusmodi contractus____annullai, in quo unumquodque distinctum habeat sensum. Nequaquam enim in Concilio quoque oecumenico adeo facile admittenda est tautologia atque inutilis repetitio, quasi in utroque membro aliis verbis plane idem dicatur. Quodsi advocatus actricis in scriptura sua subsidiaria n. 3 videtur sustinere utrumque membrum secundae partis sese habere ut ***antecedens*** et ***consequens*** (Inhabiles reddit ***ideoque*** contractus annuilat) profecto sensus vere rationabilis illis verbis tribuitur ; est enim legitimum consequens contractum celebratum esse nullum, si personae contrahentes fuerunt inhabiles ad valide contrahendum. Cfr. Schmalzgr., ***Dissertât, prooem, n. 70-71.*** At illud animadvetere liceat Patres Tridentinos expressis verbis duo membra secundae partis non proponere per modum antecedentis et consequentis, sed ut duas sententias ***coordinatasi*** non ***subordinatus.*** Quare advocatus actricis non videtur plene attigisse sensum verborum textus Tridentini.

Qui genuinus sensus facile videtur posse erui, si quis ob oculos habeat illam doctrinam theologorum et canonistarum, quod Ecclesia duplici modo possit irritare matrimonium aut ***directe efficiendo contractum matrimonialem plane nullum,*** sive iuridice inefficacem ad producendum vinculum matrimoniale, aut ***indirecte inhabilitando personas*** contrahentes v. g. consanguineos certorum graduum. Quae doctrina a Sánchez ***I. c, I. III, cap. 4, n. 1 sq.*** fuse probatur atque tandem n. 5 hisce verbis nostro textui Tridentino applicatur: « ***Secunda conclusio. Trid. Sess. 25 cap. 1,***

de matr. de facto irritavit utroque *modo matrimonia clandestina. Constat, quia indirecta et mediata irritatio inhabilitando personas, continetur in illis verbis: Eos ad sic contrahendum inhabiles reddit; directa autem annullando contractus clandestinos ibi: Eiusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit prout, eos praesenti decreto irritos facit».* Qua doctrina Sanchezii de duplici forma irritandi admissa facile iam patet, cur Patres Tridentini duo membra partis secundae non ut antecedens et consequens unum alteri subordinarint, sed utrumque coordinarint. At simul ex iisdem verbis Concilii Tridentini patet, quod Ecclesia per institutionem novae formae sibi non tribuerit contra verba ipsius Concilii Tridentini potestatem in substantiam sacramenti matrimonii, ut fuse probant Sánchez *I. c. cap. 4;* Gasparri *I. c. n. 268, 883* aliique. Neque Ecclesia in adoptanda illa duplici forma irritationis etiam *directae* ipsius contractus (non tantum inhabilitatione personae), non incurrit illam difficultatem : « Cum homo libero arbitrio habeat plenum dominium suorum actuum, Ecclesia caret potestate directa et immediata circa actus humanos ». Nam recte respondet Sánchez /. *c. n. 10: Quamvis____.. Ecclesia non habeat potestatem circa actus humanos, quantum ad substantiam actus eliciti, id est ad cogendam voluntatem, ut velit vel nolit, habet tamen quantum ad illorum* legitimitatem , *cum p>ossit ex iustis causis statuere, ut talis actus sit legitimus ac validus* ». Quare Ecclesia sua potestate efficere omnino non potest, ut consensus quidam matrimonialis naturaliter datus careat suo naturali valore; ipsa enim nequit impedire, quominus contrahentes ponant actum intellectus, in quo non interveniat error circa personam et actum voluntatis plane liberum suumque actum internum manifestent signo externo et visibili ; imo consensus ille naturaliter validus, sed iuridice inefficax est *radix,* quae per Ecclesiam *sanatur,* si ille favor sanationis matrimonii in radice conceditur. Cfr. Feije *loco cit. numer. 82, 761, 766.* At Ecclesia non impeditur, quominus

illi actui naturaliter valido deneget efficaciam iuridicam ad producendum validum vinculum matrimonii, eo quod ultra conditiones ***naturaliter*** requisitas desint conditiones ***iure ecclesiastico*** praescriptae v. g. in intellectu contrahentis absentia erroris accidentalis circa conditionem ***servilem*** alterius partis, in voluntate plena libertas, quae forte ex solo iure naturali non requiritur (sci. in sententia eorum, qui tenent gravem vim conditionalem solummodo ex iure ecclesiastico irritare matrimonium), denique defectus formae Tridentinae, quae certe non pauca continet ultra naturalem manifestationem consensus.

Eandem doctrinam de sensu textus Tridentini tenet Suarez, ***De leg. I. V. cap. 19, n. 4,*** sed sub diverso modo proponit ideoque non leviter illustrat: « ***Adverto duobus modis posse irritari actum, primo*** directe ***aliquid constituendo et*** praecipiendo ***et solum per*** consecutionem ***seu indirecte prohibendo et irritando; ita videre licet in lege dante formam actui et per consecutionem irritante actum factum sine tali forma.*** Exemplum optimum ***est in decreto Tridentini Sess. 24 circa contractum matrimonii ; nam pro forma contractus posuit, ut fieret praesente parocho et duobus testibus et aliter factum irritavit*** _____ Alius ***modus*** directe irritandi actum. est negativus seu prohibitivus ***actus cum verbis sufficientibus ad irritandum illum; talis est lex prohibens matrimonium inter consanguineos vel affines mira quartum gradum*** _____ Aliqui addunt tertium irritandi modum per inhabilitatem personae, ***sicut solent theologi explicare impedimenta matrimonii et professionis et*** sicut Conc. Trid. expresse declaravit factum ab ipso esse in decreto edito contra clandestina matrimonia. ***Sed hic modus licet*** verissimus ***sit in duobus praecedentibus includitur nec potest ab illis separari, si respective sumatur. Nam quoties lex irritat*** actum, ***reddit subditi vohcntatem inefficacem et impotentem ad contrahendum vel transferendum aut acquirendum dominium vel quid simile, et hoc est inhabilitare actum ad contrahendum vel*** sic ***contrahendum. Aliquando enim lex***

inhabilitant ***simpliciter personam ad actum aliquem in specie, ut inhabilitat clericum in sacris vel religiosum professum ad contrahendum matrimonium; aliquando inhabilitat tantum*** respective ***ut ad contrahendum cum consanguinea vel ad donandum extraneis; aliquando solum inhabilitat*** ad sic contrahendum, ut dixit Conc. Trid. ***in dicto decreto. Et in his omnibus*** respective ***irritat ur*** actus ipse ***et voluntatis consensus redditur*** inefficax ***ad talem effectum faciendum. Per hoc autem et non aliter persona inhabilis fit ad eundem effectum. Quia sicut actus humani voluntate perficiuntur, ita inhabilitas personae ad tales actus spectari debet, quatenus actus eius redditur inefficax. Et e converso non potest actus irritari vel voluntas fieri inefficax, quin persona eo ipso inhabilis reddatur cum proportione, ut dictum est ».***

Ab ista doctrina recentiores quoque scriptores non sunt alieni. Ita v. g. Lehmkuhl, ***Theol, moral, vol. II. n. 773.*** scribit: « ***Clandestinitatis a Tridentino Concilio post diuturnam discussionem et pugnam pro impedimento dirimente declarata nova prorsus impedimenti species est. Quum enim aliis legibus matrimonium irritantibus*** ipsi contrahentes immediate ***afficiatur eorumque consensus mediate seu propterea maius sit, quia contrahentes stent inhabiles : hac clandestinitatis lege*** ipse consensus ***seu*** externa consensus forma immediate ***afficitur et mediante legalis consensus defectu ipsi contrahentes inhabiles fiunt ».***

Eidem distinctioni inter ***formam*** a Concilio Tridentino praescriptam et ***habilitatem*** personae insistit Laurin ***I. c. p. 225. sq.*** simulque recte monet utramque quaestionem intime esse connexam cum quaestione de vero domicilio vel quasi-domicilio, ut constet, quis sit ***proprius*** contrahentium parochus, et quis ad formam Tridentinam sive ratione legis localis sive ratione legis saltem personalis (sive ex utraque) sit ligatus (tum inhabilitate personae tum directe inhabilitate ad actum).

Ex his disquisitionibus facile iam deducitur, quis sit

genuinus sensus textus Tridentini, et quid veri et falsi lateat in assertionibus defensorum vinculi matrimonialis : nequaquam enim omnes ipsorum distinctiones ad futiles vel absurdas subtilitates amandare mihi in animo est.

Itaque in allegato textu Concilii Tridentini evidenter secundum ipsam constructionem grammaticalem et obvium verborum sensum vere rationabilem, cui in interpretatione legum standum est,, tum in prima parte, tum in secunda parte agitur de iisdem personis: « Qui aliter—. attentabunt, eos____inhabiles reddit et annullat ». Item evidens est utrumque membrum secundae partis referri ad omnes personas, quae in prima parte comprehenduntur i.e. quicunque ligantur forma Tridentina ***ex quocunque titulo*** et illam non observant, II tum propter ***inhabilitatem personae*** tum ***propter directam irritationem*** actus contrahunt matrimonium penitus nullum. Quare defensor S. C. C. videtur esse a vero penitus alienus, si ex secunda parte modo primum membrum, modo secundum membrum, modo utrumque pro diversitate personarum in prima parte contentarum applicat. Nam verba Concilii Tridentini ne vestigium quidem talis distinctionis continent, sed sunt ***copulative*** coniuncta : « Eos ***inhabiles reddit*** et ***annullat*** ». Porro supra cum Sanchezio aliisque demonstratum est, secundam illam partem referri ad unumquemque, qui ligetur forma Tridentina, quia Patres Tridentini ***duplici modo*** voluerunt irritare matrimonia clandestina sci. inhabilitate personae et directa irritatione actus. Quae duplex irritatio iuxta defensorem vinculi S. C. C. in quamplurimis casibus penitus deficeret; nam ex ipsius opinione modo primum membrum, modo secundum membrum, modo utrumque membrum secundae partis est applicandum; secus ac Sánchez 1. c. scribit: « Quod consulto fecit (Conc. Trid.) ***utroque modo*** irritans, ut vel sic quanto odio prosecuta fuerit Ecclesia matrimonia clandestina non obscure significaret universis ». Neque difficile est indicare causam fallaciae in argumentatione defensoris. Nam etsi .defensor recte distinguit inter legem, quae ***dire-***

cte inhabilitat personam et legem, quae immediate irritat ***actum,*** non recte docet hanc distinctionem coincidere cum distinctione legis ***personalis*** et ***localis.*** Nam certe vagus, qui non ligatur lege ***personali*** contrahendi matrimonium, si in parochia capiti Tametsi subiecta vult celebrare nuptias, tenetur lege ***locali,*** et si ibidem aliter quam coram parocho suae actualis commorationis, qui est ipsius proprius parochus, et duobus testibus matrimonium iniret, ipsa Sancta Synodus Tridentina eum inhabilem reddidit et simul directe eius contractum matrimonialem irritavit, ut patet ex verbis Concilii Tridentini. Item qui in fraudem legis Tridentinae transit in parochiam a capite Tametsi immunem et ibidem celebrat nuptias coram parocho loci et duobus testibus retento tamen domicilio in parochia formae Tridentinae adstricta, is certe non tenetur ***ulla lege locali,*** sed personali tantum et ideo denuo ex sola lege personali verificatur secunda pars textus Tridentini: « Eum inhabilem reddit et huiusmodi contractum irritat ». Idem obtinet, si quis ex lege locali et personali ligatur. Quare defensor vinculi introducit distinctionem et separabilitatem, ubi est perfecta coniunctio sci. in secunda parte (Eos inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritat) ; ubi vero est distinctio admittit identitatem ; nam lex Tridentina ut ***personalis*** nequaquam confundenda est cum lege tantum directe inhabilitante personam, neque lex Tridentina ***ut localis*** coincidit cum lege tantum irritante actum.

Quodsi defensor matrimonii in explicanda secunda parte distinctionem parum fundatam introduxit, minus quoque felix exstitit in interpretatione primae partis textus Tridentini. Nam ut supra iam demonstravi in textibus illis Conc. Trident. (« Vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus » ; Qui aliterquam praesente parocho... et duobus vel tribus testibus) certissime verbum ***proprio*** est supplendum ; et aeque certum est, aliquem esse ***propriam*** contrahentium parochum aut ex titulo simplicis commorationis in vagis. Quae assertio cum pariter iam sa-

tis superque sit demonstrata, non denuo novis argumentis videtur probanda. Neque multum immorandum videtur in refutandis deductionibus defensoris vinculi, nam cum illae principaliter nitantur in introducenda nova illa distinctione (refutata) et in eliminando vocabulo : « Proprio » (certe supplendo), reliqua sunt minoris momenti atque brevius expediri possunt.

Quodsi egregius defensor S. C. C. n. 17 ita arguit : Epitheton - ***proprius*** relationem dicit ***non*** ad ***actum,*** sed ad ***personam*** iam haec assertio verbis Concilii Tridentini non est conformis ; nam ipse ***actus*** celebrationis matrimonii perficiendus est coram ***proprio*** parocho, secus invalidus est ; ergo parochus ***proprius*** certe ***relationem*** habet ad ***actum.*** insuper Concilium addit (ut maneamus in distinctione defensoris) « et huiusmodi contractibus (i. e. sine parocho ***proprio)_____annullat*** ». At Concilium dicit praeter omnes in prima parte contentos (Qui aliter), eos Sancta Synodus ad sic contrahendum (i. e. sine parocho proprio, cfr. supra Suarezii verba) omnino inhabiles reddit ; sed ratione legis ***localis*** certe in casu Henrica continetur in prima parte ; ergo etiam ***ad*** sic ***contrahendum*** est inhabilis.

Pergit defensor num. 18: « Undenam igitur oriri potest ista parochi proprii necessitas, quae Henricam obliget? Dices forsan ex domicilio Londinensi. At inauditum est legem vires exerere in loco, ubi non viget, nam plus esset in effectu, quam in causa etc. ». Relinquo philosophis sua axiomata ; certe responsio canonica ad quaestiones et difficultates propositas non deest. Henrica ligatur lege Tridentina Parisiis plene vigente etiam pro ipsa saltem ut locali sive breviter ligatur Parisiensi lege locali. Qui aliter quam praesente ***proprio*** parocho... eos... inhabiles reddit etc. Quae defensor addit, nituntur confusione inter ***legem*** Londinensem et ***domicilium*** Londinense. Profecto Henrica non tenetur lege Londinensi sive personali sive locali ; nam nunquam ibidem lex Tridentina capitis Tametsi est promulgata ; hinc etiam lex illa Londinensis omnino non existens multo minus vim suam per-

sonalem vel localem ***Parisiis*** potest exerere. At nemini etiam in mentem venit obligationem Henricae derivare ex lege quadam Londinensi, ob quam ***Parisiis*** in forma Tridentina debeat celebrare matrimonium; ista obligatio Henricae derivatur ***ex lege Parisiensi,*** quae Henricae celebrationem matrimonii coram ***proprio*** parocho praescribit. Haec ***de iure.*** Quodsi deinde ***species facti*** sit definienda, cui ius sit applicandum, certe ***ex facto*** domicilii Londinensis parochus proprius iure ***Parisiensi*** requisitus est accurate determinatus. Quare domicilium Londinense concurrit ad determinandam ***speciem facti legis Parisiensis,*** sed non constituit legem quandam Londinensem Parisiis efficacem.

Inde iam refutatum est sequens assertum defensoris n. 19: « Vide absurditatem : Lex ista, quam Sancta Synodus expresse vetat, ne suum robur habeat in paroeciis, in quibus publicata non est, non haberet ibi quidem robur ***suum,*** sed aliud ***efficacius,*** cuius vigore fideles domicilium vel quasi-domicilium in parochiis a decreto Tridentino immunibus strictius ligarentur quam incolae loci, ubi viget cap. Tametsi ». At haec non sunt ad rem. Nam lex Londini non publicata nullam exserit ***vim Parisiis,*** sed unice lex ***Parisiensis*** multoque minus exercet vim ***efficaciorem*** vel ***strictiorem.*** Nam Italus, qui proficiscitur Parisios et domicilium italicum ***retinet*** et Parisiis verum domicilium vel quasi-domicilium non acquirit-, nec vagus efficitur, est in eadem conditione certe non mitiori. Quodsi exinde oriantur incommoda, id ipsi illi iterantes sponsi sibi tribuant, non leges Ecclesiae accusent. Leges enim Ecclesiae dantur de communiter contingentibus, non ad commodum itinerantium Anglorum, qui forte in itinere celebrant nuptias. Hinc recte iam scripsit Pignatellus ***I. c.*** de istis ***itinerantibus,*** qui accedunt ad locum cap. Tametsi subiectum : « ***Matrimonium huiusmodi esse nullum, qui divertendo ad, locum, in quo non habent proprium parochum,*** se reddunt impotentes ad contrahendum : nam sibi reddunt impossibilem formam praescriptam a Concilio, servandam in loco, in quo contrahunt »,

Denique num. 20. defensor dilabitur ad illud argumentum, quod rectores parochiarum, in quibus cap. Tametsi ***non*** sit publicatum, ex nullo iure possint dare iicentiam alteri sacerdoti assistendi celebrationi talis matrimonii i.e. neque ex iure Tridentino in sua parochia robur non habente, neque ex iure Decretalium, quod assistentiam parochi pro licita, non pro valida celebratione matrimonii videatur requirere.

Quod argumentum defensori vinculi est satis periculosum ; nam non videtur attendisse, quod ita adoptarit probationem, qua Labrunie communiter reiectam theoriam Carrière tenere studuit. Cuius probationis refutationem iam supra ex Van de Burgt attuli, atque iam antea P. Tarquini in suo voto (a. 1868) eandem argumentationem explosit. Praeterea mirum est, quod defensor vinculi tantum videatur negare possibilitatem ***delegationis*** per parochum, non assistentiam ***personalem parochi.*** At si parochus (Londinensis) potest assistere in casu per se (Parisiis), potest etiam assistere per alium ***sacerdotem*** a se delegatum. Nam potest quis facere per alium, quod potest facere per se, nisi speciali iure prohibeatur ; at specialis prohibitio delegationis in iure communi vel capite Tametsi non reperitur, imo ibidem expresse delegatio iterum iterumque permittitur ; ergo parochus Londinensis delegare potest, dummodo observet conditiones a iure Tridentino praescriptas v. g. quoad qualitates delegati. Quare si defensor admittat ipsum parochum pro suo iure personaliter assistere posse Parisiis matrimoniis, eius negatio delegationis omni fundamento caret.^Quodsi si vel ipsi parocho huiusmodi ius delegandi negat, pariter sententiam improbabilem docet. Nam parochus (Londinensis) in casu ob retentum ab Henrica domicilium in parochia Londinensi (saltem usque celebrationem matrimonii) mansit ***proprius*** ipsius parochus, atque Henrica illius parochiana, cuius confessionem Parisiis audire potuisset. Atque ex lege ***'Tridentina Parisiis*** vigente proprius contrahentium parochus ***potest*** et ***debet*** aut ipse assistere matrimonio

aut per sacerdotem a se delegatum. Et revera liceat defensori vinculi illam quaestionem proponere: numquid parochus ille Londinensis si Parisiis matrimonio Henricae personaliter adstitisset, numquid valide adstitisset? Vix in dubium vocabit. At ex quo titulo? Alius assignari nequit quam titulus proprii parochi ex vero domicilio Londinensi Henricae. Denique ut iam notarunt P. Tarquini et Van de Burgt, parochi ad illam delegationem iam ex iure antiquo fuerunt competentes, atque etiam nunc in Anglia viget praxis, ut nequaquam coram quolibet parocho catholico fideles possint celebrare matrimonia.

Quae postea num. 21. sq. ex tristi conditione illorum contrahentium peregrinorum, de quibus agitur, a defensore vinculi congeruntur, vim canonicam non habent. Nam prout iam supra demonstravi, tristis illa conditio, si in casu quodam particulari verificaretur, non est ratio arbitrarie interpretandi et applicandi leges ecclesiasticas. At illa tristis conditio in praxi ordinarie vix fìngi potest. Nam saepissime ***una pars*** ex ipsa regione oriunda etiam ibidem habebit aliquod domicilium, aut forte unus ex contrahentibus actu est ***vagus,*** aut unus sponsus peregrinus iam acquisivit ***quasi-domicilium*** in parochia - et omnis difficultas est sublata. Si utraque pars retineat suum domicilium, nostra aetate intra paucos dies vel paucas hebdomadas pro ¡facilítate commercii litterarum (v. g. in casu commercium litterarium inter civitatem Parisiensem et Londinensem fuisset facillimum) scripta potest haberi delegatio, et si periculum sit in mora, per telegraphum delegatio peti et dari poterit. Quare difficultas quaedam practica solummodo oriri potest ex lege locali, si v. g. duo nupturientes anglici retinentes domicilium in Anglia vellent contrahere matrimonium in locis inaccessibilibus Boliviae vel insularum Philippinarum, ubi viget caput Tametsi. At eadem difficultas est ex lege ***personali*** pro duobus sponsis Parisiensibus, qui in ultima Sibi ria vel in interiore Africa volunt celebrare nuptias. Nihilominus Ecclesia propter illos ***itinerantes P a-***

risienses huc usque vim ***personalem*** cap. Tametsi non sustulit, ergo mirum non est, quod etiam in favorem itinerantium ***Anglorum*** nolit auferre perfectam ***vim localem*** eiusdem capitis Tridentini. Hinc sponsi sibi applicent verba supra ex Pignatello relata.

Tandem defensor vinculi n. 22, 23, pro istis peregrinis sponsis invocat epistolam Pii VI. ad Episcop. Lucion. a. 1793, in qua tempore ***revolutionis gallicae*** fideles declarantur immunes ab obligatione adhibendi proprium parochum in celebrandis nuptiis, et insuper transcribit decretum Sacrae C. Inq., quo declaratur facultatem celebrandi valide et licite cum duobus testibus sine praesentia parochi tunc adesse, cum ***per spatium mensis*** tutus non sit ad eundem accessus. At haec quoque argumentatio solido fundamento caret. Nam supra iam demonstravi huiusmodi difficultatem accessus vel potius delegationis *de* ***facto*** saltem ordinarie omnino non existere et certe in casu Henricae non exstitisse, si sponsus vel sponsa vel curatus Parisiensis mediocrem adhibuissent diligentiam. Item defensor vinculi errat in iure ; nam huiusmodi accessus non tutus solummodo liberat ab onere adhibendi proprium parochum, si impossibilitas illa tuti accessus vel delegationis sit ***communis,*** non ***particularis*** v. g. duobus tantum sponsis. Cfr. Lehmkuhl, ***Theol. mor. vol. II. n.*** *784.* Denique defensor allegatione illorum documentorum sibi non videtur satis constare. Nam si huiusmodi peregrini excusantur ab adhibendo ***proprio*** suo parocho sive per se, sive per delegatum assistente sequeretur tales peregrinos coram ***solis duobus testibus*** valide contrahere, sicut in certis missionibus. Cfr. ***S.*** *C.* ***de Prop.*** *F. 2.* ***Iul.*** *1827* ; Gasparri *I.* ***c. n.*** *960.* Nam in loco celebrationis parochum vere proprium non habent ; ergo si alius quidem parochus in loco adest, is laudabiliter adhiberetur quoad functiones sacras, sed ad valorem matrimonii nihil conferret ; esset enim parochus non proprius. At defensor matrimonii ex altera parte illos sponsos obligat, ut adhibeant sub poena nullitatis parochum actualis cornino-

rationis, sed ille est parochus proprius ***vagorum*** contrahentium, non ***peregrinorum*** sponsorum. Peregrini autem non sunt vagi. Ergo argumentatio defensoris cum sua thesi vel conclusione non cohaeret.

Subsidium quoque mutuat defensor matrimonii ex ipso decreto Urbani VIII. 14. Aug. 1627. Sed decretum illud agit de peregrinis ***ligatis*** capite Tametsi in propria parochia ***domicilii retenti*** et transeuntibus ad parochiam a iure Tridentino exemptam absque.domicilii acquisitione. Qui sponsi profecto manent ligati etiam in altera parochia ex obligatione ***personali;*** at in casu nostro agitur de sponsa ***exempta*** a iure Tridentino et transeunte ad parochiam cap. Tametsi ***subiectam,*** ubi ligatur ex lege ***locali*** tantum, At haec distinctio legis ***localis*** et ***personalis*** toto coelo discrepat ab illa famosa distinctione defensoris vinculi, quam detexit in textu Tridentino, et de qua etiam Urbanus VIII. ne verbum quidem habet.

Omitto causam Parisiensem d. ***25. Aug. 1873.*** a Sacra C. C. decisam, ex qua vel ipse defensor n. 27. discretum argumentum non colligit, sed illico per oppositionem transit ad vagos, quasi Concilium Tridentinum vagis ***proprium*** quendam parochum non assignasset et deinde iterum applicat suam distinctionem, quasi Concil. Trid., si vagi contrahant absque forma Tridentina in parochia capiti Tametsi subiecta, eosdem tantum inhabilitasset directe ratione contractus, non ratione personarum. At haec assertio ultima est contra textum Tridentinum: «Qui aliter (i. e. etiam vagi), eos inhabiles reddit et huiusmodi contractus annullat ». Porro etiam vagi habent assignatum sibi ***proprium*** parochum i. e. iuxta magis fundatam sententiam non qualemcumque, sed parochum simplicis commorationis. Cfr. ***Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 7. De ref. matr. ;*** relat, in caus. Neapol. ***3. Tui. 1734.*** Imo etsi vagis maior libertas esset concessa, perperam exinde aliquid deducitur in favo* rem ***peregrinorum;*** nam vagi et peregrini in iure non aequiparantur.

Quodsi huc usque egregio defensori vinculi S. C. C. contradicendum esse existimavi, id nonnisi aegre feci ob evidentiam factorum et iuris; at facilius iis assentiendum est, quae n. 32. 35. pro sua conscientia scribit in favorem vinculi matrimonialis. Summopere enim dolendum est, quod ob formalitates canonicas non servatas advocatis Parisiensibus detur occasio opportuna impugnandi valorem matrimoniorum ante multos annos celebratorum. Quae animadversio eo magis fundata est, quod etiam nunc querela iam ante 30 annos a. 1868 in simili causa mota et relata in epistola Nuntii Apostolici Parisiensis de insufficienti cura parochorum quorundam in examinandis conditionibus canonicis domicilii, nondum videtur carere omni fundamento, atque nimium forte fìditur attestationibus de impletis conditionibus iuris ***civilis*** circa domicilium. Quare mirum non esset, si in re adeo gravi religiosissimus defensor vinculi S. C. C. nondum victas daret manus atque in extremis extrema tentaret ad sustinendum sancti matrimonii vinculum. Ipse enim pro sua singulari sagacitate et experientia forsitan invenit lacunam in argumentatione huius voti aut derelicta distinctione sua textus Tridentini vagitatem vel quasi-domicilium Parisiense Henricae novis factis allatis comprobat v. g. ex consuetudine Parisiensi in causa Parisiensi a. 1868 allegata. Qua in re provocare posset ad gravissimam auctoritatem Cardinalis Morlot, Archiepiscopi Parisiensis illo tempore existentis, qui matrimonium illud a. 1868. examinatum omnino ***validum*** esse existimavit.

Coronidis loco defensor S. C. C. allegat, quae defensor Curiae Parisiensis fuse exponit in favorem validitatis matrimonii ab Henrica contracti. At ibidem multis verbis ea afferuntur, quae a nemine in dubium vocantur aut vim probandi non habent. Sane certissimum est cap. Tametsi habere vim legis localis et personalis; certissimum quoque est Henricam in casu ***sola vi locali*** cap. Tametsi fuisse ligatam, quia cap. Tametsi in parochia Londinensi, ubi Henrica tempore celebrati matrimonii verum et unicum domici-

lium habuit, nullo modo viget. At ex illis praemissis certissimis per falsos terminos medios falsam deducit conclusionem. Nam lex illa localis i. e. lex Tridentina, quatenus Parisiis viget, indubitanter Henricam obligavit, ut coram proprio suo parocho Parisiis matrimonium celebraret, ut ipse defensor Parisiensis aperte concedit et manifeste sequitur ex generalibus verbis cap.Tametsi : «Qui aliter... eos S. Synodus inhabiles reddit et huiusmodi contractus annullat » iunct. clausulae finali de promulgatione in singulis parochiis.

Si defensor Parisiensis huic maiori sententiae sui syllogismi subiungit minorem : ***Atqui*** Henrica ***Parisiis*** contraxit coram ***proprio*** suo parocho, qui ***ibidem*** fuit parochus simplicis ***commorationis*** Henricae, evidenter errat. Nam assumit penitus falsam notionem parochi ***proprii*** ut terminum medium probationis et plane arbitraria ratione peregrinos aequiparat ***vagis.*** Etenim proprius parochus habetur aut ex titulo veri domicilii aut quasi-domicilii aut vagitatis ; quartus titulus non datur. Atqui ex tribus illis titulis legitimis ne unus quidem in parocho de facto assistente fuit verificatus, quartus vero ille titulus nititur in falsa aequiparatione vagorum et peregrinorum aliisque falsis interpretationibus et distinctionibus textus Tridentini iam supra refutatis.

CONCLUSIO. - ***Quare cum facta allegata sint certo probata, unica vero iuris difficultas a defensoribus vinculi mota non nitatur probabilibus argumentis, imo genuina et certa textus Tridentini interpretatio faveat advocato actricis, denique alii quoque modi ad defendendum valorem huius matrimonii excogitati solidis rationibus non sint comprobati, sed potius certa demonstratione videantur esse refutati: in casu certo constat de nullitate matrimonii.***

Quae conclusio si in formam quandam legitimam sit redigenda et magis conformanda duplici paragrapho voti et ad instar dubiorum concinnanda, quae d. 14. Aug. 1627. a S. O. C. fuerunt soluta et postea ab Urbano VIII. confirmata, hoc fere modo videtur posse proponi :

L Quaestio iuris in abstracto: ***Utrum incolae tam masculi quam feminae alicuius parochiae, in qua cap. Tametsi Concilii Tridentini non est promulgatum, transeuntes ad parochiam, in qua dictum caput Tametsi est promulgatum,*** retinentes ***domicilium unde discesserunt, valide possint in ista nova parochia matrimonium contrahere*** 1. ***sine ullo parocho et testibus aut*** 2. ***pro more vagorum saltem coram parocho simplicis commorationis et testibus, an*** 3. ***ad valide celebrandas nuptias ibidem debeant necessario contrahere*** aut ***coram parocho proprio domicilii*** retenti ***vel sacerdote ab ipso delegato*** aut ***coram parocho veri domicilii vel quasi domicilii*** acquisiti ***in parochia, ad quam transierunt, servata etiam in reliquis quoad testes forma Tridentina.***

RESPONSIO : Negative ad primum et secundum ; affirmative ad tertium.

II. QUAESTIO PRACTICA : ***An sententia Archiepiscopalis Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu ?***

RESPONSIO: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit confirmanda vel infir?nanda sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re iterum disceptata sub die 28 Ianuarii 1899 censuit respondere: ***Sententiam esse confirmandam.***

BURGEN.

\ IUBILATIÖNIS.

Die 19 Augusti 1899.

COMPENDIUM FACTI. In Capitulo Cathedrali Burgen, indultum ***Iubilationis*** quod attinet, ius speciale constitutum fuit per Bullam Gregorii XV, datam ***septimo Kalendas Sept. 1621,*** qua decernitur « ***dictos quadraginta annos residentiae pro iubilationis huiusmodi fruitione consequenda constitutos, ad triginta annos Apostolica Auctoritate perpetuo reducimus et moderamur*** ». Huic constitutioni innixus Emmanuel Gonzalez Peña, Ecclesiae Catholicae Primicerius seu Cantor, expetiit a Capitulo sibi adiudicari indultum Iubilationis, quod concedere renuit Capitulum asserens Oratoris ***servitium non fuisse continuum et satis laudabile.*** Unde Canonicus Cantor ad Sedem Apostolicam recursum habuit haec significans:

« Emmanuel Gonzalez Peña, Metropolitanae Ecclesiae Burgensis in Hispania Dignitas Primicerii seu Cantoris, qua par est cordis humilitate ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, palam facit : se iam ab anno 1864, praevio solemni concursu, canonicatum de officio,^ magistralem dictum, adeptum, et deinde a. 1878 ad dignitatem, qua in praesens fungitur, benigna Sanctae Sedis nominatione evectum fuisse. Iam vero cum in praedicta Ecclesia Metropolitana, expletis triginta -annis a die inductae possessionis Dignitatis, -canonicatus vel beneficii, possidentes indulto apostolico iubilationis gaudeant vel gaudere possint, orator diuturna ac mediocri valetudine affectus, Sanctitatem Vestram quam impensissimo rogat pro concessione indulti iubilationis, ut possit et ab oneribus liberari et praebenda ac distributionibus potiri, cum iis omnibus pro sufficienti et honesta sustentatione indigeat.

« His insuper accedit Oratorem Rectoris officio metropolitani Seminarii, spatio viginti duo annorum absque dotatione seu stipendio fuisse perfunctum, non paucis superatis difficultatibus, sive ob aedificationem domus Seminarii, quam obrutam et inhabitabilem poene accepit, sive ob adversam temporum in Hispania per plures annos conditionem ex publicarum rerum eversione ortam. Hoc munere Rectoris praedictis in adiunctis functus est Orator ab anno 1868 ad 1890, non sane sine meritis sive in directione Collegii, sive in disciplinae generalis ordinatione, ex suorum Antistitum iudicio, qui ita non semel declararunt.

« Nec praetereundum ab anno 1856 ad annum 1878, munere professoris functum esse ad docendam philosophiam et theologiam scholasticam.

« Saepe etiam praesto fuit Orator Praelatis suis pro negotiis cum dioecesis Burgensis, tunc universalis Ecclesiae expediendis, inter alia in Syllabo praeformando et in praeparando Concilio Vaticano.

« Praeterea pluribus ab hinc annis oratorem adversa valetudine divexatum esse testes fuerunt et sunt medici, qui ei habitualiter adstiterunt et assistunt et a quibus per plures annos ad balnea confugere coactus est orator, ingentibus, ut patet, expensis factis pro salute recuperanda.

« Quocirca Orator Sanctitatem Vestram denuo intensissime rogat pro iubilationis indulto ad lucrandam tunc praebendam tunc etiam distributiones quotidianas, quibus pro sustentatione necessaria et honesta summopere indiget ».

Episcopus referens suum votum nec non deducens Capituli votum, haec advertit":

« Munus adimplens, quod mihi ab Ema V. Rma et Sac. Congregatione Concilii commissum fuit circa adiunctas preces Doct. Emmanuelis Gonzalez Peña, Dignitatis Primicerii seu Cantoris huius Sanctae Ecclesiae Metropolitanae, super illis Capitulum audiendum curavi et heic adnexum mitto eiusdem responsum votumque una cum exemplari Bullae Apostolicae, quae a Summo Pontifice Gregorio XV concessa fuit

huic Capitulo Metropolitano ad obtinendam iubilationis gratiam expleto dumtaxat 30 annorum servitio post factam primam residentiam in eadem Ecclesia.

« His vero quae in adnexo scripto a Capitulo exponuntur mihi visum esse addere ac Emam V. Rmam Sacramque Congregationem Concilii instructam reddere, Oratorem revera adversa valetudine frequenter divexatum fuisse et divexari illumque insuper commendatione valde dignum esse, attentis sua eximia scientia, pietate ac morum gravitate, necnon ob egregia servitia praestita meritaque comparata, praesertim cum plures annos magna laude et profectu munera exercuerit Professoris Philosophiae ac Sac. Theologiae atque Rectoris Seminarii huius Metropolitani, in quo nunc in Istitutum Pontificium evecto, Studiorum Praefecti munere decoratur ac laudabiliter fungitur ».

Capituli votum ita expressum fuit :

« Capitulum Ecclesiae Cathedralis Burgensis, vehementer optans Amplitudinis vestrae: desiderio satisfacere, ut nempe, super praeces Primicerii huius Ecclesiae gratiam iubilationis a S. Cong. Conc. supplicantis super Bullam iubilationis, huic Capitulo a Gregorio XV concessam, proprium iudicium emittat, ea qua par est humilitate, respondit, et quidem quoad primum, patefaciens quae in conventibus capitularibus circa hoc negotium acta sunt :

« Primicerius huius Ecclesiae, Dom. Emmanuel Gonzalez Peña, die 2 Maii anni 1896, deprecatus fuit gratiam iubilationis, eo quod, expleto servitio triginta annorum post primam residentiam, poterat ex indulto Greg. XV talem gratiam obtinere. Capitulum rem commisit duobus Canonicis, qui de more illud edocerent super dictam petitionem, et hi, publicis tabulis inspectis responderunt supra laudatum Primicerium Dom. Emmanuelem Gonzalez Peña, post adeptam possessionem Canoniae Magistralis, die 30 Aprilis anni 1864, servitium suum fecisse in hac Ecclesia usque in praesens, sed non in omnibus annis continuum, prout in statutis huius S. Ecclesiae Metropolitanae praescribitur ;

nam in anno Capitulari qui incepit 1 Iunii 1868, et univit 30 Maii 1869, abfuit centum quinquaginta et sex dies ; in anno 1884 ad 1885 centum quinquaginta duo ; in 1885 ad 1886 centum sexaginta, et in 1886 ad 1887 centum octoginta. In his diebus includuntur dies recitationis (in hac Ecclesia licet abire centum quinquaginta dies, in quolibet anno, ex privilegio Apostolico, quod ex declaratione S. Cong. Conc., decreto Tridentino non obstante, adhuc perseverat) non vero quamplurimi alii, in quibus abfuit infirmitatis causa, nec alii, in quibus est in tabulis, seu in punctaturis signum dubium eius praesentiae in choro, et tamen habetur ut praesens.

« Re ad deliberationem dilata interea, talis petitio sublata fuit, et haec est ratio quare Capitulum nullum iudicium tulit. Nunc vero quod spectat ad merita ab Oratore, in precibus, adducta, nihil dicendum est a nobis quia etsi vera fuissent, nec ad rem, nec ad nos pertinerent ; sed non ita se res habet relate ad illud quod in iisdem asseritur, nempe, distributiones quotidianas necessarias esse Oratori ***pro sustentatione necessaria et honesta;*** nam tantum abest ut hoc verum sit, ut e contrario laudatus Primicerius sit in vera abundantia ; alitur enim sumptibus Seminarii, et praeterea Seminarium subvenit etiam expensis eius pro medicinis, quod et accidit toto tempore quod in Seminario vixit ; unde potuit, sicut et nunc potest, dictus Primicerius omnes fructus praebendae, vel reservare, vel in sumptus particulares consumare.

« Ad alterum vero quod attinet, nempe, ad Bullam huic capitulo a Greg. XV concessam, respondemus Rom. Pontificem, in ea, quadraginta annos residentiae, ex iure communi necessarios, ad triginta reducere ac moderari ; ita tamen, ut iuxta statuta huius Ecclesiae, iubilatio concedatur cum fructibus praebendae, non vero cum distributionibus quotidianis, quin aliquid aliud addat Bulla circa reliquas conditiones ad iubilationem obtinendam. Attamen, Capitulum semper intellexit residentiam laudabilem et continuam esse

omnino necessariam pro eiusmodi gratia ; et ita dum hoc alieni sive Canonico, sive Beneficiato, concessa fuit haec semper adducitur ratio « ***quia nulla interruptione facta servitium expleverit triginta annorum post primam residentiam*** » ; et illam concessit semper, iuxta Bullam et statuta, cum fructibus praebendae tantum, non vero cum distributionibus quotidianis ; quod et nunc videri potest in duobus iubilatis, hodie existentibus, qui ad tales distributiones lucrandas debent esse praesentes in choro.

« Haec eadem est nunc, Excme Domine, opinio Capituli prae oculis habentes plures declarationes S. Congr. Concilii in quibus denegata fuit gratia iubilationis ob servitium non-continuum : ita in Rom. 6 Augusti 1711 ; ita in Maceraten. 8 Mart. 1698 ».

Et in dubiis iubilat. ab eiusmodi S. Cong. Conc. resolutis, in diebus 24 Septemb, et 17 Decemb. 1718, in quibus denegata fuit eiusmodi gratia absentibus causa studiorum ; proindeque a fortiori erit deneganda illis omnibus qui abfuerunt nulla ex causa, et de quibus residentia dici nequit continua et laudabilis.

Praeterea exquisivi ab Episcopo an in aliis Hispaniae Ecclesiae huiusmodi vigeret mos ; et Episcopus respondit : « Capitula reliquarum Hispaniae Ecclesiarum super hoc audienda curavi, et iuxta responsa quae ex omnibus ferme habui Sac. Congr. Concilii instructam reddere debeo quod in nulla ex illis, quarum responsum accepi, praedicta viget consuetudo ».

Bulla Gregorii XV est sequentis tenoris :

« Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quia plerumque humani sic fallitur incertitudo iudicii, dum rebus modum et formam statuit, ut ea quae durabilem efficaciam habitura videbantur, successu temporis parum efficacia facta cognoscantur. Idcirco Romanus Pontifex singula quaeque moderamine certo perpendens, interdum Statuta huiusmodi in melius reformat, et moderatur, prout temporibus, locis, et causis debite pen-

satis, conspicit in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Decani, et Capituli Ecclesiae Burgensis petitio continebat, quod in dicta Ecclesia inter cetera extat Statutum, quod attenta consuetudine antiqua, quae in dicta Ecclesia est usitata, et observata, eiusdem Ecclesiae Beneficiatus, qui per quadraginta annos apud illam resident, post factam primam residentiam dimidii anni, possit iubilari ; et licet postea non resideat semper habeatur pro praesente, praeterquam quoad distributiones quotidianas quae semper lucrifiunt personaliter residendo. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, vita hominis sit his temporibus brevior, quam priscis erat; et post Concilium Tridentinum ac ex eius decreto annexos, et distributos, Canonicatibus, et Praebendis, ac Portionibus Ecclesiarum Cathedralium,Ordines sacros, non liceat cuique ante vigesimum primum suae aetatis annum completum Canonicatus, et Praebendas, atque Portiones in eisdem Cathedralibus Ecclesiis obtinere: et propterea, ac etiam forsan propter longa, et magna frigora in Civitate Burgensi vigentia, experientia compertum sit, vel fere nullos, vel admodum paucos dictae Ecclesiae Burgensis Bénéficiâtes, ad iubilationis annos huiusmodi pervenire : in aliis vero Ecclesiis Hispaniae tempus ad iubilationem consequendam, tantum triginta annorum residentiae limitatum sit. Nobis propterea pro parte Decani, et Capituli praedictorum fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Decanum, et Capituli huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati : dictos quadraginta annos residentiae, pro iubilationis huiusmodi fruitione consequenda constitutos, ad triginta annos Apostolica auctoritate per-

petuo reducimur, et moderamur. Ac nunc, et pro tempore existentibus Decano, Dignitates obtinentibus, Canonicis, et tam integris, quam dimidiis Portionariis, caeterisque Beneficiatis dictae Ecclesiae Burgensis, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, non amplius quadraginta annos ad iubilandum, ut praedicitur, expectare debeant : sed qui eorum post factam* primam residentiam huiusmodi per triginta annos apud eamdem Ecclesiam résiderunt, iubilationis gratiam huiusmodi consequantur, et consecuti sint ; illaque gaudeant, et fruantur, etiam perpetuo concedimus, et indulgemus. Decernentes sic deinceps ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, plene et inviolabiliter fieri, et observari debere. Ac nunc, et pro tempore existentes Decanum, Dignitates obtinentes, Canonicos, Portionarios, et Beneficiatus huiusmodi desuper a quoque, quavis auctoritate, praetextu, colore, seu causa molestan, inquietan, seu perturbari nullatenus unquam posse, nec. debere. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, et Delegatos, quavis auctoritate fungentes, et causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et de latere Legatos, et vice Legatos, ac Sedis Apostolicae Nuntios iudicari, et diffiniri debere. Nec non irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Synodalibus, etiam Provincialibus, et universalibus Conciliis, editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus : necnon praedicto, et aliis dictae Ecclesiae Burgensis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia, roboratis Statutis, et consuetudinibus, ac usibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis, eidem Ecclesiae Burgensi, illiusque Praesuli, et praedictis Capitulo, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis : quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica ex-

pressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per cláusulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, reductionis, moderationis, concessionis, indulti, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentésimo vigesimo primo, septimo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno primo ».

Disceptatio Synoptica.

In hac quaestione de ***iubilatione*** concedenda, oratorem quod attinet, hoc est speciale ut non res sit de indulto ex ***gratia*** impertiendo, sed de iubilatione Oratori ex ***iure*** adiudicanda, si iste ea • praeseferat quae per Const. ***Quia plerumque*** Greg. XV datam Capitulo Burgensi, expostulantur. Quamobrem quaestio est. « ***An et quomodo Orator ius habeat ad iubilationem in casu »***.

Praeterea aliquid aliud est speciale in themate, siquidem ordinario indulgetur iubilato frui reditibus praebendae et quotidianis distributionibus ; quamvis choro non intersit. At in Capitulo Burgensi ante Gregorianam Constitutionem ita res se habebat prouti refert eadem Const. : « ***Quod in dicta Ecclesia inter cetera extat Statutum, quod attenta consuetudine antiqua quae in dicta Ecclesia est usitata et observata, eiusdem Eccles. Beneficiatus qui per quadraginta annos apud illam resederit, post factam primam residentiam dimidii anni, possit iubilari ; et licet postea non resideat semper habeatur pro praesente praeterquam quoad distributiones quotidianas quae semper lucrifiunt persona-***

Uter residencio ». Dein constitutio legitime Capitulari consuetudini derogat edicens: « ***deinceps perpetuis futuris temporibus non amplius quadraginta annos ad iubilandum, ut praedicator, expectari debeant, sed qui eorum post factam primam residentiam huiusmodi per triginta annos apud eamdem Ecclesiam resederint, iubilationis gratiam huiusmodi consequantur et consecuti sint etc.*** ». Quare fit derogatio quoad tempus, sed nulla exprimitur derogatio quoad eiusdem conditiones. Nulla enim habetur mentio de distributionibus quotidianis quae deinceps lucrifiant a iubilato personaliter non residente. In derogando autem iure antiquo sive scripto sive consuetudinario sive communi sive peculiari non intelligitur ius vetus fuisse derogatum aut mutatum nisi quatenus ***expresse*** significatur. Quamobrem quum Orator in precibus « ***quam impensissimo rogat pro concessione indulti iubilationis, ut possit et ab oneribus liberari et praebenda ac distributionibus potiri*** » videtur plus petere quam in Gregoriana constitutione contineatur.

Praeterea Gregorius Papa in suo Rescripto, conditiones non commemorat quibus iubilandus Ecclesiae inserviendo facere satis debuerit ; sed silentium Pontificis suppletur per praxim universim receptam et amplissime per iurisprudentiam S. C. C. confirmatam ; nimirum servitium debere esse ***laudabile*** et ***continuum.*** Exinde, quotiescumque agitur apud S. C. C. de indulto iubilationis, in primis quaeritur, an perpensis libris punctaturarum constet servitium fuisse ***continuum.*** Re quidem vera in una Sutrina, ***iubilationis diei 22 Sept. 1855,*** cum ex libris fallentiarum haud continuum Oratoris servitium fuisse constaret, rescriptum fuit ut recurreret expleto quadraginta annorum servitio et compensatis fallen tiis. De hac praxi constanti S. C. C. monet Garcias ***De benef. part. 3, cap 2,*** § i, ***n. 134.*** Benedictus XIV ***De syn. dioeces, lib. 13, c. 9, n. 13,*** et fidem facit alia resolutio in Romana ***Iubilationis 9 Feb. 1822.*** In propositum autem referunt Capitulares, Emmanuelis Gonzalez servitium « non in omnibus annis (fuisse) continuum...; nam in anno

capitulari qui incepit 1 Iunii 1868 et fini vit 30 Maii 1869 abfuit centum quinquaginta et sex dies, in anno 1884 ad 1885 centum quinquaginta duo ; in 1885 ad 1886 centum sexaginta et in 1886 ad 1887 centum octoginta. In his diebus includuntur dies recreationis (in hac Ecclesia licet abire centum quinquaginta dies in quolibet anno ex privilegio Apostolico quod ex declaratione S. Cong. Concil., decreto Tridentino non obstante, adhuc perseverat) ; non vero quamplurimi alii in quibus abfuit infirmitatis causa nec alii in quibus est in tabulis seu in punctaturis signum dubium eius praesentiae in choro et tamen habetur ut praesens ».

Verum non tantum huic S. Ordini usque solemne fuit, quotiescumque servitium non fuerit continuum rescribere sequentibus formulis ; recurrat compensatis fallentiis, vel recurrat post annum, aliisque similibus, quibus S. Congregatio in diversis casuum adiunctis uti consuevit, ut interim servitium interruptum absentia (quae tamen causam habuerit laudabilem) et fallentiis, integratum evaderet; ***(ita in cit. Sutrina ; in Signina-Narnien. 28 Iunii 1857 § Hisce; in Albinganen. 27 Aug. 1853 § Reque vera)*** sed, praeterea, quoad absentes laudabili causa et cum indulto Apostolico non indiscriminatim admittit servitium fuisse ***continuum,*** quale expostulatur ad iubilationem. Sane in Causa. ***Dubia iubilationum die 24 Sept. et 17 Decemb. 1718*** a Bened. XIV dum munere Secretarii fungeretur proposita ad 1. Dub. ita conceptum : « ***An indulgenda sit iubilatio Canonicis et beneficialis qui spatio 40 annorum Ecclesiis inservierunt licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indultis abfuerint ab Ecclesiis vel ex causa infirmitatis vel ex causa studiorum vel pro suae Ecclesiae servitio vel ratione munerum pro quibus obtinuerunt indulta abessendipro diebus et horis, vel indulta simpliciter et absolute abessendi ab Ecclesia durante officio ipsius commisso*** » rescriptum fuit : « ***Affirmative quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis, vel pro suae Ecclesiae servitio vel cum in-***

dicitis abessendi pro .diebus et horis ; negative autem quoad absentes ex causa studiorum et quoad habentes indulta abessendi absoluta durante officio ». Unde eruere licet, fallentias in themate non nocere Canonico Primicerio quoties hic absens fuerit vel ex causa infirmitatis vel tempore vacationum sane recensendo inter ***debitas licentias ;*** minime vero prodesse si idem Orator fuerit absens aliis ex causis, quamtumvis laudabilibus vel laudabilioribus.

Demptis vero fallentiis quae ex statutis capitularibus excusantur ratione vacationum, uti patet, paucae supersunt fallentiae de quibus non constat an causa succurrat laudabilis et legitima vel infirmitatis vel alterius similis rationis, non obstante computatione temporis ***continui*** pro iubilatione obtinenda.

Quia canonici dubium insinuant, in libris punctaturarum aliqua signa reperiri quae non sufficienter exprimunt Emmanuelis Gonzalez praesentiam, iuvat recolere regulam adhibitam a S. C. C. ***in cit.*** Sutrina ***Iubilationis diei 22 Septemb. 1855.*** Siquidem obiiciebatur deficere libros fallentiarum ab a. 1812 ad a. 1824 ; et hinc non satis constare, an servitium fuerit rite continuum ; sed perpensum fuit amissionem librorum Oratori minime obstare posse cum pro reliquo tempore ei potius faveat praesumptio iuris ; nimirum continuum et laudabile fuisse servitium non minus quam pro tempore, cuius recensio supererat in libris fallentiarum.

Ceterum quando aliae conditiones non responderent petitioni Canonici Primicerii, ei certe non suffragantur infirma valetudo. Haec enim si probetur, S. C. O. indulgere solet dispensationem a choro, non vero indultum iubilationis ; uti in una Urbinaten. ***Indulti 18 Sept. 1802*** in qua cum ex causa etiam infirmitatis iubilationis indultum expostularetur proposito dubio : « ***An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu*** » rescriptum fuit « ***Negative sed concedendum indultum abessendi a choro durante infirma valetudine ».***

Nihilominus ex adverso obiici non posset necessitas ser-

vitii Ecclesiae quod Canonici iubilati operam forsan expostulare posset ; nam in cit. causa ***Dubia iubilationum*** ad IV. ***« An non obstante iubilationis indulto iubilatus cogi possit ad inserviendum si divinus cultus detrimentum patiatur »*** responsum fuit : « ***Affirmative*** » quamvis ad V. « ***An non obstante iubilationis indulto iubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum »*** rescriptum prodierit « ***Negative*** ». Item si peculiaria onera inhaereant iubilato ex tabulis fundationis, haec specialia onera non comprehenduntur in indulto iubilationis, unde S. C. C. rescribere passim solet : « ***Pro gratia iubilationis cum solitis cautelis »*** uti in Firmana ***die 9 April. 1859*** vel « ***Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis*** » ut in Montisfalisci ***31 Ianuarii 1852.***

Item non admodum nocet Oratori oppositio Capituli, cuius votum S. Cong. non exquirit ut consensum capitularium obtineat ad gratiam concedendam vel ad ius asserendum, sed eo solo fine eos audiri mandat, ut de laudabili continuo servitio certo constet et causae detegantur si forte adsunt quae porrectis precibus obstent. Neminem siquidem latet etiam contra capituli votum S. C. C. iubilationem concessisse, ceu apparet in ***Civitatis Plebis Iubilationis 23 Nov. 1872*** et in altera ***Civitatis Castellanae Iubilationis 15 Iulii 1820.***

Neque obstat, Oratorem Canonicatum Primiceriatus possidere tantum ab a. 1878 ; nam in cit. ***Dubia Iubilationum*** ad II : « ***An indulgenda sit iubilatio illis qui inservierunt spatio 40 annorum sed partim in una Ecclesia, partim in alia aut tamquam Canonici in ambobus aut tamquam beneficiati in una et canonici in alia, nec non illis qui in tma et eadem Ecclesia inservierunt per totum tempus, sed partim tamquam clerici beneficiati, partim tamquam beneficiati et aliquando partim tamquam canonici, vel partim tamquam coadiutores, et partim tamquam principales et titulares*** » rescriptum fuit : Ad II. « ***Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».***

Quibus animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo Orator ius habeat ad iubilationem in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 19 Augusti 1899 censuit respondere : ***Dummodo constet de diligenti triginta annorum servitio, pro gratia iubilationis iuxta statuta capitularia.***

MELE VITANA

SPONSALIUM ET COMPETENTIAE

Die 19 Augusti 1899.

Sess. 24 c. 3. De ref. mat.

COMPENDIUM FACTI. Haec controversia duplici continetur quaestione ; et una alteri est ***praeiudicialis,*** siquidem quaeritur an sponsalia inter D. Hadrianum Cremona et Aemiliam Mangion inita fuerit ; eademque utrum sint valida ; et quia huic quaestioni definiendae operam dederunt et Curia Melevitana et Curia Gaudisiensis inter se ***de competentia*** iudiciali dimicantes, quaeritur, ***primo*** quaestione praeiudiciali , an duae sententiae iam editae a Curia Melevitana sint probandae, quatenus haec Curia iudiciali uteretur competentia, et hoc admisso, ***secundae*** quaestioni locus fit, an nempe eaedem sententiae ratae habendae sint dum edicunt, sponsalia locum non habuisse vel saltem fuisse nulla.

Iamvero facti speciem quod attinet, Paulus Mangion, Aemiliae pater, Melitensis Civitatis incola, non raro in insula Gaudisiensi moram trahit, ubi unam et alteram domum habet instructam. Sub anno 1897, dum inibi versaretur, agere coepit cum quodam Sacerdote Xuereb de nanciscendo sponso, cui filia Aemilia nuberet. - Sacerdos qui huic negotio videtur fuisse iampridem paratus, statim patri obtulit Hadrianum Cremona, medicum agentem in eadem

insula. - Pater, puellae animo explorato, videtur ultro consentisse in sponsalia cum Hadriano ineunda; et haec revera fertur inivisse puella Aemilia, antequam e civitate Gaudisiensi excederet.

Exinde visi sunt serio instrui tractatus matrimonio praevii ; qui tamen ne ad mensem quidem producti fuerunt ; siquidem pater puellae et Hadriano Cremonae eiusque parenti litteris renunciavit omnem tractationem iam resolutam esse ; quandoquidem filia fidem sponsalitiam Iosepho Vassallo tradiderat, iam iam matrimonium celebratum uti publicae denunciationes de more faciendae in Ecclesia omnes fideles admonebant.

Sibi fidem fuisse violatam persentiens Hadrianus adiit Curiam Gaudisiensem, opponens impedimentum ex initis sponsalibus cum Aemilia Mangion quominus haec ad alias nuptias convolaret. Curia Gaudisiensis, congrue vadata Aemilia sub ***die 27 Iulii 1898,*** causae instructionem instituit. - At ex adverso Aemilia Curiam petiit Melevitanam ut, huius decreto, incompetens declararetur Curia Gaudisiensis, unaque, ordinario iudicio, definiretur quaestio de valore sponsalium. Quare a iudice Melevitano citationis nuncium datum fuit die 10 Augusti 1898 Hadriano Cremona, quo in ius rapiebatur apud eamdem Curiam. Conventus citationi respondit tres potissimum opponens exceptiones; ***primo*** obiiciens citationem sibi datam, fuisse nullam quippe remissam ***die feriato*** seu die 10 Augusti Divo Laurentio sacro et festo, tum pro Curia Melevitana, tum pro Curia Gaudisiensi ; ***secundo*** denuncians Vicarium Generalem et tribunalis Assessorem iudicio ferendo esse impares quia provocabantur ab ipso convento uti testes in causa ; ***tertio*** demum excipiens quia causa ***iure praeventionis*** iam praeoccupata erat a Curia Gaudisiensi.

Curia Melevitana ***die 26 Augusti 1898*** sequens edidit Decretum : « Cum prima exceptio in hac Magna Curia facta a Dno D.re Hadriano Cremona adversus Dnam Aemiliam Mangion quoad notificationis nullitatem admittenda non sit ;

ipsa enim exequuta fuit, uti ex actis processus constat, die decima mensis currentis, sacra divo Laurentio, non integri praecepti; et ius canonicum (vide Schmalzgrueber; Reiffenstuel et alios), cui consentit Lex Civilis Melitensis, pro huiusmodi nullitate dies Dominicas, aliasque festivas de integro praecepto tantum assignet;

« Cum neque admittenda sit secunda exceptio quoad termini defectum pro comparitione : terminus enim iuxta Reiffenstuel et Gagliardi ***de Iudiciis*** statui debet a iudice prout circumstantiae locorum, personarum nec non aliarum causarum expostulent;

« Cum reiicienda quoque sit exceptio tertio loco facta, scilicet neque Vicarium Generalem, neque Assessorem posse iudicium ferre in causa, cum ipsi vocandi sint ad deponendum, quidquid enim ad nostram cognitionem pervenit hoc fuit tantum ratione officii ;

« Cum tandem admitti nullo modo possit exceptio, quarto loco expressa, quoad nempe litis pendentiam, nam prima citatio facta est a iudice incompetente, ac proinde invalida et litis pendentiam non inducit, porro sponsa, quae et rea est in prima citatione et actrix in secunda, et ratione originis, et ratione domicilii, et ratione contractus principalis, qui est matrimonium cum tertia persona et impugnatur, non est subiecta iurisdictioni Dioecesis Gaudisiensis, sed Melitensis, ubi matrimonium celebrandum erit;

« Hisce omnibus, aliisque perpensis, dicimus et declaramus supradictas exceptiones a Dno D.re Hadriano Cremona, adversus Dnam Aemiliam Mangion in hac Magna Curia appositas, esse omnino reiiciendas, ac proinde procedendum ad contestationem litis ad tramites iuris ».

Adversus hoc decretum protestatus est Hadrianus Cremona, animum significans instituendi appellationem, et se abstinendi ab ulteriore causae prosecutione; Curia autem Melevitana ***die 6 Sept. 1898*** ipsum causae ***meritum*** quod attinet sequentem protulit sententiam :

« Visa citatione ab hac Magna Curia die 8 Augusti

ultimi elapsi expedita instante Aemilia Mangion versus D.rem Hadrianum Cremona pro revocatione impedimenti ab ipso interpositi in curia Episcopali Gaudisien. ;

« Visis ac bene perpensis praeliminaribus exceptionibus a citato contra citantem propositis.

« Viso Nostro decreto diei 26 Augusti 1898, easdem -exceptiones reiiciente ;

« Visa notula ab ipso citato exhibita, qua in contemptum praedicti Nostri Decreti ab ulteriori tractatione causae sese abstinere declarat;

« Visa alia notula ex parte citantis, per quam instat ab hac Magna Curia declarari sibi fas esse contrahere matrimonium cum Doctore Iosepho Vassallo;

« Visa etiam notula appellationis a citato exhibita, quae minime officit sententiae publicationi, cum Nostrum Decretum diei 26 Augusti 1898 prosecutionem causae non impediat ;

« Visis tandem aliis de iure videndis ; perpensoque ***quod citatus nullo modo probaverit asserta sua sponsalia cum citante ;***

« Dicimus et declaramus praefatam Aemiliam Mangion gaudere plena libertate contrahendi licite et valide matrimonium in facie Ecclesiae cum praedicto D.re Iosepho Vassallo, nisi aliud ei obstiterit canonicum impedimentum ».

Interea iudicium haeserat apud Curiam Gaudisien., quia Vicarius Generalis et tribunalis Assessor, iam ab initio instauratae instantiae significaverat velle a iudicio ferendo se abstinere, quippe sanguine coniunctos in secundo gradu cum actore. Unde deliberandum erat de surrogandis iudicibus, quod ubi primum perfectum fuit, sequens decretum editum est ***die 19 Octob. 1898.***

« Viso mandato de non nubendo, dato ab hac Curia die vicesima septima iulii millesimo octingentesimo nonagésimo octavo contra Aemiliam Mangion, instante Hadriano Cremona Medicinae Doctore, affirmante sponsalia a se.contracta cum dicta Aemilia:

« Viso libello eiusdem Hadriani Cremona instantis, ut dictum mandatum integrum servetur contra ipsam Aemiliam, nuptias cum Iosepho Vassallo Medicinae Doctore inire volentem :

« Visa schedula dictae Aemiliae Mangion obiicientis ; carere hanc Curiam iurisdictione in causam, neque ad illam pertinere causam ipsam cognoscere :

« Visis item ceteris documentis utrinque exhibitis.

« Considerantes Aemiliam, quamvis in Melitensi Dioecesi domicilium haBeat ; constare tamen ex allatis sponsalia, valida fortasse, cum Hadriano Cremona actore in Dioecesi Gaudisiensi, contraxisse, atque inter ipsos convenisse de Matrimonio in Gaulo insula celebrando, Sacerdote Vincentio Bugeja et Maria Xaveria Cremona, testibus.

« Considerantes inter rerum adiuncta seu circumstantias, ex quibus ius competentiae, ut aiunt Ecclesiastico Tribunali promanare possit, praeter domicilium, inter alia *locum* adnumerari, quo aliqua obligatio contracta sit. Gregorius IX in cap. Licet 20.

« Considerantes, cum Aemilia Mangion Melitae domicilium habeat, sponsalia autem cum actore in Gaulo insula contraxerit, multiplex esse eiusdem Forum, atque ideo ipsam apud Ecclesiasticum Tribunal tam Melitense tam Gaudisiense ad suam causam dicendam vocare posse ; alterutrius tamen Fori eligendi potestatem penes actorem esse. Ferraris Bibl. verbo Forum 6.

« Considerantes praecepisse Tridentinam Synodum ut antequam matrimonium contrahatur, ter a *proprio contrahentium Parocho,* tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Sess. XXIV, De Reform. Matrim. Cap. 1.

« Considerantes dictam Aemiliam Mangion, cum non iam per menses, sed per totos annos in Gaulo insula morata sit, ad Parochiam S. Georgii M. eiusdem insulae pertinere putandam esse, ac proinde, ut integra Tridentina dispositio

manere possit « ***A proprio contrahentium Parocho*** », matrimonium dictae Aemiliae cum praefato Iosepho Vassallo in Ecclesia ipsa S. Georgii publice quoque denunciandum esse. Antonelli - De loco legali lib. 1, cap. VII, § 5. Idem quaest. XIII, § 215 - De Angelis lib. IV, tit. III, § 4.

« Considerantes matrimonium contrahendum eo sic publice denuncian, ut canonicum impedimentum, si quod matrimonio obsit, detegi possit ;

« Considerantes ipsam Aemiliam (cum Gaudisii per annos morata fuerit, M. Michaelina sorore de Charitate teste ; atqui ea ferme aetate, quo matrimonium spondere potuisset, a Curia Melitensi cogendam fuisse ut exhiberet fidem de suo statu libero, ut aiunt, ab hac Curia Gaudisiensi exarandam. Ferraris Bibl. verbo Denunciationes Matrim. § 97.

« Considerantes Curiam Melitensem, cum eiusmodi fidem de Statu libero ab Aemilia pro tempore quod Gaudisii transegerat repetere omisisset, postulasse tamen ab Auctoritate Ecclesiastica Gaudisiensi ut a Parocho S. Georgii matrimonium Aemiliae cum Iosepho Vassallo rite denuncian iuberet. Vide exemplar. Edicti denunc.

« Considerantes impedimentorum revelationem, si quae fuissent, apud ipsam Curiam Gaudisiensem fieri potuisse, quae denunciationes ipsas per praefatum S. Georgii Parochum fieri iusserat.

« Hinc demum considerantes, Hadrianum Cremona actorem ; ab hac Curia iuridice flagitasse, ut de sponsalibus, quae ipsum inter et dictam Aemiliam intercedere dicit, decerneret.

« Dicimus, declaramus et pronuntiamus, pertinere ad hanc Curiam ius et potestatem causam de qua quaestio est cognoscendi.

« Expensae vero huius Decreti ab utraque parte solvantur, ad exitum processus de iure et merito causae instituendi decernendum relinquimus. »

Ab hac sententia ad S. C. C. appellationem interposuit Aemilia Mangion; at nihilominus iudicium prosecuta est,

quoad *meritum* causae, apud iudicem Gaudisien, duos praeferens testes pro asserenda sponsalium nullitate. Quum vero appellationes exceperit S. C. C. tum ab una, tum ab altera parte, interim in suspenso mansit apud curiam Gaudisien, iudicium quoad *meritum* causae, in obsequium huius supremi Tribunalis, ubi fassus est Episcopus litteris *diei 3 Iulii 1899.*

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VIRI. Exinde, controversia agitatur apud EE. PP. an confirmandae vel infirmandae sint duae sententiae Curiae Melevitanae iam relatae. Hadriano Cremona adversae ; et praeterea, *tertio,* instante Aemilia Mangion petitur *« An sit locus dispensationi super impedimento ex sponsalibus in casu ».*

Hadrianus Cremona Procuratorem constituit, cuius modo subtexam allegationes. In primo capite contendit, nullitate laborare decretum Melitense *diei 26 Augusti 1898*, quia Curia Gaudisien, plane competens erat, iure *praeventionis ;* siquidem hanc prior adivit Hadrianus Cremona.

Praeterea, notat Orator, alius titulus competentiae in Curia Gaudisiensi repetitur a ratione agendi Aemiliae, quae ultro recognovit illius competentiam, seu hanc *prorogava.*

At neminem latet, notat patronus, forum acquiri per *prorogationem** de qua, haec habet Engel in *Colleg. univ. iur. lib. 1, tit. 32, n. 30. «* Denique, praeter supradictos modos acquiritur iurisdictio per prorogationem. Est autem prorogatio iurisdictionis nihil aliud quam extensio eius de consensu partium ultra limites, inter quos exercita est. Et fit haec extensio quatuor modis, videlicet de persona ad personam, de re ad rem, de loco ad locum, de tempore ad tempus ».

Satis est iudicem communi iurisdictione pollere, qua alter ordinarius pollet, et partium prorogationem re et facto significari. Re autem et facto satis prorogatio significatur si reus, lite contestata, vel dilatorias exceptiones proponat,

vel testes edat, vel aliter iudicem agnoscat, ut ait Schmalzgrueber, *par. 1, tit. 2, n. 144* - ibi - « sufficit autem consensus tacitus qui explicatur ipso facto, dum partes coram eiusmodi iudice litem contestatur, vel opponunt exceptionem dilatoriam ».

Sed procurator magis instat, Curiam Gaudisien, fuisse competentem *iure proprio,* seu *iure praeventionis.* Advertit enim causam de impedimento sponsalium prius a cliente actore ad Gaudisiensem Curiam fuisse delatam. Obiicitur illam Curiam iurisdictione caruisse quia actor sequi debet domicilium rei, et Aemiliae familia lares habet in proxima insula Melitensi. Reponit advocatus Aemiliae patrem duplici domicilio pollere quia utrobique pluribus iam annis versatur. In iure, ait Schmalzgrueber, nemine dissentiente. « Ut domicilium quis acquirat in duobus vel pluribus locis, necesse est ut aequali tempore in iisdem degat ; quod tamen intelligendum est non mathematice, quasi necesse sit ut in uno loco non plus uno die vel hebdomada quam in alio habitet ; sed moraliter ut in quolibet loco per magnam anni partem, quamvis non aequalem habitetur, ut recte observat P. Frider. et alii ».

Revera Aemilia testatur « sono stata al Gozo per edu- » cazione nel Conservatorio vescovile per quattro anni ». Soror istius, in Gaudisiensi incolatu in morbum incidit, ibique decessit. Ibidem pariter obiit illius mater. Domos incolendas tres habuit parens Paulus, unam in insula kelitensi « alia Sliema » : duas in Gaudisiensi « una casa alla città Vittoria di Gozo, ed un' altra al Migiarro » scilicet in rusticana insulae regione. Idem haud infìciatur se ad aliquot menses hoc incolatu delectari, et exemplum praebet illius temporis quod causae adiuncta praecessit.

Verumtamen, ait advocatus, etsi deficeret in casu titulus *domicilii,* suppetit abunde titulus *contractus.* Auctore enim Gregorio IX in cap. Licet 20 de foro com. ac teste universa iurisprudentia, quatuor sunt tituli adipiscendae iudiciariae iurisdictionis « ratione delicti, seu contractus aut

domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur ». Quoties igitur actori iudicium instituendum est, facultate posset alterum ex hisce titulis eligendi. Ita Reiffenst. *lib. 2, tit. 2, n. 6.* « Si reus conveniendus multiplicem forum sortiatur (prout frequenter contigit), in electione actoris erit convenire reum in quo maluerit foro. Ita Glossa etc. estque communis canonistarum, teste Fagnano etc.

Age vero, de foro contractus tralatitium est quod tradit Schmalzgr. *loc. cit. n. 30.* « Alter modus sortiendi forum est contractus : nam quisque in eo loco, in quo contraxit, etiam sortitur forum ut ibidem conveniri possit, ratione illius contractus. Ita aperte cap. fin. h. t. cap. Romana 1 § Contrahentes eod. in 6 ».

Ceterum hoc etiam ubique gentium obtinet iure civili, ut in praxi iudiciaria quae hodie apud nos viget, *art. 91* - ibi - « L'azione personale e l'azione reale su beni mobili si possono anche proporre davanti l'autorità giudiziaria del luogo in cui fu contratta o deve eseguirsi l'obbligazione, etc. ».

Iamvero prosequitur orator, ab initio ac semper de hoc negocio actum est in insula Gaudisii, ubi utraque familia Cremona et Mangion versabatur dum res gereretur. In eadem insula, cum clientis familia ibi perpetuo degeret, altera vero moram ad pertractandum prorogaret, Mediator fuit Sacerdos Xuereb in eadem insula degens. Testes editi sunt, si unum vel alterum excipias, omnes ex eadem insula.

Sed obiicitur ad sortiendum forum ratione contractus, in primis requiri reum in loco contractus reperiri cum actor illi vadimonium nuntiat coram magistratu. Respondet patronus, quod reus in loco contractus conveniri nequeat nisi tunc ibi reperiatur, advenas tantummodo ac peregrinos respicit, non incolas qui certam in loco habitationem fovent, teste Ferraris *roc. Forum n. 18* - ibi - « Quando quis tamquam advena et viator contrahit in aliquo loco mox inde discessurus, et hoc scitur ab altera parte contrahente : tunc non tenetur ibi respondere, nisi voluerit ». Ac rationem tradidit Textus in 1. Haeres S Proinde ff. de Iudiciis - ibi -

« Durissimum est quotquot locis quis navigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere ». Quamobrem distinguit Schmalz, ***lib. 2, tit. 2, n. 45:*** « Vel reus peregrinus in loco ubi contraxit aut promisit se soluturum reperitur vel non reperitur. Si primum, quamdiu in loco reperitur, iurisdictionem suam iudex exercere potest in ipsam eius personam ». Atqui ridiculum esset notat orator peregrinum et advenam in Gaulo vocare Paulum Mangion, qui duas habet domos in insula, alteram urbanam, alteram ad rusticandum. — Sed ait patronus, omnes evanescere difficultates quia Paulus Mangion in insula versabatur cum vadimonium accepit.

Quia obiicitur, quoque, forum contractus in Melitensi Curia agnoscendum esse, non in Gaudisiensi, quia matrimonium non in minori insula, sed in Melitensi celebrandum fuisset, reponit orator, perridiculam esse hanc exceptionem, quia sponsalia ***contractum*** de se constituunt, prouti nemo inficiari potest, quicumque fuerit locus matrimonio celebrando destinatus.

Quae cum ita sint, concludit patronus, Hadrianus Cremona qui, nuntiato interdicto propter impedimentum sponsalium ; illico adversariam in ius rapuit coram Curia Gaudisiensi, ut impedimentum confirmaret, lege notissima usus est : contra vero Melitensis Curia legem violavit, quae, instituto coram Gaudisiensi magistratu iudicio, iurisdictione carebat. Testis de communi iure Schmalzgr. ***loc. cit. n. 136*** - ibi - « Quaeritur de foro praeventionis. Hoc citatione inducitur, et quidem duplici ex causa, una quando reus actu coram pluribus iudicibus conveniri potest, altera quando actu quidem non uterque iudex respectu rei est competens, unus tamen, dum adhuc competens fuit, causam agitare coepit : nam utroque casu ille iudex qui causam in suo foro agitandam assumpsit prosequi illam potest, et ceteros iudices quos ita praevenit, a cognitione illius causae excludere. Ratio est, ut ex 1. Ubi 30 ff. de iudice dicitur, ubi acceptum est iudicium, ibi etiam finem debet accipere. Suf-

ficit autem una citatio... quia per unam solam citationem iam praevenitur et perpetuatur iurisdictio ».

Progressus Advocatus ad aliud orationis caput, disserens de valore sponsalium adnotat, quod de sponsalibus Aemilia sub sacramenti fide declaravit sese adhaesisse petitioni Hadriani Cremona; id quod firmatur a Patre. Imo, etiam nunc Aemilia, dum vinculo solvi postulat, id praestolatur « previa l'assoluzione per qualsiasi censura si fosse incorsa in causa degli sponsali ».

Atqui urget orator, mille testes efficere non possent ut qui poenam sibi debitam fatetur, culpam non patraverit. Ceterum, ait Rota in Maioricen. sponsalium 25 aprii. 1746 cor. Bussio,. n. 18 « Scitum est nullum magis absolutum probationis genus requiri, quam quod ex propria oris eruitur confessione, per Text. etc. et in terminis sponsalium ***Rota cor. Buratto dec. 743 n. 23, et dec. n. 172 n. 12 part. 2 Rec. etc. ».***

Nihil autem magis intolerandum, ait orator, quam quod Aemiliae a sponsalibus resilire liceat, cum nulla ratio vel afferatur vel probetur ceu Episcopus palam profitetur. Quid quod nulla Aemiliae excusatio est quae vel credi possit, vel accenseatur non stultis mendaciis ait orator.

At Aemilia insinuât, a sponsalitia fide se iure resiliisse quia decepta fuerat causa suae aetatis minoris, et quia praevidebat coactionem fratris sui ; tamen respondet orator, ***coactionem*** nullimode probari ; ***deceptionem*** vero inter fabulas esse amandandam.

Verum advertit advocatus, has mulieris excusationes eo magis esse exprobandas utpote ordinatas ad facilius obtinendam dispensationem ab impedimento ex sponsalibus in quod tota incumbit Aemilia eiusque fautores, aientes omnem aliam disputationem esse inutilem, et dispensationem a benignitate S. Pontificis precibus esse exorandam. Sed haec nimia levitate asseri contendit patronus, qui recolit in propositum iustitiae regulas. « Quaeritur an et qua ratione sponsalia solvi possint dispensatione? Respond, possunt dis-

perisatione solvi, non tamen ab alio quam a Summo Pontifice. Ratio est, quia per sponsalia valide contracta est ius acquisitum tertio, quod nullus praeter supremum principem auferre potest. Exerceri autem potestas haec a Pontifice potest, tantum ob causas iustas et graves ». (Schmalz, ***lib. 4 tit. 1 § 214).***

Subsumit oratrix : iusta causa et gravis dispensandi causa non deficit, nam ipsa omnino Cremonae nubere recusat. Igitur aut ***cogenda*** est aut solvenda. Sed hodiernis praesertim moribus abhorrent animi a coactionibus, quae difficiles exitus pariunt.

Respondit patronus in primis, etiam cum de coactione agitur, eique fieri locum non decet, semper iudicium praemitti oportere, ad alios effectus ***poenarum et satisfactionis*** > quos meminit Schmalzgrueber ***loc. cit. num. 94.***

Sed magis instat, hic non agi de muliere cogenda ad nuptias sed tantum rem esse de nuptiis cum ***tertio*** impediendis.

Gravissimam vero obligationem oriri ex sponsalibus ***libere*** initis ita docet Schmalzgrueber ***loc. cit. n. 81.*** « Tamquam certum tenendum est, obligationem ex sponsalibus exortam gravem esse. Ita S. Thom., Sánchez, Layman, Zoes, Pirhing etc. Ratio est quia omnis contractus obligat ex iustitia, et quidem si materia gravis sit, sub peccato mortali ; atqui sponsalia sunt contractus facio ut facias inducens obligationem mutuam et reciprocam, et materia est gravis, cum magna iniuria inferatur alteri si non impleatur : ergo obligant graviter. Neque obligatio haec libertati coniugis obest, quia de eo ineundo fidem dans alteri, iam libertate sua est usus, ut proin ad promissionem spontaneo illius usu factam adimplendam, iure compelli possit ».

Vim autem fidei sponsalitiae, urget orator sartam et tectam esse debere maxime inter Melitenses, apud quos adhuc plene viget observantia legis canonicae, plene recognitae a laica potestate, adeo ut iurisprudentia curiarum Ecclesiasticarum feliciter tueri soleat efficaciam obligationis

sponsalitiae ; et experientia doceat, hoc conducere magnopere ad morum sanctitatem custodiendam. Qua de re multa possent exempla conferri.

DEFENSIO MULIERIS. EX adverso quia Aemilia nullum constituit procuratorem aliquid advertam in eius favorem sed, pro meo munere, magis studio veritatis, quam ex officio patroni. - In primis in quaestionem de ***competentia,*** advertendum est, Curiae Gaudisiensi suffragari non posse nisi titulum ***contractus. -*** Siquidem familia Mangion certe in insula Gaudisien, non habebat ***domicilium,*** nec ***quasi domicilium.*** Et illuc ibat cum patre animum recreandi causa, ut illa retulit, et ad rusticandum. Sed hae breviores commorationes certe non constituunt quasi domicilium quod expostulat ***animum commorandi per maiorem anni partem.*** Unde parochus absque haesitatione affirmat : « ***Non ho ri-» tenuto giammai il Mangion come mio parrocchiano ».***

Porro, ex communi Doctorum consensu, contrahens in loco nec domicilii nec quasi-domicilii ibi forum sortitur, dummodo tamen a iudice citatione praeveniatur quando adhuc versatur in loco contractus, dummodo expresse inter partes cautum non sit, forum contractus esse electum etiam si conventus e loco excesserit, aut aliter non constituant leges loci peculiares. - Hanc communem doctrinam ita tradit Schmalzgrueber ***II, tit. 2,*** § ***41. «*** Quaeritur : An universim in loco contractus conveniri contrahens possit ? Resp.: posse, si ibi inveniatur, nec aliter conventum sit inter contrahentes, vel per leges locorum particulares statutum sit— Dixi I. ***Si ibi inveniatur; nemo enim regulariter in loco contractus conveniri poterit nisi ibi reperiatur-, ut patet eoe c. romana 2*** § ***contrahentes 3 h. tit. in 6 I. haeres absens 19 princ. ff. de i u d.*** Dixi 2. ***nec aliter conventum sit etc. »*** Verum refert Paulus Mangion ibi non fuisse quando eius filia citata fuit. Unde Paulus haeret anceps an ipse in Gaudisiensi insula versaretur quum citatio remissa fuit neque asserit utrum filia tunc ibi vel alibi commoraretur, omni remoto dubio, prouti omni remoto dubio dein testatus est.

Quamobrem exinde dubium suboritur de legitima causa ***praeventione et pendentia*** apud Curiam Gaudisien. - Corruit enim totum aedificium iudiciale si suo destituatur fundamento seu ***legitima citatione,*** nimirum edita a iudice competente, unde causae habetur ***praeventio.*** In themate autem si Curiae Gaudisiensi abiudicetur competentia quoad actum citationis, eidem Curiae ***irreparabiliter*** deest in posterum competentia in iudiciale negotium, quam rite praeoccupavit Curia Melevitana per legitimum citationis decretum. Quocirca factum est ut nulli sint dicendi actus iudiciales sive a iudice sive a partibus praestiti in Curia Gaudisiensi post citationem a Curia Melevitana editam ; neque locus esse potest ***prorogationi*** competentiae. Siquidem ***praeventionis*** vis est ut qui ***prior negotium praeoccupavit ad finem perducere debeat,*** iuxta notum effatum ; quare iudicium iam ab alio iudice legitime instauratum, ab altero iudice minime expediri valet seu nullimode amplius locus est ***prorogationi.*** Prorogatio enim suum operatur effectum quoad iudicia, quae a pluribus iudicibus ratione diversorum competentiae titulorum expediri valent; minime quoad iudicia, iam legitime instaurata ab uno iudice, alios praeveniente.

Praeterea dicendum aliquid est de merito causae. - Iamvero quidquid sit statuendum de valore sponsalium, sane probari non potest sententia Melevitana ***diei 6 Sept. 1898*** edicens « ***Dicimus et declaramus praefatam Aemiliam Mangion gaudere plena libertate contrahendi licite et valide matrimonium etc.*** » et hoc edicit quum antea adverterit : ***« Visis tandem aliis de iure videndis, perpensoque quod citatus nullo modo probaverit asserta sua sponsalia cum citante*** ». Sed in causis huiusmodi iudex procedere debet ***ex officio;*** et si pars vel contumax fuit vel negligens in afferendis probationibus, hae supplendae sunt a iudice; quandoquidem in istis negotiis proeedi debet rerum veritate inspecta et explorata etiam ***ex officio*** iudicis, non tantummodo per simplices ***iuris*** praesumptiones.

Re quidem vera si quaeratur an sponsalia inita sint

Aemiliam inter et Hadrianum, videtur in dubium haud revocari posse contractum sponsalitium, quem expressis verbis non semel attestantur et Aemilia Mangion et Paulus eius parens.

Verum forsitan quaeri posset an reapse actum sit de initis sponsalibus vel potius de tractatibus praeviis ipsi contractui sponsalitio ; siquidem adhaerere, tum ex parte partis tum filiae, petitioni illius qui de matrimonio futuro vult agere non continet promissionem sponsalitiam ; sed propositum exprimit ineundi tractatus sponsalitios seu coniugio praevios.

Attamen quia^graviora urgent argumenta subtilitatibus indulgere non fas est. Etenim sponsalia inita fuisse videntur, sed praepostera ratione, atque omnia gesta fuisse videntur non ***bona fide.*** Sane tot mendaciis acta sunt referta et tot continent inter se pugnan fia uti patet eadem acta vel leviter legenti et centies animadvertit patronus partis adversae, ut aperte significent res gestas fuisse haud pacato animo.

Revera non ultima discordiarum causa, enata ab initis tractatibus sponsalitiis habita est in notitia quae ad aures pervenit tum Aemiliae, tum eius patris de fide sponsalitia quam Hadrianus cuidam puellae Frendo spoponderat.

Quam vehemens autem animorum aestus et concertatio ***perbrevi tempore*** omnia miscuerint in familia Mangion, diserte docent litterae quibus Paulus Aemiliae pater, paucis diebus ab initis sponsalibus, nempe decem vel tredecim diebus, Hadriano denunciavit, omnes tractatus sponsalitios iam resolutos haberi ne filia mortem oppeteret.

Alias praeteream non minus claras attestationes ; et exinde, suapte vi, erumpit quaestio; utrum nempe huiusmodi sponsalia, ***quatenus sint valida, scilicet ad cautelam,*** dispensatione sint relaxanda.

Omni procul dubio, Rom. Pontifex qui dispensare valet a vinculo mat. rati et non consummati, a fortiori dispensat ab obligatione sponsalitia; sed necesse est, aliqua iusta

et prudens concurrat causa ; quae sane gravior urgere debet pro relaxando mat. rat. et non consummato quam pro resolvendo contractu sponsalitio. - Quotidiana est apud S.C.C, dissertatio de legitimis causis ad dispensandum in mat. rat. et non consumm. ; quapropter otiosa videtur quaecumque tractatio de hoc negotio. Praestat, nihilominus, haec afferre quae ad rem habet Gasparri *De mat. I, 108.* « Quaenam causa iusta sit pro hac dispensatione remittitur prudentiae Rom. Pont.; in genere dici potest, causam esse iustam si, omnibus perpensis, maiora bona ex dispensatione quam ex adimplemento fidei sponsalitiae praevidentur ».

Neque bonum exitum sperari posse ex denegata dispensatione docere videntur diserte attestationes ab Episcopo Melevitano exceptae sub religione iuramenti.

Quibus animadversis proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An decretum Curiae Melevitanae diei26 Augusti 1898 sit infirmandum vel confirmandum in casu.*

II. *An decretum Curiae Melevitanae diei 6 Sept. 1898 sit infirmandum vel confirmandum in casu.*

III. *An sit locus disp)ensationi ab impedimento ex sponsalibus in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 19 Augusti 1899 censuit respondere : Ad I. *Decretum esse infirmandum.* Ad II. *Provisum in I.* Ad III. *Non proposita.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM. Quid de Episcopo qui inadvertenter pueros aliquos confirmavit oleo cathecumenorum ?

Beatissimo Padre,

Il Vescovo N. N., prostrato ai piedi della Santità Vostra, umilmente espone che, trovandosi in una grossa borgata ad

amministrare in pubblica chiesa il sacramento della Confermazione a più centinaia di fanciulli, dopo averne cresimati due terze parti, venne a mancare il sacro crisma del Vescovo, e si dovè ricorrere al crisma che conservavasi, insieme colPolio dei Catecumeni, presso il Parroco. Benché si fosse posta ogni attenzione in usare quel vaseilino che portava scritto in fronte *sacrum chrisma;* pure in fine si scoprì che in quel vaseilino contenevasi invece l'olio dei Catecumeni. Il sottoscritto rispettosamente chiede se e come debba riparare a questo involontario errore.

Che ecc.

Feria IV, die 22 Novembris 1899.

In Congregatione Generali ab Emis et Revmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, propositis dictis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi Cardinales respondendum mandarunt:

Sileat (1).

Sequenti vero feria VI, die 24 eiusdem mensis et anni, in audientia R. P. D. Adsessoris S. O. a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII impertita, Sanctissimus resolutionem EE. RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI S. *R. et U. Inquisii. Notarius.*

(1) Haud ex hoc responso arguendum videtur, S. Congregationem, declaravisse validam eiusmodi confirmationem, oleo cathecumenorum collatam. Sed retinendum videri, taliter respondisse ob difficultatem reparandi errorem erga confirmâtes oleo cathecumenorum.

Nam quamvis apud complures auctores materia huius sacramenti sit manuum impositio, tamen certum non est non esse materiam necessariam etiam unctionem per sacrum chrisma. Ergo prudentius ageret qui hisce in casibus iteraret confirmationem sub conditione, cognitis confirmatis, erga quos erratum fuit.

EX S. CONGR. CONCILII

MONASTERIBN.

MATRIMONII

Die IO Martii 1899.

Sess. 22. cap. 8. De ref.

COMPENDIUM FACTI. Helena H.... et Antonius K...., initis prius sponsalibus quo tempore, prout ipse vir fatetur, rem turpiter inter se habuerunt, biennio post, die nempe ***19 Aprilis 1887,*** iuxta Sacrosanctum Conc. Tridentinum matrimonium contraxerunt in Ecclesia pagi, vulgo ***Biefeld,*** Monasteriensis dioecesis.

Eadem die coniuges laeto animo vitam coniugalem instaurarunt atque rei. uxoriae operam dederunt; sed praeterlapso non brevi tempore, cum eis nulla spes filios procreandi affulgeret, pertimescentes aliquem defectum existere in ipsis mulieris genitalibus, Bonnam se contulerunt ut insignes in arte medica peritos consulerent. Iamvero medici Helenam inspexerunt, et in eius genitalibus aliquam informem vaginam reperierunt « ***come di una borsa a fondo chiusa*** ». Mox vero mulier chirurgicae operationi subiecta fuit a doctore Henrico Fritsch, Universitatis Bonnensis professore, qui de peracta operatione mense novembre 1895 hanc dedit relationem: « Dopo aperto il corpo si venne a constatare che il piccolo corpo a destra è ***V ovarium***____Il corpo in mezzo è un utero rudimentale, solido, senza cavità interna, Sella forma e grossezza di una fava, legato colla vagina per mezzo di un sottile legame (fascetta). Furono tolti ambedue i corpi. - l'ovario e (l'utero) il rudimento dell';utero: La guarigione fu buona senza interruzione. La K.... fu licenziata il 14. dee. 1896 ».

Interea coniuges conatus ad copulam reiterarunt; sed, si eos audiamus, incassum; obstaculum enim per operatio-

nem sublatum non fuit. Hac de re mulier, nunc exoptans consulere suae conscientiae et prospicere libertati sui viri, qui cum quadam muliere, domestico servitio addicta, adulterinos iam fovebat amores, apud Episcopum Monasteriensem causam nullitatis instituit, asserens se, organis genitalibus carentem, imparem esse coniugio.

Monasteriensis Episcopus per iudicem delegatum tribunal instituit, percontati fuerunt coniuges, obstetrices, quae corpus mulieris inspexerunt et quinque medici et chirurgi qui in cura actricem habuerunt inter quos eminet depositio ac scripta relatio praefati doctoris Fritsch. Ex his depositionibus innotuit quidem, ut ait Episcopus Monasteriensis, luce clarior defectus actricis ; sed dubium remansit, an iuxta doctrinam canonum impedimentum assertum revera subsisteret ; quapropter Curia Monasterien. a definitiva sententia proferenda abstinuit et integrum processum ad S. C. C. transmittendum esse duxit ut suprema auctoritate rem decerneret.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. « Inventum est matrimonium, ait Damascenus, ***De Fide Orthod.*** 1. 4, c. 24, ut per liberorum procreationem genus humanum conservaretur ». Quare cum S. Antonino ***Part. 3. tit. 14. c. 1, § 6*** fateamur oportet « ab initio institutum fuisse ***solum*** in officium procreandae prolis ».

Verum non minori certitudine constat matrimonium factum « post peccatum esse etiam in remedium contra infirmitatem concupiscentiae ». ***Ibid.*** ita tamen ut concupiscentiae sedationem exquirere, nisi rite servato naturali humanae generationis ordine, coniugibus non liceat. Porro generationis ordo duobus maxime perficitur, quorum unum carnalis copula dicitur, quae est ab homine, alterum ex viribus naturae, et est novi hominis conceptio. « Terreni parentis, ait Lactantius, ***De opificio Dei, cap. XIX,*** nihil est, nisi ut humorem corporis, in quo est materia nascendi,

•eum sensu voluptatis emittat vel recipiat, et citra hoc opus sistit, et ideo nasci sibi filios optant, quia non ipsi faciunt; cetera iam sunt Dei ». In tali itaque humore corporis, in quo est materia nascendi, seu viridis seminis physiologica emissione et receptione homo lapsus per coniugium iure habet « concupiscentiae ^remedium ». Cetera si desiderantur, iam ex imbecillitate et defectu naturae humanae contigisse censendum est, quae naturae particularis imbecillitas seu impotentia concipiendi et generandi, si absoluta est et perpetua, dicitur ***sterilitas,*** dum impossibilitas emittendi, aut recipiendi semen, ***impotentia*** coeundi aut impotentia coniugalis nuncupatur.

Iam vero, cum tribus distinctis partibus apud sexum sequiorem genitale organum essentialiter constet, ***vagina*** scilicet, quod nostri vas debitum seu naturale dicunt, ***utero*** seu matrice et ***ovariis,*** illa solummodo ad copulam destinata est : Ovaria et uterus ad ulteriora generationis munia sunt creata.

Hisce praeiactis, vix est cur. moneamus iuxta sacros canones minime ex sterilitate, sed ex sola impotentia coeundi impedimentum oriri, ne matrimonium .contrahatur prohibens atque irritans contractum. « Certissimum est, ait Sanchesius ***(L. VII, disp. 92, n. 26),*** sterilitatem nihil obesse valori matrimonii ». Quapropter iure et merito, cum, supplici porrecto libello, die 31 octobris 1889, a Sancto Officio Episcopus Ordinarius Regien, quaesiisset: « Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo Ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum », ita die 30 Iulii 1890, responsum fuit: «Re mature perpensa, Emi Domini Cardin. Inquisitores Generales decreverunt ***Matrimonium non esse impediendum »***. Licet enim ex huiusmodi matrimonio primarius finis excludatur, coniuges tamen ad finem secundarium exinde non efficiuntur impares. Ceteroquin actricem utero carere per accidens h. e. instituta hysterotomia, certo scitum est, cum regulariter et per se hoc periti nonnisi per probabilem coniecturam declarare valeant.

« L'absence de l'utérus, ita auctor operis ***Manuel de médecine légale,*** peut être reconnue par l'introduction du doigt dans le vagin... Cependant la situation profonde de l'utérus ne permet pas d'établir un diagnostic assez certain pour conclure positivement qu'il y a impuissance ».

Nihil itaque contra matrimonia facit uteri privatio, neque curandum est de peritorum opposita sententia ex hac posse coniugium dissolvi; medici enim artem medicam tenent non canones. Ex capite igitur sterilitatis oh defectum uteri, matrimonium de quo agimus, non infirmatur. Sed quid, si ad alium coniugis defectum, quem uno ore periti testati sunt, respiciamus, quatenus scilicet, ista. a natura acceperit* vaginam per integrum non perviam, sed infra medietatem, membrana in naturali occlusam, seu « la quale finisce a culo di sacco ».

Utrum huiusmodi vitium, prout apud Helenam K..... existere ex actibus processualibus eruitur, tale sit, quod ne valide contraxerit eamdem prohibuerit, inquiramus nunc oportet.

Quibus ante uteri osculum interius membrana quaedam praeter naturam, obtenditur, mulieres apud veteres ***atretae*** (aTpTQTat), ***imperforatae*** aut ***velatae*** audiunt ***{Zacchias quaest, Medico-Leg. L. III, Tit. I, R. 7, n. 24).*** De his plura plures scripserunt; pauca hic scitu necessaria transcribam. - Sciendum itaque non unius generis, nec eiusdem semper impedimenti esse huiusmodi occlusionem, quatenus nempe membrana ista ex parte erit perforata aut non; tenuis, aut crassa et carnosa; posita interius versus uteri osculum, aut in medio vaginae aut prope eius externum. Circa quas differentias haec notanda sunt.

Mulieres velatas passim concipere Hippocrates iam animadvertebam cuius ratio cum Zacchia ***(I. c.)*** ex eo est repetenda, quod apud istas « angustius quoddam foramen in panniculi medio apparet ingressum semini virili praebens ». Non secus moderniores : « La cloison obturatrice est tantôt incomplète et tantôt complète. La distinction, on le com-

prend, est de la plus haute importance sous le rapport de la sterilite » (C. Roubaud).

Si innaturalis membrana de qua agimus, tenuis inveniatur, levi impulsu vel etiam sponte rumpitur: si e contra sit crassior, incidi iam a modernioribus chirurgicis absque periculo potest: « Si la cloison est constituée par une membrane dure, épaisse, calleuse, il faut faire l'extirpation •entière, ***opération qui, grâce au speculum, rioffre aucune difficulté >. (Ibid.)***

Cum in extrema interiori parte panniculus obtenditur, vagina integra a viro, quin ad ullam chirurgicam operationem deveniatur, penetrari potest. Cum in media semita obtura tio existit, in duas partes femineum vas divisum habetur : « C'est une véritable cloison qui coupe le vagin en deux : une [partie supérieure et une partie inférieure » ***(ibid.).*** Quo in casu, nisi velum scindatur, sola anterior pars vasis virum eiusque semen accipere nata est. Ubi autem externum eiusdem os obturatum est omnis penetratio panniculi scissionem expostulat, ita ut, donec ista fiat, vir incumbens non in vas debitum seu vaginam, sed intra vulvam seu extra vas semen eiaculet.

Hisce ab extraneis h. e. a physiologis atque chirurgis acceptis, iam ad ea intendamus, quae circa submissam materiam nostri theologi atque sacrorum Canonum interpretes communiter docent.

Imprimis apud omnes constat, quae inter matrimonium dirimentia impedimenta iure recensentur, solam esse perpetuam atque antecedentem ***impotentiam ad matrimonium consummandum.*** Quare si scire velimus, quibus impotentiae notio definiatur, quid consummationis ratio necessario importet, inquirendum foret. Pro themate autem praesenti unum hoc recolere iuvat : nimirum consummatum apud omnes semper habitum esse coniugium a quo vir in carnali concubitu vulvam' pertranseundo atque, in quantum opus fuerit, frangendo sigillum virginitatis, uxoris vas debitum penetraverit, necnon in illud suum effuderit semen. Inau-

ditum utique est ab Ecclesia tale matrimonium post huiusmodi copulam tanquam simpliciter ratum unquam fuisse declaratum.

Iam vero ex supra dictis mulieres, quae prope uterum seu in altiori vaginae parte velatae inveniuntur, ex hoc capite a recipiendo virili membro ac semine non prohibentur, neque idcirco ad matrimonium suum consummandum erunt impotentes.

Neque secus de iis mulieribus decernendum est, quae infra duo extrema vaginam habent pannicula clausam, cuius partem anteriorem vir penetrare queat, atque in eam **semen** emittere. In huiusmodi utique casu, id obtinet quod ad consummationem matrimonium essentialiter requiritur, imo, cum forsitan infperforatum velamen istud non sit, ex tali copula prolem concipere mulier poterit. Quod autem penetratio tunc non fiat totius virilis membri, hoc per accidens contingere censendum est. Sane variis de causis coniugalis actus passim incompleta huiusmodi penetratione necessario perficitur, v. g. cum ex luxuriante alterutrius aut utriusque coniugis abdomine difficilior succedit concubitus, aut si vir invenitur nimis mentulatus etc., neque tamen unquam, in tali casu, aliquis de nullitate matrimonii cogitavit.

In themate autem, si conferantur quae ex peritorum attestationibus transcripsimus, nihil sane dubii superest, quominus huic similis dicendus sit coniugum casus de quibus nunc causam movemus. Quare neque in altero hoc vitio quo Helena K.... laborat rationem dirimentis matrimonium impedimenti inesse autumo.

Verum hisce aliquatenus contradixisse reus videtur, dum coram iudice deposuit « che la vagina era come se non ci fosse », ita ut semen in eam effundere non potuisset ; quam tamen depositionem magni faciendam non esse suadent tum suspecta eiusdem honestas et veraci tas, tum actricis contraria attestatio, tum maxime iuratae peritorum, et praecipue D. Fritsch Bonniensis declarationes, penem posse per

vigesimam saltem metri extensionem in vaginam, facili ductu, immitti atque in eamdem semen effundi.

Sed neque, si per transennam rei assertis stare velimus, aliquid matrimonii firmitatem efficaciter impugnans proditur. Et revera impotentiae perfectam habendi copulam causa et radix in pellicula ista seu membrana praeternaturali reponenda semper foret, quae in vagina obtenditur. Iam vero doctrina communis est theologorum huiusmodi in casu, maxime, cum non de naturali clausura hymenea agatur, a viro regulariter frangenda, mulierem teneri etiam « cum molestia et gravi dolore » Sánchez, ***L. VII, disp. 93, n. 32,*** incisionem pati, dummodo haec non « cum periculo neque mortis, neque gravis morbi», S. Alph. de Lig. ***n. 1100*** fieri debeat. Tale autem periculum universim longe abesse docent medici, necnon in themate, secluso omni periculo, institui incisionem potuisse chirurgus Fritsch aperte fassus est, licet ipse ob defectum ovariorum et uteri seu ob impotentiam ad generationem, velamen istud incidere, recusaverit, ex quo tamen nihil in matrimonii detrimentum sequitur. Teste enim Sanchezio ***I. c. n. 15,*** « si iudicio medicorum impedimentum impotentiae (ad copulam) medicabile sit absque corporali periculo, quamvis femina renuat incisionem, firmum est matrimonium » cuius ratio'iuxta eumdem est quia « eius firmitas ac valor minime ex feminae (aut chirurgi) voluntate pendeat, sed ex ipsa rei natura, iuxta quam impedimentum illud temporale est, utpote quod potest per artem absque corporis periculo tolli ».

Omnibus itaque et singulis quae hucusque ventilavimus mature perpensis, ad dubium : ***Utrum constet de nullitate, ob uxoris impotentiam, matrimonii de quo quaeritur,*** respondendum esse puto : ***Negative.***

VOTUM CANONISTAE. Duplex ait Consultor agitanda et solvenda est quaestio, ***facti*** nempe et ***iuris.*** Facti an reapse existat' defectus uteri et imperfectio vaginae ; iuris an haec duo simul sumpta vel seorsim impotentiae impedimentum pariant.

1. ***Quaestio facti*** an existat defectus uteri.

2. Et ***iuris*** an impedimentum dirimens inde oriatur.

Resp. ad I. Quod defectus quicumque sit iam antecedenter ad matr. existeret ***d)*** indicium vehemens est subita sponsalium obtruncatio, et post auditos peritos timor ex parte sponsae marito non satisfaciendi. Indicium ***b)*** quoque vehementissimum est carentia omnimoda purgationis menstruae ut uno ore sub iuramento testantur periti, ***c)*** Praeterea ipsa fatetur Helena prout accepit a Doctoribus post inspectionem et operationem, ipse fatetur D. Fritsch qui chirurgicum periculum fecit. Sed in re evidenti a quinque peritis examinata unum eumdemque defectum iureiurando asserentibus; amplius immorari non licet; et hinc iure merito coniuges testimonio septimae manus renuntiarunt.

Neque heic decantatur, uti facit vetus aliquis scriptor vel quidam canonista et moralista etiam recentior, quod difficillimum sit posse certo constare de absentia uteri.

Quaestio autem iuris est utrum femina utero carens habenda sit ut iam impotens. Nam ***a)*** ex chirurgicae artis professorum testimonio, uteri privatio in femina comparari potest cum eunuchorum statu, qui testiculis laborant : sed hi ex Sixti V declaratione cum frequenter ceu impotentes habendi sunt: ergo. ***b)*** Nec deest auctoritas Canonistarum ac Theologorum tam veterum, quam modernorum, uti Card. Tarquini ***in Salernitana matrim. 9. Aug. 1862 n. 11. infir.*** Lehmkuhl, qui primis edit. suae Theol, moralis habet pro absoluta impotentia non solum totalem vaginae occlusionem, quae impediat quominus semen possit recipi : sed eam, quae illud permeare non sinat, tum carentiam utriusque ovarii et carentiam uteri. Van de Bürgt ***de matrim, edit. 2*** ait ***n. 2021. Inter defectus pìiysicos, qui a /parte mulieris requisitum impediunt actum, alii sunt perpetui v. g. absentia uteri, vaginae...,*** atque ita plures alii ita ut communis hucusque habeatur nostra responsio, ***c)*** Adest peritorum etiam modernorum suffragium ut P. Debreyne ***Moechialogie 2 p. ch. 1.*** Sed recentiorum duorum sufficit allegasse

verba; quorum alter, Le Grand du Saulle et socii *Traite de Médecine legale edit. Paris. an. 1886 pag. 108.*

Neque dicatur, quod hi periti non distinguant impotentiam generandi ab impotentia coeundi: et quod sine utero possit haberi potentia coeundi, quod ad valorem matrimonii sufficit. Nam resp. *a)* quod ii bene distinguunt meram impotentiam generandi seu sterilitatem ab impotentia coeundi, quam et veteres periti ac canonistae sicut et plures recentiores distinguunt. Huius mei asserti iudicium et testimonium proferam vel unius perillustris viri qui est Iosephus Lapponi Dr. in arte Medico-chirurgica peritissimus. Hic in causa *Albinganen. nullitatis matrimonii 7 Sept. 1895* ait : « L'impotenza *impotentia* è l'inettitudine fìsica all'accoppiamento fisiologico regolare ed efficace ; la sterilità *infoecunditas* è l'inettitudine alla fecondazione_____Nel diritto romano l'impotenza per l'uomo si riponeva nella incapacità di *agere, quae* per naturam viris *concessa sunt (Nov. C. VI, 22, v. c. X, 117).* Applicando colle necessarie modificazioni questo concetto esattissimo alla donna noi dovremo dire *impotente la femmina quando essa rispetto alle funzioni riproduttive è incapace* di *agere quae a natura feminis data sunt.* Ma alla donna datum est di subire il coito, ossia quell'insieme di atti meccanici dell'accoppiamento sessuale per cui il maschio e la femmina possono far giungere l'elemento *fecondante* o *sperma* in contatto più o meno immediato dell'elemento muliebre da fecondare, l'ovulo ; che una volta fecondato deve poi svilupparsi nelr utero o nelle sue adiacenze. *Perchè adunque si abbia il coito nel senso fisiologico e secondo natura non basta che vi sia penetrazione della, verga come comunemente suol dirsi e ripetersi;* occorre altresì *una penetrazione accompagnata da tali aggiunti, che V umore prolifico maschile, esistendo, possa pervenire nella cavità interna dell' tetero,* e in taluni casi anche più profondamente, cosicché in questo o al più nelle sue vicinanze *possa* aver luogo, nel corso della gravidanza, lo sviluppo dell'esser novello. Ciò posto

una donna dovrà dirsi ***colpita da impotenza genitale, ogni qualvolta non presenta in se le condizioni organiche richieste al compimento di queir insieme di atti meccanici, onde risulta il coito,*** od accoppiamento sessuale fisiologico ». Et postquam talem impotentiae notionem applicavit casui, qui simillimus nostro est, ubi scil. deficit uterus et dimidiata vagina reperitur, sic pergit: « Il concetto che noi diamo della ***impotenza genitale femminile è oggi ammesso da tutti i più dotti ed i più stimabili medici giuristi moderni, i qtcali tutti molto nettamente la distinguono dalla sterilità*** ». Deinde egregius peritus plurium recentiorum Doctorum auctoritatem et verba refert, ***b)*** Insuper plures Periti ut adsignificent etiam impotentiam coeundi (seu exercendi coitum, qualem exigit natura) dicunt absolutam impotentiam vel impossibilitatem conceptionis, et huiusmodi. Ita e. g. 1. cit. Capelmann prosequitur: «Potest hic quidem (in defectu tantum uteri) copula perfecte fieri, quamvis ***de absoluta impossibilitate*** conceptionis constet. Etiam eunuchus aliquoties copulam perficere potest cum completa utriusque partis voluptate venerea. Qua in copula nullum semen eiaculatur (sed solummodo pituita prostatae etc.) unde haec copula ***natura sua*** ad generandum inepta est. In defectu uteri copula quidem ex parte viri, ***minime tamen ex parte mulieris natura sua ad generationem apta est*** ». Ubi per **TO** ***natura sua, vel absoluta impossibilitate*** omnino distinguitur impotentia simpliciter ab ea, quae sterilitas est, quaeque habetur per accidens, ut in senibus, in iuvenibus nondum maturis coniugali copulae ; in mulieribus quae per accidens non possunt retinere semen... Porro haec impossibilitas absoluta, quae natura sua impedit generationem non dissonai ab impotentia coitus prout hucusque Canonistae ac Theologi hanc intellexerunt. Instar omnium sit S. Ligorius Doctor Ecclesiae, qui Theol. mor. n. 1095 definit impotentiam propter quam coniuges non possunt copulam habere ***per se*** aptam ad generationem. Iamvero mulier utero carens nequit habere copulam per se aptam ad gene-

rationem. Idem Van de Burgt 1. c. n. 200. « Est enim impedimentum impotentiae ***incapacitas perpetua et antecedens coeundi*** seu perficiendi copulam ***de se aptam ad generationem*** ». Ita fere omnes canonistae, qui cum dant definitionem impotentiae semper loquuntur ***de idoneitate copulae per se*** ad generationem. Unde per aptitudinem supponitur totus, uti vocant, apparatus qualis a natura exigitur, etsi ille per accidens et saltem ad tempus perturbari valeat: at si desit uterus, deficit prorsus [apparatus in substantialibus, ita ut inde ***per se*** impossibile sit sequi generationem.

Dixi ita fere omnes canonistae intelligunt potentiam vel impotentiam habendi ***copulam,*** quod agnovit et ipse Rmus P. Eschbach ***Disput. physiolo g. theol. cap. 8, art. 1, p. 107.*** « Tertia sententia solam ***copulam per se seu natura sua foecundam,*** minime vero alios latentes defectus respicit, quibus generatio saepe impeditur. ***Et hoc potius sensu sacri canones auctoresque ecclesiastici impotentiam intelligunt »***. Qua in re animadvertendum est ***quoad alios latentes defectus,*** quod nunc carentia uteri non est amplius latens defectus, cum hic progressu chirurgiae omnino ob oculos poni potest, ut in casu nostro: porro sicut carentia utriusque testiculi in eunucho ob oculos Sixti V. et canonistarum fuit causa antecedens et perpetua impotentiae habendi talem copulam, ita et carentia uteri patens in femina per chirurgicam sectionem: non minus enim uterus in femina, quam testiculi in viro ad generationem sunt necessarii.

Imo, evincitur idem, si definitio sumatur iuxta c. ***5. de Frigid, et Malefic.*** ita ut dicatur impotentia coeundi esse inhabilitas ad copulam, qua ***vir et mulier fiant una caro.*** Tunc enim plures communiter DD. subdunt, ***sed una caro fiunt cum semen offendit in ovulum,*** quod saltem in utero fieri debet ; ergo si desit uterus non potest fieri una caro ***Cfr. Boiler. Palmieri Opus theol. mor. not. (a) ad n. 1270:*** qui ibid. ait : « Iam alibi monuimus veteres quidem in eo recte sensisse, quod ad generationem postulaverint mixtionem seminis virilis cum aliquo elemento suppeditato a fe-

mina : in eo autem errasse quod pütaverint elementum hoc femineum esse semen: ***est enim ovum ».***

Communiter enim traditur potentiam coeundi adesse si copula ***perfici*** queat in vagina, ita ut cum absorbetur semen tunc fiant una caro. ***Palmieri ad Baller. opus Theol. I. c. notat etiam*** « Ordinarie tamen copula requiritur: copula autem secundum essentiam, perfecta censetur cum est idonea foecundationi_____ad id vero requiritur ut semen effundatur_____si autem satis est ad foecundationem quod semen ad os vaginae a viro effusum absorbeatur a matrice ; ***quando absorptio habuerit locum, copula perfecta censebitur atque vir et mulier dicentur effecti una caro*** ». Recte quidem : at quaenam absorptio fieri potest a matrice seu ab utero si hic desit : matrix enim, a qua semen absorbeatur, est uterus. Vid. F acciaiati et medicorum léxica ***v. matrix.*** Sed plura adhuc habemus in casu nostro: praesertim quod in vagina scil. neque inchoari talis absorptio potest, cum vagina si non ex integro saltem ex parte desit ita ut in ea neque perfici copula, qua vir et uxor fiant una caro, neque retineri semen potest : quod ostendere opus erit secundae quaestionis seu partis.

Obiic. contra hucusque dicta est responsum S. Officii ad dubium : « Num mulier N. N. cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaría et uterus, admitti possit ad matrimonium, contrahendum. Et re mature perpensa Emi Cardinales Inquisitores decreverunt matrimonium non esse impediendum 30 Iul. 1890 ».

Resp. ***a)*** Tale responsum ita explicari potest ut non sit contra nos : factum est enim ad casum concretum, cuius omnia et singula adiuncta nos nescimus,: porro in moralibus vel una circumstantia speciem facti mutare potest. Insuper refertur accidere posse ut ab ipsis medicis putetur quidem utrumque ovarium esse excisum, atque uterum penitus deesse, at nihilominus aliquod illius vestigium, aliquod huius elementum restet quod sufficiat ad prolem con-

cipiendam : sed in nostro casu nullus uterus, nullum huius elementum sufficiens.

Resp. *b)* Sub hac suspicione alicuius vestigii potuit iure meritoque dari dictum responsum praesertim si contraria nostrae sententiae saltem extrinsece probabilis ***a quibusdam reputetur*** ex suffragio unius vel alterius moderni auctoris. In suppositione enim probabilis sententiae de non existente impedimento impotentiae ius naturale ad matrimonium possidet : seu in dubio sive iuris sive facti ut habet D'Annibale ***(Summ. Theol. mor. v. 3. n. 317):*** « Quid si dubia sint? (imped. dirimentia...) Et si ***iuris*** dubium vertat, quia legis dubiae nulla vis est, convenit matrimonium contrahi posse et licite et valide. Sin ***facti*** non convenit : sententia communior negat... minus communis affirmat, quia possidet ius matrimonium contrahere volentium.... Dicam plane quod sentio. Quaestio haec in his tantum impedimentis refert, quae divini iuris sunt____idest in impedimento ligaminis, cognationis et'impotentiae. ***In primo*** i. e. in dubio de ligaminis impedimento, prior sententia verissima est... ***In tertio*** f sc. in dubio de impotentia) matrimonium inire divortiis obnoxium, et matrimonio aliquem omnino prohibere, utrumque publice perniciosum est; sed hoc posterius longe perniciosius, tum per se, tum quia divortiorum pericula tenuantur ubi proles exulat; ideo secundam sententiam sequor ». Iamvero hic Emus D'Annibale ***tempore responsi*** pertinebat ad S. O. S. Off. Porro in praesenti themate plusquam per tres annos tentamen coitus (quod manifestat vitium insanabile, ut infra a peritis audiemus) explodit omnem vel speciem probabilitatis contrariae sententiae.

Resp. ***c)*** Ceterum nemo non novit quod Cardinales, quibus constant SS. CC. Romanae, in suis decisionibus et responsis partes iudicum agunt et non legislatorum: quod si partes legislatorum agerent, deberent ostendere se praeditos esse hac speciali concessione a Rom. Pontifice pro condenda lege hac vel illa universali, seque per tale responsum vel decretum ferendi legem universalem habere intentionem,

eamque hisce in adiunctis promulgare : quae cum non manifestent in suis decisionibus, sequitur quod ligant solas partes recurrentes: idque magis, si solum ac merum responsum sit ad peculiare dubium alicuius episcopi. Ad rem D'Annib. 1. c. v. 1, n. 182, not. 5, ubi postquam dixit quod « authenticae sunt omnes interpretationes prodeuntes a S. R. C. in forma decreti et cum clausula ut serventur »; sic pergit: « Non item quae ab aliis SS. CC. prodeunt; adeoque non habent vim legis nisi R. P. iussu ***publicatae*** (et non tantum editae) ***solemniter fuerint,*** nec tollunt probabilitatem sententiae contrariae ; nec eis proinde necessario standum est ». Hinc est quod ipsae eaedem SS. CC. in simili vel fere identico casu contrarium priori responsum dederunt. Hinc est quod scriptores Catholici contrarium tenere potuerint. Et ad .^nostram quaestionem quod spectat, contrarium tenent non modo plurimi periti, catholici perillustres, sed etiam scholae catholicae sub oculis veluti positae ipsarum SS. CC. Instar omnium sit Pontificia Academia historico-iuridica, nunc ad S. Apollinaris sedem habens, R. P. auctoritate et expensis erecta atque directa, in qua medicus ipse Leonis XIII Doctor Lapponi contrarium prorsus responso S. Officii a pluribus annis publice tradit. Porro haec schola illa est, cui immediate praesidet S. C. studiorum Cardin. Praefectus, quaeque, veluti sub ipsius R. Pontificis (nominantis professores, vel confirmantis eorumdem designationem) vigilantia, constituta reperitur.

Quod una uteri absentia constituat impotentiam antecedentem et perpetuam non modo opinio est, sed certa sententia ei, qui Canonistarum et physiologorum non modo veterum, sed et recensiorum classicos libros suetus est nocturna versare manu versare diurna. Ad abundantiam, rem contuli cum perillustri D. Medico-chirurgo Iosepho Lapponi, cuius voto alias S. C. C. adhaesit, quique absque ullo dubio uti ***certam sententiam*** quod unius uteri defectus, seu carentia congenitam ac perpetuam impotentiam pariat, prorsus tenendam esse censet.

Tandem praxis est S. C. O. : plura possem exempla in medium proferre, sed sufficit declaratio nullitatis a V. S. O. prolata *in causa Albinganen. 7 Sept. 1895,* in qua eadem est species facti, mutatis tantum coniugum nominibus, ita ut Annae Gaggero et Francisci Amandola Albinganen. loco substituatur Helena H. . . . . et Antonius K. . . . monasterien : uno facto discrimine, quod de uteri deficientia certitudo maior est pro nostro themate tum propter maiorem numerum Doctorum, tum propter accuratius periculum quod periti nostri fecerunt. - Sed ad 2. impotentiae causam i. e. ad imperfectionem vaginae deveniamus.

Ast nobis praenotandum est, quod si quis nimium premere velit alicuius Theologi vel physiologi moderni theorias fere numquam habebit impotentiam ex parte mulieris. Si enim ex his modernis sufficit ut sperma adfundatur extimo vaginae ori, ex alia parte ratio non habeatur absentiae uteri neque vaginae imperfectionis et insufficentiae ad coitum perfectum de se aptum ad generationem : quaero quandonam ex parte mulieris daretur impotentia? Veteres quidem et plurimi moderni ad altitudinem fere omnem mulieris redigebant impotentiam, quae sine peccato, aut miraculo vinci nequeat : illam viripotentem habebant, quae vaginam proportionatam exhiberet ad copulam perfectam habendam. Quod profecto non dicet quidam physiologus ac canonista modernus, qui (nulla ratione habita uteri aut vaginae defectus) sufficere censet sperma ad os vulvae admovere; quia eo ipso illud sperma attrahi atque absorberi potest, unde, quin aliud rimetur, posse sequi deducit generationem : ergo non est admittenda impotentia. At maiores nostri et communis Canonistarum et TTh. usque ad nos ex communiter contingentibus rem diiudicabant, non ex aliquo rarissimo casu (quo non fuit necesse ut Organon virile perrumperet intus vaginam muliebrem) : porro ex communiter contingentibus exigebant in muliere talem vaginae conformationem, ut in ea non aliqualis immissio penis sufficiat, sed ut exerceri queat perfecta copula de se apta ad gene-

rationem: secus, si iuxta aliquem modernum sufficeret vel perangustum orificium, quin ratio habeatur internae aptitudinis et brevitatis vaginae, fere omnes everterentur declarationes nullitatis S. C C . datae ob mulieris altitudinem et impetrationem. — Porro ita arcta et imperforata est Helena ad habendam copulam perfectam de se aptam ad generationem, ut insufficiens prorsus sit vagina, nulla sit ea vi tas, ut ait Dr. Fritsch, quae communicet cum utero, nullus uterus per quem ad ovaria deveniatur.

Sed quaeritur : ***est ne adeo anormalis vagina Helenae at haec viripotens dici nequeat?***

Resp. ***Affirmative:*** Heic quoque sedulo distinguatur quaestio facti an existat anormalis vagina, a quaestione iuris, an ea sit anormalitas quae impotentiam iure pariat. Et ad utramque quaestionem responsio est affirmativa.

In primisque duplex difficultas diluenda est, altera ex modo loquendi D.ris Fritsch, altera ex iurata confessione sponsae. D.r Fritsch ait, quidem laborare Helenam gestandi potentia et non addit etiam coeundi quae sola dirimit matrimonium. Resp. ***a)*** Praeter quam quod suspectum haberi debeat testimonium D.ris Fritsch luterani viri, noto quod etsi huius contrarium omnino esset testimonio ceterorum ; tamen remanent quatuor periti et duae obstetrices quae in nostram iurant conclusionem atque ad rem evincendam satis superque essent. Ast ***b)*** D.r Fritsch eamdem, quam ceteri, conclusionem propugnat sc. quod nullum declarandum sit matrimonium, et quod Helena sua libertate coniugem donare debeat : licet falso nitatur fundamento sic expresso in suis ad Helenam Uteris « quando è constatato che una donna non può aver figli, allora secondo il diritto canonico, il matrimonio viene considerato quale noiv consumato... Basta il difetto dell'utero per una total impotenza gestandi. Vi è dunque una valida ragione per dichiarare nullo il matrimonio » quae ignorantiam iuris nostri manifestant. Unde D.r Fritsch persuasus hac de re, totus est in probanda impotentia gestandi, c) Attamen in referendis

factis, quae per chirurgicam operationem percepit, duo iurat, quae veram impotentiam exhibent scil. defectum uteri et obliterationem vaginae, quae copulam perfectam et de se aptam ad generationem prorsus excludunt. Et in § 46 ad 1. interrog. iureiurando respondet ***affirmative « la vagina della coniuge K. . . . non è che un piccolo sacco chiuso dall'altro lato, profondo 5 centimetri».*** Idem ad 2. reponit « ***la formazione della vagina esclude che possa ritenere il seme virile».*** Hinc D.r Fritsch si verbotenus a ceteris differre videatur, re tamen et fine cum illis concordat.

Alia difficultas ex parte mulieris petitur, utpote quae sibi et marito suo contradicat. Nam petit ipsamet declarationem nullitatis ob ***suam impotentiam*** (ut ei suasit et D.r Fritsch Uteris cit.) ; et in interrog. respondet se matrimonium consummasse, et actum coniugalem absque difficultate exercuisse, cui rei directe contrarium maritus iuratus asseruit. Resp. ***a)*** Credendum est viro magis quam mulieri, quae non videtur bene assequi quid sit perficere copulam, quid consummare matrimonium, ***b)*** Ceterum semper mulier asseruit membrum virile partim dumtaxat introduci, nec semen eiaculatum retineri potuisse, Unde absorptio seminis, quo fierent una caro, haberi non potuit, c) Quod si ipsa saepius decantet maritum suum numquam fuisse questum ; sed imperfecta illa qualicumque copula se ostendisse contentum, id mirum non est ob amorem, quo in uxorem afficitur iam a sponsalibus, adeo ut in muliere causante infirmitatem ante nuptias, neglexerit ipse per honestas matronas aut peritos rem investigare : deinde mirum id non est in eo, qui cum alia se commiscebat femina. Addatur et illud, quod post nuptias reapse conquestus sit, se non posse cum sua uxore sobolem procreare : qua locutione saepe saepius se perfectam copulam ad» generationem aptam habere non posse intelligunt.

Porro anormalem esse vaginam, in qua copula perfici nequeat, ipsi coniuges non negant. ***Il mio membro,*** ait

sponsus interrog. ex offic, ***non poteva quasi introdursi perchè la vagina era come se non ci fosse.*** - Et ad interrog. ***« Poteva il seme versarsi nella vagina?*** respondit: ***negative*** perchè questa sembrava che non esistesse ». Mulier et ipsa magis explicat defectum. « Dopo l'operazione è successo in me un cambiamento il quale ha reso più difficile il compimento dell'atto... Poteva introdursi il membro virile soltanto per una piccola parte.,. » Quod si heic et alibi, cum respondet mulier, quidpiam offendatur prima fronte haud cohaerens, id parvi momenti est; et diluitur quaelibet oppositio ex octo Doctorum seu peritorum testimonio, qui eam inspexerunt, ex depositione praesertim iurata, quam post inspectionem et operationem fecerunt D.r Grassefeld et D.r Gördes catholici, D.r Fritsch luteranae sectae addictus, duae obstetrices, et duo alii periti scilicet D.r Schödling et D.r Wortmann, catholici et ipsi idem evidens factum asserentes, quod anormalis sit vagina insufficiens ad coitum perficiendum. Nam D.r Grassefeld ait: « Vi mancava una vagina di formazione normale. Invece sua vi era una via cieca talmente corta che appena riusciva introdurvi il primo articolo dell' indice della mano destra. ***V' era dunque impossibile « immissio penis » quale è richiesto dal coitus.*** Ad 6. dall' esame non risultava che avea avuto luogo il coitus. Et ad interrog. ex officio è il difetto curabile ? resp. negative. - E questa impotenza assoluta da render impossibile il coitus con qualsiasi uomo ? ait affirmative. - Poteva il marito trovare soddisfazione carnale con questa donna? subiungit negative ».

Non minus perspicue loquitur D.r Gördes, qui ex oculari inspectione refert ad 5m. « Vi era soltanto un'apertura di 5 centim. di profondità - una via cieca - ***che non si poteva chiamare vagina normale*** ». Et ad 6m. « La formazione della vagina specialmente a cagione della poca profondità era così difettosa che anche 1' immissio penis dovea necessariamente esser imperfetto.... tum addit che ***Vimene non ha esistito mai*** - che ***tal difetto ha preceduto il ma-***

trimonìo - che ***è incurabile*** - che ***la copula non potrà farsi*** (con qualsiasi uomo) ***che in un modo imperfetto ».***

Et D.r Fritsch quoad substantiam idem asserit quod -alii periti, quamvis dicat vaginam esse spatiosam, et copulam non esse impossibilem : ubi spatiosa intelligi debet in suo orificio, non vero in sua profunditate; et si qua ab eo possibilitas coeundi asseratur, ea alia intelligi nequit quam imperfectissima, sicut a ceteris peritis audivimus.

Hanc anormalem vaginam asserunt duae obstetrices et duo alii periti D.r Schoelling et Wortmann. Brevitatis gratia omissis verbis duarum obstetricum D.r Schoelling ad § 66. « A giudicare, inquit, secondo l'esame fatto da due levatrici.... circa 1'impotentia coeundi delia coniuge Elena io ritengo che la coniuge medesima possiede una vagina molto imperfetta, della forma di un sacco chiuso, lungo uno o 1 lp2 pollici... Considerando questi fatti constatati dalle levatrici ritengo che vi è nella coniuge Elena un impedimentum coeundi, ***causa la anormale vagina e che non è possibile un concubilo naturale e normale con essa*** ». Gemina sunt «quae deponit D.r Hartmann § 66 : « Secondo l'unanime giudizio delle due levatrici la coniuge Elena ha invece Iella vagina un sacco chiuso, profondo circa mezzo dito. ***Un siffatto sacco chiuso è corto*** (la vagina dovrebbe avere la lunghezza normale di 14-18 cent.) ***non può ricevere il membro virile. .Non è possibile dunque il perfetto compimento del coito colla coniuge Elena. Il mio parere è per conseguenza questo:*** che si deve supporre impotentia coeundi nella coniuge medesima ».

Quae cum ita sint iam facile se prodit quaestionis iuris solutio « an cum tali vitiata vagina mulier sit viripotens? »

Resp. ***Negative*** tum propter horum peritorum auctoritatem, quae hac de re maximi facienda est; tum propter Theologorum et Canonistarum, praesertim veterum, doctrinam. Nam doctrina Canonistarum communis est, quod ad potentiam coeundi non sufficit aliquo modo perrumpere vas femineum, at immittere quadam tenus semen, nec sufficit

imperfecta quaedam copula non pertingens ad hoc ut vir et mulier fiant inter se una caro : sed requiritur ea copula perfecta, quae de se seu ex natura sua sit apta ad generationem. Instar omnium sit Schmalzgrueber, qui ***in 4it. de-Frigid, et Male f. n. 32*** docens eunuchos non posse valide contrahere ait: « ***Ratio est quia non possunt emittere verum semen, licet forte vas naturale mulieris possint perrumpere: consequenter habent impotentiam absolutam coeundi. Accedit quia isti nec fini secundario matrimonii, qui est remedium concupiscentiae possunt satisfacere:*** nam istud haberi debet non per quamcumque copulam, sed per eam, quae ex' natura sua sit apta ad generationem prolis ». Ast copula, quae haberi potest imperfectissime ab Antonio K . . . . . in vagina anormali uxoris suae Helenae ***ex natura sua*** non est apta ad generationem prolis. Pro sua doctrina citat Schmalz, plurimos AA., praesertim Pirhing, Engl, Lay man, Sánchez.

Nec deest auctoritas modernorum chirurgorum et Canonistarum. Chirurgorum: ut iam cit. ***Ioseph. B.r Lapponi*** qui in Albinganen. 7. Sept. 95 in casu Annae Gaggero, qui geminus est nostro, ait : « ***Nella Gag gem esiste bensì un canale vaginale che dal D.r Luigi Fontana, di Finalmarina, dopo quattro anni circa di validissimi ripetuti, ma sempre invano, tentativi di coito, si trovò della profondità di quattro centimetri circa, e che mediante un atto operatorio cruento si portò [alla profondità di quasi sei centimetri, come depone il D.r Moraglia che più tardi ebbe ad esaminare la donna. E in questo canale la verga del maschio può penetrare ed effondere V umore seminale. Ma una penetrazione cosìfatta non è da ritenere come un vero accoppiamento sessuale, come una vera commixtio carnis; che si ha solo quando Vumore prolifico del maschio si unisce e si confonde con il materiale proligeno della femmina. Imperocehè quel canale non rappresenta più che una mezza vagina e terminando a fondo cieco e senza communicatum con V utero, ed essendo forse anche associato a di-***

/etto di questo viscere, non può assolutamente prestarsi, anzi fuori d'ogni dubbio pone un ostacolo insormontabile al grande atto della riproduzione. Così la penetrazione della verga maschile nelV interno di essa non costituisce che una larva di coito; la quale non può per nulla farsi l'equivalente di un vero accoppiamento sessuale ; ***come in genere non può farsi V equivalente di qualsiasi unione carnale contro natura benché eseguita tra maschio e femmina.*** Atque ita plures doctissimi auctores ab hoc peritissimo in arte citati. Canonistarum: Sufficit allegasse definitionem impotentiae quam tradit Santi ***Praelect. in Decretal, de Frigid, et Malef.*** « Impotentia est ***inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam:*** Copula autem perfecta ea est quae per effusionem virilis seminis in vas mulieris ***de se capax est generationem operandi.*** Dixi ***de se capax*** est : non enim requiritur ut de facto generationem operetur. Si quidem impotentia distinguitur a sterilitate. Sterilitas autem habetur, cum posita etiam copula carnali completa, tamen generatio non efficitur ». E modernis Theologis iam citatus est Van de Burgt qui ait : « Est impedimentum impotentiae ***incapacitas perpjetua et antecedens coeundi*** seu ***perficiendi copulam de se aptam ad generationem*** ». Porro in vagina Helenae copula imperfectissima, quadamtenus immittens semen, ***de se*** capax non est operandi generationem : quia vas illud mulieris est vitiatum ; non quale a natura -exigitur, sed tale ***ex quo per se*** generatio sequi non potest. Non sufficit ergo quod vir coeat quadamtenus et immittat semen verum, sed requiritur ***vas naturale*** unde generatio sequi possit. Ast in themate Antonius K.. . . . semper iureiurando asserere non desinit « ***il mio membro non poteva quasi introdursi.., non poteva versarsi il seme nella vagina., e v ha incontrate sempre le stesse difficoltà »*** cui ***de se*** insufficienti ineptae adserendae in tali vagina consonat uti vidimus tot tantorumque peritorum suffragium. Ergo sicut mulier cum uteri defectu antecedenti ad matrimonium et insanabili, ita et mulier cum tali vagina anormali seu na-

turaliter vitiata antecedenter ad matrimonium vitio incurabili, non habet potentiam coeundi, qualis a natura exigitur, neque valide contrahit.

Dixi ***uteri defectu insanabili, et vaginae vitio incurabili:*** nam plus quam tres supra nominati periti incurabile dicunt esse huiusmodi vitium. Quae incurabilitas intelligitur ex verbis praesertim Dni Fritsch : nam ad interrogatorium primum « Ha ella fatto un'operazione della vagina della coniuge Elena » et ad 2, respondet : « ***sarebbe stato pericoloso per la vita se si fosse tentato di aprire per mezzo df uri operazione incisiva una communicazione fra la vagina e Vutero?*** » respondet: « Questo tentativo sarebbe stato un errore dell' arte medica, un vero sproposito. ***La coniuge Elena non aveva un utero. Essa aveva nel luogo dove doveva essere V utero un piccolo corpo senza canale, senza cavità...*** Siccome mancava l'utero non era possibile creare con esso una comunicazione. ***In simili casi sono state- praticate delle operazioni per prolungare la vagina ed allo scopo di agevolare all'uomo la soddisfazione della libidine. La scienza medica non può avere il compito di prestarsi a questi fini».*** (Ergo neque talis poterat esse copula, qua mulier secundario fini matrimonii satisfaceret, qui est concupiscentiae sedatio : quum potius in tali vagina excitatur et non sedatur concupiscentia. Hinc mirum non est, si viri malo fato iuncti cum eiusmodi impotentibus feminis seu uxoribus, adhaerent feminis hou suis, uti fecit Antonius K......: ergo ne maneat in tali periculo statim, probata impotentia, matrimonii nullitas declaranda est). Ad tertium tandem : « ***Era la vagina formata come una borsa, chiusa in fondo, talmente chiusa da non permettere nemmeno Vinfiltramento del seme virile?»*** respondet affirmative: «il sacco termina solido, duro, impenetrabile senza traccia di apertura. Quanto è impossibile che il seme virile possa penetrare attraverso la pelle esterna, tanto era impossibile che passasse attraverso quella vagina chiusa ». Ad rem faciunt quae D.r Lapponi 1. c. de Gaggero affirmat : « Quanto

poi alla perpetuità dell'impotenza in questione, questa ci è attestata dalla natura stessa della lesione organica che dà l'impotenza genitale. ***Trattasi di un difetto congenito nello sviluppo, o, ammessa la peggiore delle ipotesi, di ima distruzione morbosa di due visceri, la vagina e T utero. Ea un difetto congenito di sviluppo, o a una compieta distruzione morbosa di visceri non si ripara in guisa da ripristinare le identiche parti naturali mancanti nè colla natura nè coir arte.*** Non colla natura, perchè nell'esistenza degli animali superiori non vi ha esempio di visceri, che, non formatisi nel periodo embrionale, o morbosamente distrutti più tardi, si formino in seguito, o si rinnovino nel corso ulteriore della vita specialmente negli adulti. Non coli'arte, perchè nessuno ignora che se questa può qualche volta ***compensare o nascondere*** i difetti di natura, non può mai ***creare*** nel corpo di un animale organi che natura negò ». Porro hisce in adiunctis quale remedium afferri tam imperfectae vaginae si nullum exhibere possunt dicti periti et quod natura negavit? Addatur et illud, quod. sacri canones prohibent quominus ullum remedium adhibeatur si adsit grave mortis periculum : et tunc matrimonium declarandum est nullum ob impotentiam : sed gravissimum periculum audivimus a peritis imminere Helenae ex incisione, vaginae dilatandae causa, ut libidini mariti satisfaceret. Ergo.

Dixi ***antecedenter ad matrimonium.*** Dictus defectus aut vitium, si congenitum est, antecedit profecto matrimonium. Sed ita est. Nam ipsa Helena et mater eius ante matrim, interrogarunt peritum et aliquod vitium agnitum fuit, quo ipsa saltem mater effici nequiret. In specie quale erat hoc vitium constat ex supra dictis inspectionibus et operationibus peritorum, qui et defectum uteri et vitium vaginae congenitum esse tacite vel expresse affirmant : expresse ut § 34, D.r Graffelder, et in § 37. D.r Gördes - Quod de Anna Gaggero, (quae in eodem prorsus defectu uteri et vaginae vitio reperiebatur, quo nostra Helena) asserebat Do-

ctor Lapponi, ad casum nostrum revoca principium : «basti osservare che le condizioni anatomiche costituenti la impotenza sessuale della Gaggero sono congenite ; datano cioè dalla vita fetale. Esse perciò sono di necessità anteriori al matrimonio ».

Ex dictis tandem patet impotentiam Helenae non modo invincibilem et incurabilem atque adeo perpetuam esse, sed et absolutam relate ad omnes mares : prout audivimus a peritis praesertim Graffelder et Gördes.

Porro impotentia talis i. e. antecedens, perpetua constituit impedimentum dirimens matrimonii, uti apud omnes in confesso est : ergo matrimonium initum inter Antonium K.... et Helenam H.... absque ulla dubitatione est nullum ex capite impotentiae.

Quod si quem aliqualis adhuc de opposito formido seu dubium incessit, et ipse sub ***hoc dubio imprudenti,*** ad maiorem securitatem, vellet procedere ad petendam dispensationem a matrimonio rato et non consummato ; is in dictis hucusque praesentis matrimonii inconsummationem certo reperiet : rationes enim supradictae pro impotentia ostendenda satis superque probant quoque matrimonium ratum esse et non consummatum quidquid in contrarium verbotenus asserat mulier se consummasse, debitum reddidisse.... quia talia destruere non possunt factum congenitum et permanens naturae : defectum nempe uteri vaginaeque vitium : quia ille et haec non sunt quales a natura exiguntur. Sub iuramento autem omnes affirmant periti, et ipsi coniuges, mulierem utero carere, et vaginae vitio laborare ita ut copulam perfectam habere nequeat : ergo non est admittenda consummatio. His consonat D.r Lapponi in cit. causae Albinganen : « Di fronte ad una impotenza di questa fatta è egli necessario ventilare la questione se nel caso in esame vi fu o no consummazione di matrimonio? - A me non pare : - pare anzi che si debba dire ***Y*** opposto ; poiché a tale questione si è già implicitamente soddisfatto con le considerazioni precedentemente sviluppate. Ma volendo pur

dir qualche cosa di speciale su questo punto possiamo osservare che nessun individuo può compiere una qualsiasi funzione animale quando manca degli organi necessari ad esercitarla». Porro Helenae desunt duo necessaria organa ad consummationem, prout deerant Annae Gaggero de qua laudatus Lapponi : « poiché possiede appena una mezza vagina terminante a fondo cieco senza nessuno sbocco ; ed è affatto priva di utero o almeno ha un utero inservibile. Dunque Anna Gaggero non potè e non potrà compiere le funzioni necessarie alla consumazione del matrimonio ». Et quoniam hic casus Annae Gaggero, ut ^pluries dixi, geminus est nostro : possumus ad Helenam et Antonium K..... applicare verba eiusdem doctoris: « supporre che nel caso in controversia, vi sia stata la sola posssibilità di una consumazione di matrimonio, per me equivale pensare che possa camminare co' suoi piedi chi nacque senza gli arti inferiori: che possa afferrare colle mani un oggetto chi è privo di questi organi: e che possa vedere in qualche modo la luce, o udire i suoni, o percepire gli odori, chi dalla nascita manca rispettivamente degli occhi, degli orecchi, del naso. Lo che vuol dire che equivale a supporre un fatto fisicamente assurdo, e perciò immeritevolissimo d'ogni discussione ».

Si quis autem iustas dispensationis causas posceret, hae praesto sunt: scil. 1. Bonum seu salus aeterna viri, qui, ut supra vidimus, per imperfectissimam copulam neque primario neque secundario fini potest satisfacere ; ita ut irritatio potius, quam satisfactio aut sedatio concupiscentiae dicenda sit eius copula. Hinc vidimus mirum non esse Antonium K..... ab aliquot annis consuetudinem carnalem habere cum muliere non sua. Unde 2 alia enîorescit causa videlicet zelotypia et animi aversio mulieris erga virum suum, et tandem 3. ipsa impotentia si vel tantum probabilis appareret.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. De matrimonio inter Helenam H........ et Antonium K......

die 19 Aprilis 1887 inito actum est in consiliis diei 18 Martii labentis anni; et ad inscriptum dubium consultissime Sacer Vester Consessus rescripsit : ***Dilata.*** Hodie vero controversia etiam atque etiam elucubrata, non dubito quin ad inscriptam rogationis formulam Responsum prodat: Negative,

Enimvero, nubeculae illae, quibus honestas coitus coniugalis, absque spe prolis habiti, et proin valor matrimonii offuscari, tentatum est, in leves prorsus auras abierunt post consultorum vota.

Roget quis, nonne eximius iste consultor canonista matrimonium in controversiam adductum irritum putat? eo quia vagina Helenae ***'non sit longior*** (inquit consultor) ***4 vel 5 cent. - longitudo normalis*** (ait ille) ***variât inter 14 et 18 cent. - et sit penitus occlusa in sua interiori eootremitate.***

Praeprimis adverto abnormitatem vaginae non eam esse quam putat consultor. Nam in probatis est vaginam Helenae haud breviorem esse 5 centimetr. ex relatione medicorum.

Normalis vero vaginae longitudo minime ***variât*** (ut adversus consultor didicit a medico Hartmann ***(vet. synops. pag. 14) inter 14 et 18 cent.,*** sed docet eximius salutaris artis peritus Topai : « Legendre dice che la vagina può avere da 5 centimetri e 2 millimetri a 9 centimetri e mezzo, e Richet parla di casi in cui la vagina è più lunga del normale e soggiunge : ***Se ne incontrano eli quelli*** (ciò che significa egualmente eccezione, non rarità) ***in cui il collo dell'utero non dista più di 4 o 5 centimetri dall'orificio della vulva*** ». Beaunis e Bouchard dicono avere centimetri 6 e mezzo la parte anteriore e 8 la posteriore. Tillaux assegna in media mezzo centimetro di più alla parte anteriore ».

Deinde si egregius consultor canonista veritatem assequitur, dum nullitatem matrimonii ex antedicta vaginae brevitate et occlusione in interiori parte deducit, veritati certo certius contradicit dum valorem defendit matrimonii,

« quia, sunt eius verba, ius canonicum, ut patet ex titulis II ***De desp. inipub.;*** XVI ***de consang. et affin.; X.V de frig. et malef.*** prout coeundo potentes agnoscit virum, qui seminare valeat intra vas mulieris, et mulierem quae non sit arcta viro, quin aliud exigat. Hinc, ut omnes norunt, decretalium interpretes non aliam in feminis coeundi impotentiam intelligunt praeter arctationem » Sánchez ***De matrim ¿ lib. 7, disp. 92, n. 1, 22, cum communi.*** Nemoprofecto dicet canonistam deceptum esse, dum modo dicta scripsit.

Sed quaeram an assertae brevitas vaginae et occlusio in interiori parte eae sint quae praeter generationem impediant ipsam concupiscentiae sedationem. Reponit contradictor : « Si vagina brevis quidem sed pervia sit, uterque matrimonii finis possibilis est: at non ita si, ut in casu nostro, sit valde brevis et occlusa; tunc enim deficit evidenter finis primarius ratione occlusionis, et simul secundarius ob ***insufficientem*** penetrationem ».

Praemitto vaginam in casu nostro haud esse valde brevem, ceu demonstravimus supra ***%%4 et 5*** et adiicio, quidquid sit de fine primario, nempe generatione, certum est, in casu nostro non deficere finem secundarium, sedationem scilicet concupiscentiae. Nam occlusio est in vaginae parte interiori, seu, ut ipse admittit : ***«vagina occlusa est in sua interiori*** extremitate ; pervia tamen est per totam suam longitudinem 5 centimetr. « Essendo stata possibile ***Yimmissio*** penis (concludit medicus Gördes) non vi è ***impotentia impossibilitas coeundi,*** bensì ***impotentia gestandi*** ». Quocirca iure optimo merito peritus Topai ***vaginae occlusionem,*** non urget, quia perspicuum est nullum sedationi concupiscentiae parari obstaculum « ***dal*** fondo cieco ***della vagina ».***

Sed vero iudicare num « ***vagina*** spaziosa abbastanza, ***lunghezza 5 centimetr_____senza apertura nel fondo »*** apta sit ad sedandam concupiscentiam, pertinet, nisi me ipse fallo, ad viros in scientia medica potius quam in SS. Canonibus peritos. Dimisso itaque eximio canonista audiamus peritissimum consultorem medicum.

Iam vero iste ait: «La signora Elena H.......... fu dimostrato, con testimonianza di tre medici e due levatrici, avere la vagina profonda non più. di cinque centimetri e perfettamente chiusa in fondo. Esplorata la Signora, anche in istato di anestesia, non si potè constatare la presenza dell'utero, al di là del fondo cieco della vagina ; mancanza dell' utero, che fu poi eventualmente confermata ***de visu*** neu' operazione che ebbe a subire. Dallo stato quindi della signora Elena H......., anche prima e senza la constatazione avutane nell' atto operativo, due fatti furono rilevati : la ***brevità della vagina*** e lo stato del fondo di essa cioè la mancanza dell' utero. Ora la prima anormalità, contrariamente a ciò che sembrerebbe a prima vista, non è elemento su cui deve basarsi la risoluzione del quesito, se vi fu o non consumazione di matrimonio ».

« Imperocché ***se il fondo della vagina fosse*** stato normale, o almeno anche non apparendo tale, ***non si fosse potuto dimostrare con certezza fisica un impedimento assoluto alla penetrazione delV umore prolifico negli organi proprii*** della generazione, penso che la copula doveva giudicarsi sufficiente, come disse il dottor Fritsch, che esaminò ed operò Elena K..., e quindi il matrimonio consumato ».

« Nell'opera di Maschka (già citata) si legge che Lissner vide un caso simile a questo, unica differenza la profondità della vagina anche minore, e, ciò non ostante, il coito era stato spesso esercitato. La donna era rimasta vedova a 35 anni, dopo 13 anni di tranquillo matrimonio. Del resto Legendre dice che la vagina può avere da 5 centimetri e ***2*** millimetri a 9 ***centimetri e mezzo,*** e Richet parla di casi in cui la vagina è più lunga del normale e soggiunge : « ***Se ne incontrano di quelli*** (ciò che significa egualmente eccezione, non rarità) ***in cui il collo dell'utero non dista più di 4 o 5 centimetri dall' orificio della vidva.*** - Beaunis e Bouchard dicono avere centimetri 6 e mezzo la parte anteriore e 8 la posteriore. Tillaux assegna in media mezzo centimetro di più alla parte anteriore. Può la vagina eccezio-

nalmente avere e può giungere col tempo a maggiore lunghezza, ma non può dirsi come il Bartolini « ***longitudo communiter est octo digitorum vel septem ».***

« Difatti nessun autore di medicina forense fìssa la profondità minima che deve avere la vagina, che anzi non si trova alcuna discussione sulla potenzialità al coito pel solo fatto della diminuzione di profondità di essa. Certamente nessuno ardirebbe far questione d'impotenza nell'uomo, quando, perchè assai pingue, o per brevità dell'asta, l'estremità di questa restasse nel coito piti o meno lontana ***dal fondo della vagina.***

« L'anomalia inoltre della poca profondità della vagina non è facile dire se e quanto potrebbe esser presa in considerazione sotto il rapporto del grado di soddisfazione sensuale che concedesse, ma per fermo deve essere tale da presentare le condizioni sufficienti alio svolgimento della copula regolare.

« Del resto, a proposito di questa seconda parte del lavoro con cui si completa F apprezzamento di così importante anomalia, è opportuno aggiungere che è ben diversa cosa considerare la condizione più favorevole da ogni lato, di quello che sia stabilire il ***minimum*** necessario all'accoppiamento soddisfacente ed efficace.

« Per il che dal lato della donna richiedesi che il pene possa penetrare al di là dell' ingresso della vagina, segnato dalla linea d'impianto dell'imene, quanto occorre perchè, solleticata la corona del glande, avvenga la polluzione, e si richiede che il seme maschile versato sia presumibile possa penetrare, anche in piccolissima parte, nell'utero. E questo può bene avvenire, sebbene sembri che lo sperma non sia stato ritenuto; difatti è più volte avvenuta gravidanza pel passaggio di qualche spermatozoo traverso il forame dell' imene, mentre questa era intatta. Queste sono evidentemente le due condizioni ***egualmente necessarie*** perchè possa aversi consumazione di matrimonio, ***nè meno*** si richiede perchè sono indispensabili, nè più perchè sufficienti ad ot-

tenere il fine precipuo di esso ed insieme sedationem concupiscentiae. Però non importa ulteriormente restare sullo generali sibbene bisogna esaminare la cosa in concreto.

« E stando al fatto in ispecie, sembrami si possa affermare che la brevità della vagina della signora Elena non potrebbe essere dimostrato costituire per sè causa assoluta d'impotenza al coito. In verità chi potrebbe sostenere essere insufficiente anche ad sedandam libidinem- la penetrazione dell'asta virile per cinque centimetri nella vagina e chi potrebbe dire che pure versato l'umore prolifico in un vestibolo di così limitata profondità, riesca impossibile la fecondazione, la quale avvenne più volte anche ad imene intatto?

« Quindi, per le fatte considerazioni, dal medico legale almeno, non si potrebbe, in mancanza del fatto constituente ***certo e perpetuo*** al fine precipuo ed essenziale del matrimonio, o prescindendo da quello, giudicare di mancata consumazione e quindi di nullità, sulla base, per se tutt'altra che valida e sicura, del difetto di lunghezza della vagina. È invece evidente che le condizioni della signora Elena H.........., permettono risoluzione affermativa o negativa del quesito, secondo il concetto che si ha o si ritiene ammissibile sull'accoppiamento normale, rispettivamente sulla vera consumazione del matrimonio.

« In vero se la copula si dovesse ritenere perfetta ed ammettere la vera consumazione del matrimonio, anche quando da parte della donna (giacché di essa qui si tratta) per condizione preesistente, assoluta e perpetua non può avere effetto che soltanto ad sedandam libidinem; siccome questo scopo poteva essere sufficientemente ottenuto, si dovrebbe ammettere che fra il signor Antonio K...... e la signora Elena H...... il matrimonio fu consumato ».

Ut concludam : matrimonii in controversiam adducti sors pendet a solutione duarum quaestionum : scilicet 1. An licitus sit coitus coniugalis absque spe prolis : 2. An vagina non longior 5 centim. et « ***a fondo chiuso*** » sufficere pos-

sit ad sedandam libidinem. Ad ***primam*** quaestionem respondet affirmative consultor canonista, cui contradicit medicus: alteram responso affirmativo dimittit medicus refragante canonista. Principia ad solvendam primam quaestionem, ut in oculos insilit, sacri canones suppeditant, principia ad alteram dirimendam ars medica. Hoc unum obsecro, Patres Amplissimi, ut canonistam sequamini, dum interpretatur canones, audiatis medicum, cum medicus agit.

Post ea quae disputât eximius consultor theologus, cui plene adhaereo, hoc unum mihi superest, advertere scilicet lectissimum consultorem canonistam immerito arbitrari controversiam praesentem diremptam haud esse a Sacra Congregatione Sancti Officii : quippe quae episcopo regien. quaerenti : « Num mulier N. N. cui operatione chirurgica ablata sunt duo Ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? » die 30 Iulii 1890 respondit: « Re mature perpensa, Emi Domini Cardinales Inquisitores Generales decreverunt matrimonium non esse impediendum ».

Profecto inter casum propositum S. C. S. O. et controversiam nostram non video aliud discrimen quam quod ibi ageretur de matrimonio contrahendo, hic autem de contracto. Iam vero in matrimonio contrahendo obtinet vulgatissimum adagium : « ***In dubio tutior pars est eligenda*** » ita exigente tum ***sanctitate Sacramenti,*** quod periculo nullitatis exponendum non est; tum ***ratione contractus;*** iniquum namque est, ut alter contrahentium ad onus certum alterum obstringat, cum incertum sit an ipse onus, quod in se suscipit, adimplere possit. At longe alias se res habet quando agitur de matrimonio contracto. Hoc enim minime dissolvitur, nisi certa sit nullitas, ceu liquet vel ex ipsa tralatitia dubii formula: « ***An constet de matrimonii nullitate ».***

Nec meliori omine egregius contradictor autumat Decretum illud, cum careat legitima ***promulgatione, ligare solas personas recurrentes*** integrumque esse ***SS. Congregationibus in simili vel fere identico casu contrarium decernere.*** Domini enim Cardinales eo Decreto definierunt quae-

stionem legis naturalis, quae omnes et quoscumque, statim atque ad illorum notitiam venerit quocunque modo, obligat qualibet specialis promulgationis necessitate cessante. Reque vera suo quisque intellectu facile percipit quam absurdum sit ad matrimonium validum ex parte corporis muliebris praeter non arctam vaginam requiri Ovaria et uterum, iuxta S. O. C; satis viceversa superque esse non arctam vaginam, iuxta S. Officii Congregationem.

Piaculum autem existimo iis immorari, quae ille disserit de vaginae ***brevitate.*** Nam Decretales non vaginam ***brevem,*** sed arctam, quippe quae veretrum arcet ab ingressu, inter impedimenta matrimonii. recenset. Ceterum hanc ad rem quantum satis prostat in voto lectissimi consultoris theologi.

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An constet de nullitate matrimonii in casu.***

Et quatenus Negative:

II. ***An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 16 Decembris 1899 censuit respondere: ***Ad I Affirmative, vetito mulieri transitu ad alias nuptias: Ad II provisum in primo.***

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

RUREMUNDEN.

IURIUM SEU CREDITI

Die IO Martii 1899.

COMPENDIUM FACTI. An. 1875 Sorores ab Adoratione Perpetua expulsae a regno Borussico in vim nefastarum legum germanice nuncupatarum ***Kulturkampf,*** in Hollandia exularunt, et in pago Tegelem dioecesis Ruremondensis monasterium de Nazareth appellatum fundarunt. Huius Superiorissa Soror Maria Iosephina Comitissa de Fürstenberg iam a patre usque ab anno 1859 haereditate acceptam summam 128000 marchar um (libellarum 160,000) novo monasterio donaverat, cuius dos praeterea constabat ex 80,000 marchis dotibus sororum, ex 800 marchis quolibet anno traditis a benefactoribus et ex interusuris mutui marcharum 6000.

Abrogatis iniquis legibus Kulturkampf in Germania, Superiorissa de Fürstenberg facultatem petiit ab Emo Archiepiscopo Coloniensi novum monasterium in ea civitate erigendi, Archiepiscopus antequam expetitam licentiam concederet edoceri voluit circa media tum pro erigendo, tum pro manutenendo novo Monasterio. Communitas de Tegelem die 16 Octobris 1890 legitime congregata respondit, omnia bona a se possessa sibi reservare et tantummodo pro novo Monasterio instituendo cedere tum 800 marchas quae annuatim a piis benefactoribus rependebantur, et fructus 6000 marcarum mutuatarum, ut supra, tum summam aliarum 5677 marcharum quam Superiorissa de Fürstenberg illo anno a sua matre 'receperat : de cetero Maria Iosephina quae postea etiam alteri Monasterio praeposita fuit uti Superiorissa, libera manebat circa dispositionem maternae haereditatis.

Circa finem an. 1890 novum monasterium in civitate Coloniensi fundari coepit conducendo inibi parvam et angustam domum. An. sequenti 1891 vitam cum morte commutavit mater Sororis Mariae Iosephinae de Fürstenberg, cui obtigit haereditas materna 500,000 marcharum. Haec summa initio mansit apud suum Fratrem, qui tamen regulariter fructus rependebat Superiorissae de Fürstenberg. An. 1892 memoratus frater persolvit quotam partem in marchis 107,719 suae sorori Coloniae residenti et Superiorissae utriusque Monasterii, quae hanc summam Communitati de Tegelem transmisit ut in fundis publicis investiretur. Post biennium, nova praeposita Superiorissa Monasterio de Tegelem, domina de Fürstenberg quae, remanserat solum Superiorissa Monasterii Coloniensis, petiit a Comuni-tate de Tegelem restitutionem summae 100,000 marcharum cum residua summa marcharum 7719 impensa esset a praefata comunitate de licentia ipsius dominae de Fürstenberg. Monasterium de Tegelem restitutionem denegavit asserens expetitam summam sibi fuisse donatam, dum ex adverso animad vertebatur dictam summam traditam fuisse tantummodo loco depositi.

Disceptatio synoptica

PRO MONASTERIO COLONIENSI. Prae primis, observat Advocatus, si huius monasterii aedificatio fuit ab Archiepiscopo Coloniensi permissa , id accidit quia iam fundi necessarii fuerant praestituti sive pro eius erectione sive pro manutentione. Atqui assignationes factae an. 1890 a Monasterio Tegulensi pro novi monasterii dotatione, erant omnino impares. Hinc necessario habenda fuit ratio haereditatis maternae quam Domina de Fürstenberg brevi erat acceptura et de qua libere disponere valebat, uti sancitum fuerat in coetu Capitulari Sororum Tegulensium mensis octobr, an. 1890; proinde huic conditioni alligatus fuit Archiepiscopi Coloniensis consensus pro novi monasterii aedificatione. Quodsi prima rata haereditatis maternae in marchis 107,719 a fratre Dominae de Fürstenberg an. 1892 persoluta transmissa fuit

Monasterio de Tegelem, ut in fundis publicis investiatur, id ex eo factum est quia taxae in Hollandia pro huiusmodi investimentis mitiores erant et sors inibi securior manebat ac Coloniae in regno Borussico ; aliunde recepta summa prorsus insufficiens erat pro areae acquisitione et operibus novi monasterii incipiendis , hinc depositi loco fuit tradita Monasterio Tegulensi.

Insuper urget advocatus ; si praefata summa vere fuit donata , cur Moniales Tegulensis Monasterii dominam de Fürstenberg rogarunt ut de eius parte libere disponere valerent, nempe de marchis 7,719 ad aes alienum expungendum ? Neque oggeratur quod summa 100,000 marcharum inscripta fuit in statu activo Monasterii de Tegelem ; reponit enim Emus Archiepiscopus Coloniensis : ***Intentio non -accipientis sed dantis consideranda est, ponderata conditione in qua Priorissa*** (Domina de Fürstenberg) ***tunc versabatur , attentisque circumstantiis transmissionis illius summae Colonia factae T e gulas.*** Ex inscriptione itaque praefatae summae in-statu activo argui non potest intentio donandi in Priorissa; quin imo etiamsi haec intentio adfuisset , donatio uti nulla considerari deberet utpote perfecta absque consensu Emi Archiepiscopi Coloniensis.

Alterum argumentum patronus desumit a depositione emissa a superiorissa domina de Fürstenberg coram Rmo Commissario Emi Archiepiscopi Coloniensis, et ab alia declaratione pariter ab ipsa peracta paulo ante eius obitum, nempe quod numquam animum habuerit maternam'haereditatem Monasterio Tegulensi adiudicandi : quae declaratio confirmata fuit testimonio trium Sororum deponentium, pluries dictam Superiorissam uteris exposuisse, quod materna substantia Monasterio Coloniensi cedere debebat.

Deinde advocatus rem conficere studet duobus sequentibus factis. Frater Superiorissae apud se foenore collocatam habebat summam marcharum 128,000: an. 1894 seu paulo ante quam mortem (defuncta est enim an. 1895) Superiorissa de Fürstenberg Monasterio Tegulensi misit tantum fru-

çtus 28,000 marcharum, eo quia ipsum restituere nolebat 100,000 marchas haereditatis maternae, reliquos vero fructus cum relativa summa capitali addixit monasterio Coloniensi. Alterum factum est epistola parochi de Tegelem deputati ecclesiastici pro monasterio ita scribentis Superiorissae: ***Maneat tua summa marcharum 100,000*** (haereditatis maternae) ***quae hic deposita est apud nos, et nostra stemma marcharum 100,000 quae ibi*** (apud fratrem Coloniae degentem) ***deposita est, maneat apud te. Restat igitur ut*** *tur* ***nobis solvas ad haec summam marcharum 28,000.***

Demum defensor observat, quod pro emptione areae proconstructione aedificii coenobii Coloniensis et pro taxa successionis complexive marchae 353,947,50 expensae sunt: hinc ex materna haereditate tantummodo remanerent marchae 146,952,50. Monasterium constat 40 sororibus et eius dotatio, comprehensis 100,000 marchis, ascendit ad summam marcharum 222,100, cuius annuus reditus est 10,180 marcharum; omnibus hinc computatis diarium uniuscuiusque sororis conflaretur ex 70 centesimis, cum qua tenui summa impossibile est congrue vitam ducere in civitate Coloniensi. Concludit igitur defensor cum Archiepiscopo Coloniensi quod summa 100,000 marcharum est absolute necessaria pro existentia Monasterii. Ex adverso Monasterium Tegulense continet 33 sorores eiusque dotatio censetur ex marchis 168,000,. non computatis controversis 100,000: hisce comprehensis eius patrimonium ascenderet ad 268,000 marchas pro alendis tantum 33 sororibus in civitate Tegularum in qua victualia viliori veneunt pretio et taxae mitiores sunt ac in urbe Coloniensi. Hinc etiam ex quadam aequitate controversae 100,000 marchae forent assignandae Monasterio Co^ loniensi.

Hisce in superiori disceptatione praemissis recolit in iure cum ***Card. de Luca de donat. p. 1 Lib. 7 disc 16*** quod* in donatione requiritur : ***ut probatio sit univoca pernecesse concludens perfectam ac determinatam voluntatem donandi irrevocabiliter inter vivos, quoniam cum donare sit perdere,***

hinc non de facite iste actus est praesumendus. Iam vero ista principia perfecte in casu collimant favore Monasterii Coloniensis. Nam Archiepiscopus Coloniensis novi Monasterii aedificationi seu erectioni consensit, sub conditione ut Tegulense Monasterium praeberet necessariam dotationem. Monasterium Tegulense in Capitulo, ipso Episcopo Ruremundensi approbante , declaravit reservare pro se omnia bona possessa inclusis 128,000 marchis haereditatis paternae Superiorissae de Fürstenberg, eique facultatem dedit libere disponendi de futura haereditate materna favore novi monasterii. Archiepiscopus Coloniensis proinde ius acquisivit impediendi ut praedicta haereditas a novo Monasterio distraheretur : proinde etiamsi controversam partem haereditatis Superiorissa de Fürstenberg donare voluisset, id non potuisset perficere absque consensu Archiepiscopi Coloniensis, qui sorores in sua dioecesi non admisit ***nisi intuitu enunciatae conventionis quae et a Capitulo Monasterii et ab Episcopo Ruremundensi approbata fuit,*** ut ips« Emus Archiepiscopus testatur in uteris ad S. Congregationem EE. et RR. diei 8 octobris an. 1897.

FAVORE MONASTERII TEGULENSIS VULGO DE NAZARETH NUNCUPATI. E contra Visitator Monasterii Tegulensis contendit controversam summam 190,000 marcharum vere fuisse huic •donatam. In primis ipse allegat testimonium Vice Priorissae dicti Monasterii. Anno 1892 dicta summa a Superiorissa Monasterii Coloniensis per quamdam sororem ad Tegulense Monasterium fuit missa; Vice Priorissa convocatis Monialibus in Capitulo testata est eam recepisse a benevolentia Superiorissae de Fürstenberg. Iam vero hoc, iuxta Monasterii Visitatorem, donationis acceptationem por tendit, idque roboratur etiam ex facto quod, cum nova electa Superiorissa Monasterii Tegulensis quadam die colloqueretur cum Commissario Monasterii Coloniensis praetendente dictam summam a se auferre, Commissarius praesens Monasterii Tegulensis respondit: ***id non esse iustum; semel donatum semper permanere donatum.***

Alterum argumentum Visitator ex eo deducit quod praefata summa inveniatur descripta in codice partis activae Monasterii Tegulensis : hic liber fuit subscriptis nedum a nonnullis Monialibus dicti Monasterii,- et a Commissario* Episcopi Ruremundensis, sed etiam ab ipsa Superiorissa de Fürstenberg. Explicari profecto non posset, quomodo dicta summa partem activam in Monasterii patrimonio efformare valeret, si ipsi reapse non fuisset donata. Idem inferre nititur Visitator ad suum assumptum probandum ex duabus Uteris quae scriptae dicuntur a Superiosissa de Fürstenberg; una ad novam Moderatricem Monasterii Tegulensis, et altera ad aliam sororem eiusdem Monasterii: sed hae literae in actis productae non sunt.

Demum Visitator, descriptis angustiis familiaribus quae Monasterio Tegulensi obvenirent ob restitutionem controversae summae 100,000 marcharum, fusiori calamo progreditur ad disiicienda ea quae ex adverso opposita sunt, contendens neque .Episcopum Ruremundensem consensisse ut Superiorissa de Fürstenberg • haereditatem maternam Monasterio Coloniensi adscriberet, neque Emum Archiepiscopum Coloniensem impedire potuisse quominus praedicta hereditas Monasterio Tegulensi adiudicaretur.

Hisce ex utraque parte summatim relatis, propositum, fuit solvendum sequens

Dubium

An 'Monasterium Tegulense teneatur ad restitutionem 100,000 marcharum Monasterio Coloniensi in casu?

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, sedulo discussis partium iuribus die 10 Martii 189$ rescripsit : ***Affirmative et amplius.***

INSTRUCTIO quoad Congressiones episcopales per Dioeceses Austríacas.

Quo constet "firmius atque efficacius vigeat episcopalium congressionum ratio, in Cisleithanis regionibus, iam inducta et Pontificiis praescripta Litteris die 3 Martii 1891 datis ad omnes Imperii Austriaci Antistites, Sanctissimus Dominus Noster Leo divina Providentia Papa XIII, pro Apostolica sua sollicitudine et caritate, quae super hac re adhuc in valuerunt, confirmare ac probare dignatus est, aliaque iis adiicere constituit, atque ab hac sacra Congregatione Episcoporum et Regularium consultationibus praeposita universis Austriae citerioris locorum Ordinariis significari decrevit; prout sequitur:

I. Quinto quoque anno, crebrius etiam pro re nata vel necessitate, Austriaci Imperii omnes et singuli Archiepiscopi et Episcopi Vindobonae conveniant, de communibus ecclesiarum suarum commodis aut negotiis, deque gerendis cum potestate civili rebus coniunctim acturi.

II. Septeni praesules, plenarii coetus suffragiis in Consilium permanens adlecti, bis quolibet anno, Vindobonae pariter congrediantur, res ad deliberationem plenarii consessus comparandas, eiusque exequenda mandata curaturi.

Sessionum acta, sive generalis conventus, sive ipsius perpetui consilii, cum Episcopis scripto communicent.

III. Curent insuper uniuscuiusque provinciae ecclesiasticae vel civilis ditionis Archiepiscopi et Episcopi omnes, singulis annis, provinciatim seu regionatim coire, ut de impeditioribus ecclesiarum suarum negotiis concorditer agant.

Ad huiusmodi porro coetus annuos per provincias regionesve celebrandos, occasionem idoneam, aptam sedem, coadunandorum praesulum ordines, ipsa definiet politicarum per ditiones singulas congressionum ratio, quibus Episcopi, stata lege quotannis intersunt.

IV. Episcoporum conventus, sive plenarios, sive peculiares, convocet ac moderetur, qui, inter congressuros, gradu et antiquitate in ecclesiastica hierarchia ceteris praeest; eique parere cuncti teneantur in iis quae coetum spectant.

Secretarii vero munere ille fungatur quem Episcopi suffragio suo designaverint.

V. Res ad deliberandum hae maxime congressuris proponantur: — christiana populi eruditio, atque institutio iuventu-

tis; — fidelium gregis suis pastoribus coniunctio arctior adhaesio; — seminariorum cultus et incrementa; — catholicae studiorum Universitatis erectio; — catechismus ab Episcopis nove conficiendus et coniunctim edendus (Breve Pii Papae IX, 5 Octobris 1855): — Ecclesiae iurium et bonorum tuitio; summi Pontificis strenua auctoritatis et libertatis vindicatio; — ephemeridum, aliarumque vulgatarum curatio scriptionum; — matrimonii christiani religio et sanctitudo: — monialium et utriusque disciplina provehenda; — laicorum sodalitia ad pietatem et caritatem fovendam utiliora; — inviolata festorum custodia; — romanae liturgiae urgenda aequalitas; — lustrationis dioecesanae, synodorumque, iuxta Tridentinas leges instauratio; — christianae vitae in omnes civium ordines nova aut potior infusio; — conditionis opificum, agricolarum, emigrantium sollicitudo; •— socialis quam nominant, et popularis causae studium; — militum cultura religiosa; — petriana stipes; — sacris item missionibus, servitudinis extinctioni, conferenda subsidia; — communia scripta vel acta, ad utilitates rei cum sacrae, tum civilis, unanimi pastorum consilio edenda; — alia demum id generis negotia, quibus rite expediendis, non modo proficuam, verum etiam necessariam esse agendi et sentiendi concordiam omnino compertum est omnibus.

VI. Propositiones et sententias conventuum, saltem graviores, per eorum praesidem, accurate doceatur Apostolica Sedes quae Episcoporum coetus, sive per se, sive per suum penes Caesaream Aulam Legatum, consilio et opera iuvare intendit.

Persuasum profecto est Sanctitati Suae, universos ditionis austriacae Ordinarios hisce statutis et votis, summa voluntate et alacritate, esse obsecuturos: quo sane pacto et ipsi optime de religione ac civitate merebuntur, et eorum congressiones illos edent laetabiles fructus, quos in aliis regionibus, Deo iuvante, feliciter in dies ferunt.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 22 Iulii 1898.

S. CARD. VANNUTELLI, ***Praef.***

L.ffiS.

A. TROMBETTA, ***Seeret.***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

BURDIGALEN. Beatificationis et Canonizationis ven. servae Dei ioannae de Lestonnac fundatricis ordinis Filiarum Beatae Mariae Virginis.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Mystici agri Dominus opportunis temporibus non lectos tantum viros ***mittit operarios in vtneam suam,*** sed etiam mulieres fortes, de quibus in libro Sapientiae scriptum est « ***accinxit fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum ».*** Cuius rei exemplo esse possunt et Birgitta, et Catharina Flisca, et Ioanna Francisca Fremiot de Chantal, et romanae urbis decus Francisca aliaeque sanctissimae feminae quamplures, quibus non suae tantum saluti prospectum est, sed proximorum. His merito accensenda est Ioanna de Lestonnac, quae et ipsa in agro Domini ***de fructu manuum suarum plantaoit vineam,*** instituto novo ordine piarum mulierum quem a Domina Nostra nuncupari voluit. Orta est Ioanna anno MDLVI honesto genere. Vel a primis annis ita virtutibus- eluxit ut futurae sanctitatis facile liceret divinare fastigium. Eius autem adolescentia, eo maiorem sibi postulat laudem, quo infestiora nacta est publica tempora. In eam enim incidit aetatem, quum Calviniana per Galliam grassaretur lues, ex qua catholicis plurimum periculi obiiciebatur. Nec publica tantum defectionis exempla puellae obversabantur oculis, sed etiam domestica. Nam ipsa mater quum Calvini partibus atque erroribus studere coepisset maxime, quotidianum creabat filiae periculum augebatque metum ne haec, materais capta blanditiis, victas aliquando cederet manus. Verum divinae gratiae praesidio, quod constanti pietate mereri curavit, quum evasisset incolumis, de perfectiore vitae genere in aliqua religiosa domo suscipiendo cogitare coepit; idque statim effecisset, nisi patris obstitisset voluntas, qui eam nuptum dedit viro nobilissimo. Hoc vita defuncto, ad pristina vota reversa, se in Tolosanam domum recepit piarum

mulierum quae vulgo ***Fogliantinae*** appellantur. At brevi sensit ad aliud se munus divinitus vocari novae condendae Familiae sanctimonialium, quae curam omnem conferrent ad puellas probe instituendas in sanctitate vitae cum doctrinae integritate coniuncta; opportunum sane praesidium adversus ingruentes errores. Quod quidem incoeptum brevi tam feliciter crevit ut ipsa viderit vivens institutas eius Ordinis domos triginta. Sic iuncta ministerio sanctissimo ad puellarum salutem, meritis onusta decessit Burdigalae postridie calendas Febr. anni MDCXL, aetatis suae quintum supra octogesimum agens. Eius fama sanctitatis miraculis confirmata, constans viguit in Gallia, donec plurimorum studio excitato, ab Apostolica Sede impetratum est anno MDCCCXXVI ut titulo Venerabilis honestaretur.

Simul vero eius causa penes SS. Rituum Congregationem agitari coepta est; ac probationibus iuridice sumptis riteque expensis, eius virtutes heroicum attigisse gradum solemni decreto sancitum est anno MDCCCXCI.

Quum vero trina accesserint eiusdem Ven. Servae Dei intercessione patrata miracula, accurata de illis instituta est actio; primum in antepraeparatorio conventu, quarto nonas Maii anno MDCCCXCVII indicto penes Revmum Cardinalem Lucidum Mariam Parocchi, causae Relatorem; deinde quaestione instaurata nono calendas Februarii anni MDCCCXCVIII in praeparatorio coetu ad Vaticanum coacto; demum in generalibus comitiis coram SS. D. N. Leone Papa XIII habitis in Aedibus Vaticanis postridie nonas Décembres anni mox elapsi, in quibus idem Revmus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi proposuit dubium: ***« An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur Ì*** » Revmi PP. Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi et PP. Consultores suffragium singuli protulere. Sanctissimus vero Pater decretorium proferre iudicium distulit ut tempus precationi suppeteret; edixitque sperare Se quantocius illud prolaturum Revmorum Cardinalium ac PP. Consultorum sententiae apprime consonum.

Hodierna igitur die, Dominica III post Epiphaniam, qua Festum Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph devotissime percolitur, sacris Mysteriis piissime celebratis, Vaticanam solemniorem aulam ingressus, ad Se acciri iubet Revmos Cardinales Camillum Mazzella, Episcopum Praenestinum, S. R. Congregationi Praefectum et Lucidum Mariam Parocchi, Episcopum Por-

tuensem ac S. Rufinae, Praepositum a Diplomatis Pontificis Maximi causaeque Ponentem, una cum R. P. Io. Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore meque infrascripto a Secretis, iisque adstantibus solemni sanxit Decreto: « *Constare de tribus miraculis;* de primo : *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis a S. Xaverio, religiosae professae Ordinis Filiarum Beatae Mariae Virginis, in saeculo Mariae Aloisiae Farines, a phtgsi pulmonari confirmata* ».; de altero: « *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis a S. Michaele, monialis professae eiusdem Ordinis, in saeculo Zeliae Bayssade, a lethali paraplegia ex meningomielite chronica* » ; de tertio : « *Instantaneae per f e* etaeque sanationis Sororis Mariae del Pilar, monialis professae Ordinis Capulatorum, a ristornate prolifero adoneidaeo in regione ovarica sinistra ».*

Hoc vero Decretum evulgari et in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri mandavit duodecimo calendas Februarias, anno **MCM.**

C. Ep. Praenestinus Card. MAZZELLA, *S. B. C. Praefectus.*

(L. # S.)

DIOMEDES PANICI, S. *B.* C. *Secretarius.*

BURDIGALEN. Beatificationis et canonizationis ven. Servae Dei Ioannae de Lestonnac fundatricis ordinis filiarum Beatae Mariae Virginis.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum, Tuto *procedi possit ad solemnem eiusdem Venerabilis Beatificationem.*

Humani generis Reparatur Christus Ecclesiae suae ita prospexit, ut ubi vitiorum errorumve lues grassaretur maxime, ibi validiora praesidia suppeditaret. Itaque, ut Luthero eiusdemque temporis haereticis quamplures insigni sanctitate viros eosdemque catholicae veritatis assertores invictissimos obiecit; sic etiam infirmiori sexui servando a Calvinianae impietatis veneno excitavit Venerabilem Ioannam De Lestonnac, dignam plane feminam quae ut suae aetati praeluxit, ita nostrorum tempo-

rum caligini excutjendae mediatrix proponatur apud Deum. Rem praestitura saluberrimam vel ab ineunte aetate visa est operi suo sternere viam. Matre novarum rerum cupida, mirum quantum studii ipsa collocavit in fide retinenda contra domestica pericula. Sed plenam ei victoriam prorneruerunt et oratio assidua, et affiictatio corporis, et omnis industria virtutis.

Iuncta coniugio, arctioris vitae propositum, quantum licuit retinuit, haud minorem excolendis virtutibus quam liberis educandis operam navans, studensque placere viro, at multo magis Deo. Erepto coniuge, vidua « *in operibus bonis testimonium habens* » superno quodam instincta spiritu, manum admovit instituendae piarum mulierum Familiae quae ad Ignatii Patris exemplum ingruenti haeresi veluti nova arx et praesidium obiiceretur. Res per medias difficultates inchoata atque perducta prospere cessit, probante Apostolicis Litteris saluberrimam institutionem Paulo V P. M., eamque laude prosequeiitibus eximia fama PP. Cardinalibus Bellarmino et Baronio.

Demortuae habitus est honos in Gallia qualis haberi solet iis qui *facti sunt amici Dei;* viguitque constans ad haec usque tempora eius fama sanctitatis. Cui illustrandae miracula cum accessissent, causa denuo agitata est institutaque actio de more super tribus miraculis. Quibus rite expensis SSmus D. N. Leo Papa XIII duodecimo calendas februarii volventis anni de omnibus constare decrevit.

Hoc unum supererai iuxta sacri huius Fori statuta inquirere, utrum Beatorum Caelitum honores Ven. Ioannae De Lestonnac *Tuto* decerni possint. Quapropter in generalibus comitiis coram Brno Patre, anni huius tertio calendas Februarii ad aedes Vaticanas indictis, dubium propositum fuit Rmo Cardinali Lucido Maria Parocchi causae Relatore: « *An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum,* Tuto *proeedi possit ad solemnem Venerabilis Ioannae De Lestonnac beatificationem* »; SSmus Pater, auditis Rmorum Cardinalium et Patrum Consultorum sententiis, decretorium iudicium suum in aliud tempus differre statuit, ut in re tam gravi caelestis luminis praesidium precibus impensius imploraret.

Hac vero die, Dominica in quinquagesima sacris devotissime operatis, ad se accivit Rmos Cardinales Camillum Mazzella Episcopum Praenestinum, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum et Lucidum Mariam Parocchi Episcopum Portuen-

sem et Sanctae Rufinae Causae^ Relatorem, et insimul Io. Baptistam Lugari sanctae Fidei Promotorem meque infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter pronuntiavit: « Tuto *proeedi posse ad solemnem Ven. Ioannae De Lestonnac Beatificationem* ».

Decretum hoc evulgari et in acta Sacrorum Rituum Congregationis inseri, litterasque Apostolicas ^in forma Brevis de Beatificatione in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebranda expediri iussit, quinto calendas martii anno 1900.

C. CARD. MAZZELLA, *S. B.* C *Praefctus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, «S. *Ê.* C. *Secretarius.*

AUGUSTANA. Beatificationis et canonizationis ven. Servae Dei Mariae Crescentiae Höss monialis professae tertii ordinis S. Francisci in monasterio Kauffburano.

SUPER DUBIO

An, et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Dilectae Deo Virgines, caelestis Agni sponsae, *qui pascitur inter lilia*, in ipso abditae et consepultae, pro Eiusque amore vitae innocentiam cum poenitentia prosequutae. in Ecclesia fulgent tamquam puro caelo sidera « *spectaculum factae mundo et angelis et hominibus* ». Hoc in numero sapientum virginum atque prudentum digna omnino est quae exemplo simul et praesidio proponatur humanae infirmitati Ven. Maria Crescentia Höss, dicta, ut mos invaluerat, Hoëssin.

Piis orta parentibus textorio labore vitam trahentibus Kauffburae in Svevia decimotertio calendas novembres anni 1682 vel a prima aetatula futurae sanctitatis indicia praebuit. Eo namque animi fervore versabatur in templis, adeo mature didicit supplices manus precesque ad caelum tollere, ut visa fuerit prius divinarum rerum notitiam assequuta esse, quam loquelam. Procedente autem adolescentia, inoffenso pede inter lutheranae sectae pericula christianae virtutis omne genus ade-

pta est; adeo modeste gressum, adloquium moresque componens, tanta in pauperes caritate flagrans, ut non modo civium omnium amorem et existimationem sibi facile concil iaverit, sed vel ipsos erroris fautores in sui traxerit admirationem. Quamobrem aptari .eidem commode possunt -quae de patientissimo viro Idumaeo habet S. Gregorius : « ***dicatur ubi habitamrit, ut hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit*** » (L Mor. c. I).

Inter haec, solitudinis amore, quo a primo veluti vitae limine se ferri senserat in dies magis excandescens, in asceterium Kauffburerise petiit ingressum, ut inter virgines illas tertii Ordinis S. Francisci religiosis votis se Deo manciparet. Unde, ob rei familiaris» inopiam pluries repulsa, tandem instante lutherano viro urbis consule, de memorato asceterio ob insigne collatum beneficium optime merito, etiamsi dotis expers, voti compos facta est aetatis suae anno primo et vicesimo.

Multis interim mira patientia toleratis, exactoque tyrocinio, iunioribus virginibus instituendis 'praefuit annos decem et septem. Deinde sororum omnium suffragiis totius asceterii praeses est constituta. Quo in munere, ea famae celebritate claruit, ut eius nomen per totam Germaniam, Bavariam, Hungariam aliasque nationes non modo catholici, sed etiam acatholici praedicarent. Nihil igitur habet admirationis quod viri dignitate, doctrina, virtute insignes 'ipsique Reges atque Optimates civitatum eam consultum adirent.

Expleto anno aetatis suae sexagesimo quarto, divini potius ardoris vi, quam naturali morbo consumpta, praenunciata obitus hora beatissimo fine ad caelestis Agni nuptias evolavit ñoñis aprilis anno 1744.

Mariae Crescentiae sanctitatem mira charismata dum vixit, prodigia vero vel in ipso funere ac deinceps confirmarunt. De binis actio a S. RR. Congregatione rite instituta est; primum in antepraeparatorio conventu habito, duodecimo calendas ianuarii anno 1897 penes Rmum Cardinalem Miecislaum Ledochowski causae Relatorem; deinde, quaestione instaurata, sexto calendas maias anni 1899 in praeparatorio in aedibus Vaticanis. Denique, coacto coetu sacrorum Rituum universo, coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, tertio calendas Februarii vertentis anni, et a Rmo Card. Camillo Mazzella S. RR. Congregationi Praefecto loco et vice Rmi Cardinalis Miecislai Le-

docowski* proposito dubio : « *An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* ». Rmi Cardinales et Patres Consultores singuli suam protulere sententiam. Quorum omnium exceptis suffragiis Sanctissimus Pater decretorium iudicium reserva vit proferre in alium diem. *Illud vero quale futurum,* inquit, *satis dat intelligere et prodigiorum praestantia et mirus sententiarum vestrarum consensus et unanimitas.*

Hodierna autem die, Dominica in Quinquagesima, Sacro piissime peracto, ad se acciri iubet Rmos Cardinales Camillum Mazzella Episcopum Praenestinum, S. Rituum Congregationi Praefectum loco etiam praefati Cardinalis Miecislai Ledocowski causae Relatoris, una cum R. P. Io. Baptista Lugari S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemni decreto sanxit. Constare de duobus miraculis ; de primo : *« Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Magdalenae Kolmanui ab epiteliomate glandulari inmamilla dextera»)* de altero : « *Instantaneae perfectaeque sanationis Franciscae Prixin a fístula laerymali inveterata ad summum gradum deducta, cum carie ossis ».*

Hoc autem decretum in vulgus edi et in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri mandavit quinto calendas martias anno 1900.

C. CARD. MAZZELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius:*

TUNQU1NEN. Beatificationis seu declarationis martyrii venerabilium Dei Servorum Ignatii Delgado Episcopi Mellipotamen. ordinis Praedicatorum Vicarii Apostoliei Tunquini Orientalis, Dominici®Henares Episcopi Fesseitensis Praefati Vicarii Apostolici coadiutoris, et Sociorum ab idololatris in odium fidei interfectorum.

SUPER DUBIO

An constet de Martyrio et causa Martyrii, de signis seu miraculis, martyrium ipsum illustrantibus, in casu et ad effectum de quo agitur.

Fortissimorum virorum seriem qui effuso sanguine testimonium Christo reddiderunt, nulla unquam conclusit aetas, ne-

que diu ipsorum indicem sepositum habuit Ecclesia. Itaque, nuperrime renuntians beatis martyribus Ioanne Gabriele Taurin Dafresse Episcopo Trabacensi, Petro Dumolin Borie Episcopo electo et sociis in causa Sinarum, Tunquinen. et Cochinchinen. Nova adiiciuntur athletarum nomina, ad numerum sex et viginti ex eodem glorioso certamine qui sub huius initium saeculi, apostolico functi munere, per eas gentes exantlatis ineffabilibus laboribus aditisque omne genus periculis, quam fidem diuturno sudore conati sunt provehere, eamdem suo cruore obsignare non dubitarunt. Purpurato huic martyrum exercitui praeeunt Ignatius Delgado Episcopus Mellipotamensis, in carcere diu martyr absumptus ; eiusque adiutor Dominicus Henares Episcopus Fesseitensis qui capitis obtruncatione certamen absolvit. Hos excipit cetera cohors, in quibus ex Ínclita atque praeclare merita Praedicatorum Familia Sacerdotes Vincentius Yen, Dominicus Dieu seu Hanc, Petrus Tu, Thomas Du, Dominicus Doan seu Xuyen, Iosephus Hien, Dominicus Trach seu Doai, Iosephus Fernandez Vicarius Provincialis et Dominicus Tuoc omnes capite caesi, praeter extremum qui gravi vulnere saucius occubuit. Sunt autem e reliquo Clero Iosephus Nien seu Vien, Bernardus Due ambo capite multati, et Petrus Tuan in vinculis cruciatuum diuturnitate consumptus. Subeunt catechesis tradendae ministri Iosephus Canch medicus, Franciscus Chien seu Chieu ambo capitis damnati, Iosephus seu Petrus Uyen in carcere aerumnis confectus, Thomas Toan fame enectus, Franciscus Xaverius Mau et Dominicus Uy laqueo suspensi. Extremo hoc genere mortis affecti succedunt agricolae duo Augustinus Moi, Stephanus Vink; deinde milites tres, ex quibus Dominicus seu Nicolaus Dat fune strangulatus, Augustinus Hui et Nicolaus The secti. Denique Thomas De sartor laqueo suffocatus.

Horum omnium post praeclarum triumphum, cui iubar etiam miraculorum accessit, statim instructi fuere inquisitionum processus, quibus a S. Rituum Congregatione diligenter expensis, iisque ratis habitis et probatis, SSiîius Dominus Noster Leo Papa XIII decreto lato, decimo tertio calendas Decembris anno 1897, benigne indulsit ut dubium de martyrio causa martyrii et signis seu miraculis discuti posset in S. RR. Congregationis particulari coetu cum voto quoque Praesulum Officialium dictae Congregationis. Itaque in Comitiis habitis ad Vati-

canum idibus februariis huius anni, Rmus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella dubium ad discutiendum proposuit: « *An constet de martyrio, causa martyrii, de Miraculis seu signis in casu et ad effectum de quo agitur* ». Patres Cardinales'et Praesules, singuli sententias tulere suas. Nihilominus Beatissimus Pater, audita de omnibus relatione per Rmum Cardinalem Camillum Mazzella Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, etsi martyrii et miraculorum veritatem cognoverit, tamen iudicium suum aperire in alium diem distulit, ut in re tam gravi divinum lumen magis magisque exposceret.

Hodierna vero die, Dominica Quinquagesimae, Sacro sanctissime perlitato nobiliorem Vaticani aulam ingressus arcessivit Rmos Cardinales Camillum Mazzella Episcopum Praenestinum S. Rituum Congregationi Praefectum et Caietanum Aloisi-Masella causae Relatorem, una cum R. P. Io. Baptista Lugari S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario iisque praesentibus solemni decreto sancivit: « *Ita constare de Martyrio et causa Martyrii horum Venerabilium Dei Servorum, nec non de miraculis seu signis Martyrium illustrantibus et eonfirmantibus ut proeedi possit ad ulteriora in casu et ad effectum de quo agitur ».*

Atque hoc Decretum in vulgus edi et in Sacrorum Rituum Congregationis actareferri iussit quinto calendas martii anno 1900.

C. CARD. MAZZELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDBS PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

SINARUM. Beatificationis seu declarationis martyrii venerabilis Servi Dei Francisci Clet sacerdotis e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo.

SUPER DUBIO

An constet de Martyrio et eausa Martyrii, nec non de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur.

Quam bene de Religione deque omni societate sint meritae sacrae illae piorum Familiae, queis *iti maligno positus mundus*

tam saepe succenset, apprime ostendunt plurimi ex eo numero athletae, qui non domesticis tantum virtutibus, sed publice reddito Catholicae Fidei testimonio, suo sanguine, [decoris palmis Christi Ecclesiam illustrarunt. Eas inter locum habet clarissimum Congregatio, quae Vincentium a Paulo habuit institutorem. Haec omne genus ministerii et charitatis complexa, tam longequè porrecta quam late patet humanitas, ineunte hoc saeculo in Sinarum regionibus Venerabilem Dei Servum Franciscum Clet socium ceteris martyribus dedit.

Is nobili genere ortus Gratianopoli, et a parentibus piissime institutus, horum exemplis conformatam pueritiam sic transegit, ut non modo labem omnem a se removerit, sed,; spretis mundi illecebris, sacrae militiae amplectendae desiderium mature conceperit Primum itaque in suae 'civitatis parvo Seminario, quod S. Martini De Misere appellatur studiis optimis vitaeque sanctitate praeluxit; deinde perfectioris vitae amore Succensus Lugdunum contendit petiitque aditum in Congregationem Missionis S. Vincentii a Paulo. Inde votis rite nuncupatis ac sacerdotio auctus Annecium mittitur theologiae tradendae Doctor in sacro illo Ephoebeo. Ubi per annos xv tam praeclara edidit exempla virtutis, ut par habitus fuerit regendis tyronibus in seminario S. Lazari, ipsa Galliarum in urbe principe. Quo in munere mirum quantum eius prudentia enituit, saevis obiecta fluctibus causa seditionis miserrimae, quum impiorum armata manus domicilium illud vastavit atque diripuit.

Sed latiorem adhuc patere sibi vineam avebat vir fortis et constans, ubi uberiores liceret fructus colligere et suae et alienae salutis. Cuius voti compos factus ' est anno 1791, missus cum novo Sacerdotum delectu ad Sinenses regiones. Ibi annos 30 commoratus cum munere Procuratoris missionis in regione civitatis Kin-Kieng non laboribus, non vigiliis, non longis asperisque itineribus pepercit, non periculis, non minis est deterritus, ut quamplurimos Christi lucrifaceret. Qui mirus ardor Fidei provehendae exitum tandem sortitus est meritis et votis tanti viri dignissimum. Tempestatis autem initium commotum ab ethnico quodam, qui quum ultionis causa suam ipse domum succendisset christianos accusavit, quasi, auctore Francisco, incendium ipsi patrassent. Missos illico satellites Venerabilis Clet primum effugit, in montibus et speluncis delitescens, donec christiani cuiusdam degeneris indicio proditus comprehensus

-est; quem, alterum Iudam, sibi obvium humanissime est alloquutus.

Catholicae vero Fidei se praeconem strenue professus, saevissimis affectus cruciatibus in carcerem coniectus est, ubi aetate gravis consumptisque viribus, diuturnum solidi mensis martyrium morte ipsa gravius constantissime tulit. Tandem proregis sententia damnatus ut laqueo vitam amitteret, quum suppliai hora immineret, gaudio gestiens,' fusis precibus ad satellites conversus: « *Venite,* inquit, *aceedite* » fune adstringunt et spirantem adhuc, pedibus conculcant conflciuntque miserrime; donec solutis corporis vinculis beatissima anima in caelum advolavit decimotertio calendas Martias anni 1820.

Fama huius martyrii late diffusa est, et a Sacra Rituum Congregatione, iuridicis probationibus mature perpensis, Summus Pontifex Gregorius XVI septimo idus Iulii anno 1843 causae Commissionem sua manu signavit. Confectis deinde auctoritate Apostolica processibus riteque probatis, SSmus D. N. Leo PP. XIII decreto lato pridie idus Iunii superioris anni benigne indulsit ut Dubium *de Martyrio et de causa Martyrii, nec non de Miraculis seu signis ipsum confirmantibus* discuti posset in Sacrae Rituum Congregationis particulari coetu cum voto quoque Consultorum Officialium. Itaque in Conventu habito in aedibus Vaticanis idibus volventis mensis Februarii, Rmus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella causae Relator proposuit dubium : « *An constet de Martyrio eiusque causa nec non de miraculis seu signis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur»)* Rmi Cardinales et Praesules Of-, riciales suam singuli protulere sententiam. Beatissimus vero Pater, audita a Rmo Cardinali Camillo Mazzella S. R. Congregationi Praefecto de omnibus relatione, Apostolicum pronunciare iudicium distulit ut interim in tanta re decernenda maiora sibi a Patre' Luminum auxilia compararet.

Hac vero dominica in Quinquagesima ad se accitis Rmo Cardinali Camillo Mazzella Episcopo Praenestino S. R. Congregationi Praefecto, nec non Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella causae Relatore, una cum R. P. Ioanne Baptista Lugari S. Fidei Promotore et me infrascripto Secretario iisque adstantibus solemniter decrevit: « *Ita constare de Martyrio et de causa Martyrii, nec non de signis seu miraculis Martyrium Ven. Servi Dei Francisci Clet illustrantibus et eonfirmantibus ut pro-*

cedi possit ad ulteriora, in casu et ad effectum de quo agitur».

Huiusmodi Decretum publici iuris fieri et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit quinto calendas martias anno 1900.

C. CARD. MAZZELLA, ***S. R. C. Praefectus.***

L. ✠ S.

DIOMEDES PANICI, ***S. R. C. Secretarius.***

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM: an dispensari possit etiam ab impedimento clandestinitatis, vi facultatis? Episcopis concessae, dispensandi in ***articulo mortis*** ab impedimentis dirimentibus in matrimoniis concubinariorum.

Beatissime Pater.

Episcopus N. N., ad pedes S. V. provolutus, humillime quae sequuntur exponit:

Per Decreta S. R. et U. Inquisitionis dierum 10 febr. 188$ et 1 martii 1889, S. V. benigne facultatem fecit locorum Ordinariis, Parochis communicabilem, etiam per habitualem subdelegationem, qua, urgente mortis periculo, dispensare valeant cum iis, qui iuxta leges civiles sunt coniuncti, aut alias in concubinatu vivunt, super impedimentis quantumvis publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto S. Presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant.

Iamvero quaestio hac in re exorta est inter viros theologos, utrum vi predictarum facultatum, liceat Episcopo, data necessitate, dispensare etiam ab impedimento clandestinitatis; aliis quidem affirmantibus, quia nulla de eo fit exceptio in generali concessione: aliis vero negantibus, quia finis concessionis est, ut morituri rite in faciem Ecclesiae copulentur, quod importare videtur servandam esse, saltem quoad substantiam, formarum solemnitatem a Tridentino sub nullitate praescriptam.

Hisce praehabitis, Episcopus orator S. V. enixe efflagitat, ut definire pro sua benignitate non dedignetur:

Utrum in citatis Decretis vere comprehendatur etiam facultas dispensandi ab impedimento clandestinitatis; adeo ut ex. gr. Parochus, ab Episcopo habitualiter delegatus, possit in sua Paroecia vel coniungere non suos sed extraneos inibi casu existentes, dispensando a praesentia Parochi proprii, ad quem nullimode valeat haberi recursus; vel etiam coniungere suos, sed sine testibus, pariter dispensando ab eorum praesentia, cum omnino non sint qui testium munere fungi possint.

Et Deus etc.

Feria IV, die 13 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Affirmative.

Sequenti vero feria VI, die 15 eiusdem mensis et anni, per facultates Emo ac Rmo Dno Cardinali S. Officii Secretario concessas, SSmus D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Notarius.*

DUBIUM: an et quomodo liceat aut oporteat curare operationem caesaream super muliere certe vita functi.

Beatissime Pater.

Episcopus N. N. ad V. S. pedes provolutus, quae sequuntur exponit:

Parochus N. N. in hac Dioecesi, iuxta Ritualis Romani praescripta, iuxta etiam preces mulieris praegnanfis et graviter decumbentis, super hac muliere, iam certo mortua, curavit ut operatio caesarea fieret. Medicus absens erat, et operatio facta fuit ab alia persona capaci. Puer vivus erat et fuit baptizatus. Propter hoc factum praefatus parochus fuit accusatus^

sed a iudicibus civilibus sine ulla condemnatione remissus-Postea autem, et propter idem factum, dictus parochus a Gubernio stipendio annuo fuit privatus.

Quaeritur ergo:

1. Parochus N. N. egitne recte curando ut fieret operatio,. medico deficiente, ab alia persona capaci, morte quidem certa,, sed non legaliter recognita?

2. Parochus, vel alius sacerdos, debetne curare ut, in iisdem supradictis circumstantiis, operatio, de qua agitur, fiat,, etiam quando sequi debet privatio annui stipendii?

Et Deus etc.

Feria IV, die 13 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis áb Emis. ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus-Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres-respondendum mandarunt;

Detur Decretum S. Officii diei 15 Februarii 1780 ad Vicarium Apost. Sutchuen.

Porro citatum Decretum sic se habet:

« Ubi de rebaptizandis parvulis Rituale Romanum hoc* praescribit scilicet: *Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur,* huc usque inter christianos-casus occurrit, sed regula praescripta nunquam observata est,, neque unquam promulgata. Rationes sunt: summa repugnantia quam Sinenses habent ad eiusmodi sectionem, absoluta apud ipsos artis anatomicae imperitia, gravissimum periculum atror ees calumnias contra religionem excitandi gravesque persecutiones sustinendi cum discrimine salutis et vitae saltem proiis qui sectionem tentare auderent, si factum ad notitiam gentilium perveniret, quod admodum facile est. Causae praedictae possuntne silentium excusare?

Resp. Etsi caute prudenterque agendum sit, ne cum paucos quaerimus, multos amittamus, agendum eSse tamen, et sectionis a Rituali praescriptae notitia ingerenda,, ne oblivisci videamur eos, quos abundantiori charitate manifestum est indigere. Erit proinde e missionariorum debito, paulatim et opportune commonere Sutchuenses de miserrima parvulorum per-

ditione in uteris matrum decedentium, quibus opitulari nihilominus, quoad humanae possunt vires, postulat christiana charitas, postulat ecclesiastica sollicitudo. Neque improbum videri debere Sutchuensibus ut ullis fidelibus secare matrem mortuam cum et Dominicum latus dissectum sit pro nostra redemptione. Illud potius rationi absonum atque ab omni pietate remotum, pro inani integritate pudoreque servando defunctae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere. Certe, non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. Haec autem foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda, ut dicimus, ac persuadenda sit, expresse tamen cavet, prohibetque Sanctitas Sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde missionariis fuerit illius notitiam edidisse, curasseque ut eius perficiendae rationem perdiscant qui chirurgicis intendunt, laici homines, tum vero, cum casus tulerit, eiusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse ».

Sequenti vero feria VI, die 15 eiusdem mensis et anni, per facultates Emo ac Rmo Dno. Cardinali S. Officii Secretario concessas, SSmo D. N. Leo div. prov. Pp. XIII resolutionem Eminentissimorum ac Rmorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. *et* U. Inquis. *Notarius.*

DUBIUM : an attingat quoque ministrum generalem Ordinum Religiosorum decretum S. Officii declarans, transire ad successores facultates ad Ordinarios concessas.

Beatissime Pater,

Superior Generalis Ordinis N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter postulat ut declarare dignetur:

Utrum resolutio S. R. et U. Inquisitionis diei 3 Maii 1899 a S. V. approbata die 5 eiusdem mensis et anni, qua declaratum fuit omnes facultates speciales a Sancta Sede habitualiter concessas Episcopis aliorumque locorum Ordinariis, licet ad praefinitum tempus, ob eorum mortem vel a munere cessationem ad Successores transire, se extendat ad omnes Superiores. Et Deus etc.

Feria IV, die 20 Decembris Î899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis coram EEmis ac RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, proposito supradicto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum decreverunt:

Supplicandum SSanetissimo pro extensione decreti fer. IV 3 *Maii 1899, ad Superiores Generales Ordinum Religiosorum.*

Sequenti vero fer. VI, die 22 eiusdem mensis et anni, per facultates Emo ac Rmo Dno Cardinali S. Officii Secretario tributas, SSmus D. N. Leo div. prov. Pp. XIII, resolutionem EEmorum ac RRmorum Patrum approbavit, ac extensionem praedictam benigne concessit.

I. Can. MANCINI S. *R. et U. Inquisii. Notarius.*

DUBIUM: an Congregationes religiosae votorum simplicium subiiciantur decreto prohibenti ne superiores excipiant confessiones propriorum subditorum.

Beatissimo Padre

Il Procuratore Generale delia Congregazione Religiosa N. N. prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone quanto appressp:

È stato dichiarato dal S. Uffizio nel di 23 agosto 1899 che col decreto che vietava ai Superiori delle Comunità Religiose di confessare i proprii sudditi non si è derogato ai decreti di Clemente VIII, i quali stabiliscono che i Novizii degli Ordini Religiosi non solo possono, ma debbono confessarsi col proprio Maestro che è il Superiore del Noviziato. Più, che i Superiori possono confessare i proprii sudditi quando trattasi di peccati riservati, ovvero quando ne siano da essi liberamente richiesti.

Ora essendo stato detto nella dichiarazione che i prefati decreti di Clemente VIII non sono stati derogati *quoad Ordines Religiosos,* si domanda se tale dichiarazione vale anche per le Congregazioni religiose di voti semplici, che hanno voti perpetui, vivono in vita comune e sono approvate dalla Chiesa.

Che ecc.

Feria IV, die 20 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab EEñiis ac RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, proposito supradicto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum decreverunt:

Negative.

Sequenti vero feria VI, die 22 eiusdem mensis et anni, per facultates Emo ac Rmo Dno Cardinali S. Officii Secretario concessas, SSmus D. N. Leo div. prov. Pp. XIII resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIA circa augmentum congruae pro parochis.

Per la legge 4 Giugno 1899 n 350 e il regolamento approvato con R. Decreto del 25 Agosto 99 n. 350, i Parroci d' Italia hanno avuto un assegno di L. 900 annue e che saranno elevate appresso a lire 1000.

Ora un tale supplemento di congrua è dato dall'Amministrazione del fondo per il Culto, ricavandone le somme dai beni delle Ricettizie e Comunerie soppresse dal Governo e dai beni dell'Asse ecclesiastico, cioè a dire dei Benefizii soppressi e delle Comunità religiose espulse e spogliate. Di conseguenza quanto si dà ai Parrochi per congrua, o supplemento di congrua, non è della Parocchia, cui essa congrua o supplemento viene offerto.

Ciò posto, può in coscienza, un Parroco:

I. Accettare la congrua o il supplemento di congrua costituiti dai beni, che non erano della parrocchia, ma di altri corpi morali?

II. Se la congrua o il supplemento di congrua è dato ad un Parroco, nella cui Chiesa vi era la Comunería (Collegiata o

Ricettizia), e costituito dai beni della Comunería stessa, rilasciati ora ai Municipii, deve il Parroco farne parte al suo Clero o può tutto ritenere a sè come rendita della Parrocchia?

III. E qualora sa il parroco che l'assegno suo, avuto dal Fondo Culto direttamente, o per mezzo del Municipio, apparteneva ad ente morale (posto nella sua Chiesa o altrove) con determinati pesi di Messe ed altre opere di culto e di pietà, deve egli, almeno in proporzione dell' assegno, soddisfare i pesi stessi ?

IV. Deve nell'atto di accettazione il parroco fare almeno oralmente qualche protesta, anche per non incorrere nelle censure emesse contro gli usurpatori di beni della Chiesa?

V. Possono i Vescovi gravare essi il supplemento di congrua dato ai Parroci, a beneficio della loro Chiesa o del loro Clero?

VI. Iranno i Vescovi facoltà di trattare essi stessi, o i Parroci, col Fondo per il culto e coi Municipii di tuttociò che riguarda la congrua o il suo supplemento?

Sacra Poenitentiaria ad praedicta dubia respondet:

Ad L Attentis temporum circumstantiis; tolerari posse, remoto scandalo, et habita intentione standi mandatis Ecclesiae.

Ad IL, III., et V. Recurrendum ad S. Congr. ^Concilii.

Ad IV. Satis esse seroare conditiones appositas in responsione ad I.

Ad VI. Tolerari posse.

Die 14 Decembris 1899.

DUBIA quoad novam legem de translatione bonorum ecclesiasticorum ad Municipia.

I. Ê lecito ai Comuni chiedere o accettare dal Fondo per il Culto la consegna delle rendite delle soppresse Chiese ricettizie e Corporazioni religiose con le condizioni stabilite dalla suddetta legge (del 4 Giugno 1899)?

II. I Comuni che vantano giuspatronato sulla Chiesa Parrocchiale, o tengono stanziata sul bilancio comunale una somma per le spese di Culto, possono lecitamente, per non gravar molto le popolazioni, cancellare nel bilancio comunale *V* articolo Culto, sopperirvi invece la rendita delle soppresse Chiese Ricettizie, come prescrive la legge?

III. La rendita eccedente può considerarsi come proprietà de'Comuni? e questi possono considerarsi non tenuti all'adempimento dei pesi religiosi annessi alle fondazioni abolite, oppure afficienti le rendite dei corpi morali e degli enti ecclesiastici soppressi? .

Sacra Poenitentiaria ad praedicta dubia respondet:

Ad I. et II. Attentis temporum circumstantiis, tolerari posse, remoto tamen scandalo et omni opera adhibita ut quantum fieri potest Ecclesiae utilitas curetur.

Ad III. ***Reformato dubio:*** « Se i Comuni siano tenuti all'adempimento dei pesi annessi ai beni o rendite ecclesiastiche, ricevute dall'Autorità Civile».

Resp. ***Quoad eius fieri potest, affirmative.***

Die 14 Decembris 1899.

DECLARATIONES quoad suspensionem facultatum erga Episcopos.

« Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, declarat, per Bullam ***Quod Pontificum,*** ratas firmasque manere pro utroque foro, et pro quibuscumque casibus, tum occultis tum publicis, facultates omnes quas Episcopi et Ordinarii habent sive ex iure communi- ecclesiastico, praesertim Concilii Tridentini, sive ex speciali indulto ab Apostolica Sede forte concesso in casu aliquo particulari pro determinatis personis nominatim expressis.

Ceteras vero facultates omnes, sive temporáneas sive perpetuas, quocumque modo concessas, sive a S. Poenitentiaria, sive a S. aliqua Congregatione, seu etiam immediate ab Ipse Summo Pontifice, si sint pro foro interno, omnino cessare; si sint pro foro externo (qualis censenda est illa dispensandi in Matrimoniis mixtis), manere.

Ad consulendum autem iis qui legitime impediuntur, quominus Romam accedant, provisum per declarationem huius S. Poenitentiariae datam die 21 Decembris 1899 cuius exemplar transmittitur».

DECLARATIO quoad Bullam Cruciatam.

Avendo l'Emo Cardinale Arcivescovo di Palermo chiesto che nel corrente Anno santo non siano sospese le indulgenze, le facoltà e gl'indulti concessi per la Bolla della Crociata, dalla S. Penitenzieria fu emanato il seguente Rescritto, approvato da Sua Santità nella Udienza del 19 Gennaro 1900 :

« Placere S. Sedi ut indulgentiae, facultates et indulta per Bullam Cruciatae concessa hoc quoque anno Iubilaei in suo robore maneant; et Emus Archiepiscopus curet ut haec gratia in notitiam eorum veniat, ad quos spectat, datis litteris ad Commissarios Cruciatae in Sicilia, et ad Archiepiscopum [Dioecesis Neapolitan. pro Commissariis Italiae Meridionalis ».

DECLARATIO. Concessiones Bullae ***Aeterni Pastoris*** extenduntur ad Religiosas votorum simplicium.

L'Emo Card. Vicario di Roma ha chiesto alla S. Penitenzieria: «Se le Monache professe di *voti semplici* siano comprese nella Bolla *Aeterni Pastone:* e se le medesime, durante l'anno giubilare, debbano scegliere il confessore fra gli approvati *pro Monialibus;* ovvero possono eleggerlo fra quelli che sono approvati dall'Ordinario per le persone secolari ». — E la S. Penitenzieria, il dì 11 Gennaro 1900 ha rescritto :

« S. Poenitentiaria consideratis expositis, respondet: Ad. Moniales quoque simplicia vota professas spectare beneficia Bullae *Aeterni Pastoris,* eisque licere confessarium sibi semel eligere ex simpliciter approbatis ad audiendas confessiones personarum saecularium ».

NOTIFICATIO qua E.mus Card. Vicarius Romae concessit unicuique confessori saeculari aut regulari speciales facultates pro ***anno sancto.***

Domenico Maria del titolo de' Ss. Marcellino e Pietro della S. R. C. Cardinale Iaeobini, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, delia Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario.

La Santità di Nostro Signore, nella Costituzione *Quoniam divinae bonitatis,* pubblicata ai 21 ottobre p. p., dopo aver con-

cesse amplissime facoltà non solo ai Penitenzieri delle Quattro Basiliche Patriarcali, ma ancora ad altri, da deputarsi nelle chiese di Roma da Sua Eminenza Riña il Signor Cardinal Penitenziere Maggiore, per l'entrante Anno Santo, si è benignamente compiaciuta di accordare speciali facoltà, benché minori delle precedenti, anche ad altri Confessori da deputarsi da Noi per maggior comodo e spirituale consolazione dei fedeli.

Inerendo pertanto all'accennata Costituzióne, deputiamo tutti e singoli i Confessori, tanto Regolari che Secolari, approvati « pro utroque sexu » da Noi, ovvero dall' Illiìio e Rmo Monsignor Vicegerente, per questa città o suburbio, con pagella « Ad Annum » : di maniera che, per tutto il decorso dell'Anno Santo, s'intendono loro accordate le facoltà espresse nella medesima Costituzione, dal § XXII a tutto il § XXIV, le quali però dai Confessori secolari non si possono esercitare fuori delle chiese indicate nella rispettiva pagella.

Ordiniamo perciò a tutti questi confessori di leggere e considerare attentamente i salutari avvertimenti, che, nella ripetuta Costituzione si contengono, come ancora l'altro documento apostolico, intitolato : « Monita excerpta ex Constitutione Benedicti XIV etc. » e il cui tenore comincia con le parole: « Singulares ad expiandos ». Concediamo inoltre ai medesimi Confessori, durante parimenti tutto l'anno del Giubileo, la facoltà di assolvere nel foro della coscienza dai due [peccati a Noi riservati.

Non intendiamo accordare le sopraddette facoltà a quei Confessori che sono stati o saranno approvati semplicemente a voce per qualsiasi tempo, o anche con pagella per un tempo minore di un anno, e vogliamo che la presente notificazione si tenga affissa nelle sagrestie in luogo visibile.

Dato dalla Nostra Residenza, il 3 gennaio 1900.

DOMENICO MARIA CARD. VICARIO.

L. * S.

PIETRO Can. CHECCHI *Segretario.*

DUBIUM ; inchoari ne potest, incipiente die ecclesiastico, nova visitatio quatuor Basilicarum, iam expleta eodem die naturali.

Super dubio sequenti de visitatione Sacrarum Basilicarum quoad indulgentiam Iubilaei lucrandam, ut conditio necessaria praescribitur, quaeritur: Utrum terminata eodem die naturali visitatione quatuor Basilicarum, statim possit, quando incipit novus dies ecclesiasticus, inchoari nova quatuor Basilicarum visitatio, iterum ingrediendo in Basilicam ultimo loco visitatam.

Die.28 Ianuarii 1900.

Sacra Poenitentiaria ad propositum dubium respondet: Affirmative.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 31 Ianuarii 1900.

NONNULLA DUBIA excerpta ex Constitutione ***Quoniam divinae.*** **(1)**

N°. IV. — Absolvere____possint a supra dictis censuris et peccatis——poenitentes, quamvis censurae, quibus adstricti sunt publicae sint, ***in locis unde venerunt*** (1) et quamvis deductae aut nominatim declaratae ac denunciatae in iisdem locis sint per Ordinarios aut quoscumque Iudices : praemonitis tamen poenitentibus de libello, ut infra, in ***casibus publicis*** (2). Poenitentiariae Apostolicae omnino submittendo . . . .

Haereticos vero, qui fuerint publici dogmatizantes, non absolvant, nisi, ***abiurata haeresi*** (3), ***seandalum,*** ut par est, ***reparaverint*** (4).

DUBIA

I. (1) His verbis, exclusi ne intelligi possint, qui Romae degunt, cum de his non videantur stricto sensu verificari verba - ***in locis unde venerunt*** -, an etiam cum his eadem ac cum aliis regula servanda est?

II. (2) Libellus, de quo agitur, confici ne debet indiscriminatim de omnibus censuris, dummodo sint publicae, quamvis non sint deductae, aut nominatim declaratae ac denunciatae, an tantum de publicis quae sint insimul deductae, aut nominatim declaratae, ac denunciatae?

(1) Relata fuit Constitutio haec Vol. XXXII, 265.

III. (3) Haec abiuratio debet ne esse *absolute* publica ac in forma solemni ab Ecclesia praescripta, an sufficere possit ut fiat coram confessario, vel quomodo?

IV. (4) Scandali reparatio debet ne absolute praecedere absolutionem, an si hic et nunc fieri nequeat, sufficiat ut huiusmodi poenitentes serio promittant se scandalum reparaturos, praesertim si de longinquo venerint?

DUBIA EXCERPTA ex « Monitis » (1).

N°. XIV. — Si quis post Confessionem peractam in lethale peccatum inciderit, antequam omnia omnino opera ad Iubilaeum lucrandum iniuncta expleverit, Confessionem denuo praemittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis operibus iniunctis expleat, ut Indulgentiam Iubilaeo adnexam consequatur (1).

DUBIUM

V. (1) Quaeritur: An in hoc casu pro ultimo opere sufficiat Sacra Communio?

N°. XIX. — Qui per Anni Sancti spatium bis aut pluries omnia et singula opera . . . . iteraverit, bis quoque aut pluries poterit Anni Sancti Iubilaeum lucrari____ita tamen ut qui semel illarum gratiarum particeps factus est prima vice qua Iubilaeum consecutus est, iterum earum particeps fieri non poterit (1).

DUBIUM

VI. (2) Quaeritur: An inter gratias quarum secunda vice particeps quis fieri non potest pro acquisitione Iubilaei recenseri debeat etiam commutatio visitationum Basilicarum, ita ut qui prima vice iam fruitus est, secunda vice illius commutationis particeps fieri non potest?

N°. XXIV. — Visitatio quatuor Basilicarum in uno die fieri debet etc. (1).

(1) Monita habentur Vol. XXXII, 528.

DUBIUM

VII. (3) Pro secura praxi fidelium, quaeritur: utrum ille qui ex. gr. post horam diei civilis decimam quartam explevit visitationem quatuor Basilicarum, sive tenuerit computationem diei naturalis, sive ecclesiastici, possit denuo ingredi postremam Basilicam, et ibi utiliter iterare statim novam visitationem cum animo perficiendi reliquas visitationes die sequenti?

N°. XXV. — . . . . et qui Astrologia iudiciaria vel per se vel per alias de statu reipublicae etc. (1).

DUBIUM

VIII. (4) Cum iste casus non videatur nec ***directe,*** nec ***indirecte*** contineri in Constit. ***Apostolicae Sedis,*** quaeritur: an sit aliqua nova censura, vel considerari debeat uti specialis casus R. Pontifici reservatus absque censura? quid tenendum?

Sacra Poenitentiaria ad proposita dubia respondit: Ex Constit. ***Quoniam divina,*** ad I^um^. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad II^um^. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad III^um^. Reparatio scandali publici debet esse publica: abiuratio potest esse secreta apud ipsum Confessarium. Ad IV. Si serio promittat, affirmative. — Ex ***Monitis,*** ad I^um^. Affirmative. Ad II^um^. Affirmative. Ad III^um^. Praecisione facta a definitione temporis quo Vesperae incipiunt qua de re consulat probatos auctores, quoad cetera affirmative. Ad IV^um^. Qui Astrologia iudiciaria vel per se vel per alios de statu reipublicae christianae inquisierit, ii sunt intelligendi qui de vita aut morte Romani Pontificis per Astrologiam dictam inquisierint, quorum censuras Const. ***Apostolicae Sedis*** servavit incolumes.

Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 20 februarii 1900.

B. POMPILI S. P. ***Corrector.***

A. Can. MARTINI S. P. ***Secretarius****

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 17 Iunii 1899.

Sess. 24, cap. 5, De Ref. Matr.

COMPENDIUM FACTI. Gabriela L. puella non minus venustate quam religione ac morum ingenuitate praestans, postquam in sana educatione Parisiis instituta fuerat in sacro recessu monialium ***de L'Assomption,*** decimum octavum aetatis annum vix attingens die 17 Februarii 1890 matrimonii foedere iuncta est cuidam Leoni R. Nuptiae celebratae fuerunt Parisiis in Ecclesia S. Mariae, vulgo ***des Battignolles,*** coram parocho et testibus, servata in omnibus forma SS. Concilii Tridentini ; at infausto sidere.

Quandoquidem coniuges ab ipso exordio coniugalis vitae communione thalami usi sunt, repetitis vicibus matrimonium consummare tent&^unt ; sed, si mulieri fides adiicienda est, coniuges ob genitálium viri inertiam numquam coniugale opus perficere valuerunt.

Hac de re vita coniugalis haud mutuo amore prosecuta est ; imo, si vera narrantur, vir cum uxore inhumane egit et eam non uxorem, sed uti mancipium habuit. Hisce tamen non obstantibus, coniuges per septem circiter annos una simul cohabitarunt ; donec percrescentibus domesticis contentionibus, die 22 Maii 1897 mulier marito valedixit et, parentibus annuentibus, in quamdam domum monialium se recepit, in qua hactenus commoratur.

Interea Gabriela, postquam a tribunali civili sententiam divortii petiit, ad SSmum supplicem misit libellum, adprecans ut secum dispensaretur a matrimonio rato et non consummato. Huiusmodi preces ablegatae fuerunt Emo Archiepiscopo Parisiensi, qui SSmi Patris iussa faciens, processum conficere curavit per iudicem delegatum. Hic ad examen

in primis vocavit ipsam actricem, quae iurata asseruit matrimonii non consummationem et causam viri impotentiae adscripsit. Testes septimae manus deinde excussi sunt, qui iurati pariter in eiusdem actricis favorem deposuerunt. Peracta demum fuit corporalis inspectio actricis a duobus medicis, qui visi sunt pro matrimonii non consummatione iudicare. Vir et ipse in iudicium vocatus fuit ; sed, non obstante trina admonitione, iudicis mandato obtemperare renuit. Quare iudex Parisiensis acta S. C. transmittens, haec simul significabat :

« Duo tantum notanda esse puto. Oratrix primum, dein parentes eius ac testes cuncti fide digni sunt, cum religione, bonis moribus et maxima honestate praediti sint. Inter quos eminent presbyteri, sive ex officio sive ab actrice vocati, tandemque simul superiorissa monasterii B. M. V. Assumptae ».

« Reus quidem, in altera parte, nec comparere nec etiam respondere consentit, seu propter confusionem sui ipsius mV mis sentitam, seu propter suam agendi rationem, vel potius propter auctoritatis Ecclesiae consumptum. - Unde plus facere omnino impossibile et equidem inutile Tribunali visum est, cum aliunde inconsummationem, ut videre est, ex actis plane probari sentiamus ».

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Qui actricis defensionem suscepit, praemissa factorum narratione, tres in partes orationem suam dispescit, in quarum prima ex Gabrielae testimonio, testium depositione roborato, matrimonii non consummationem probat : in altera idem confirmat ex physico actricis corporis experimento et ex adiunctis ; in tertia tandem de dispensandi causis agit. Et a primo capite exordiens, quod matrimonium in casu consummatum non fuerit, ex actricis depositione imprimis probat. Gabriela enim in iudiciali examine iurata fassa est, absque ulla haesitatione, matrimonium numquam fuisse consummatum : cum omnibus circumstantiis

particulatim describit tentamina ad copulam, quaeque tamen, ob genitali um viri flacciditatem, semper inutilia evaserunt ; unde ingenue religiosa oratrix suam depositionem hisce verius complectitur : « Toutes les tentatives ont été sans résultat : j'en attribue la cause à l'impuissance de mon mari... Au bout de huit mois toutes les tentatives cessèrent et il n'en fut plus question. - J'affirme de la manière la plus absolue que le mariage n'a pas été consommé et j'accepte ***de*** me soumettre à l'expertise médicale ».

Hanc vero confessionem plurimi faciendam esse vult defensor, cum neminem lateat compertum in iure esse, alicuius iusiurandum in ius interpositum, veritatis praesumptionem inducere, ita ut pro veritate habeatur, donec de honestate iurantis nullum dubium adest. Imo ex recepta •S. C. C. iurisprudentia, ut ait Pallottini *voc. disp. matr. rat. et non cons. § XII n. 87-89,* « iuramentum coniugum, «etiamsi nihil aliud praesto est, satis habendum videtur : id autem magis si iurans sit persona probae conscientiae ».

Hac de re patronus plura exempla S. O. C. affert, in •quibus unicum, vel fere unicum argumentum pro inconsummatione erat religiosi coniugis iuramentum. Ita in Parisien, diei 26 Iunii 1858, Leo de Grolée iuramento affirmabat matrimonium non consummasse , dum mulier ex adverso virum sibi concubuisse affirmabat ; nihilominus spectata Leonis integritate, coniugium dissolutum est. - In Augustodunen. diei 15 Iulii 1893, matrimonium dispensatum fuit favore actoris Alexandri Chaullet, non obstante mulieris contumacia. - Item in Burdigalen. 12 Dec. 1896, in qua vir contumax erat et obs tetri cum iudicium fluctuabat ; tamen, attenta oratricis religione ac veracitate, ad eiusdem instantiam ultro admissa fuit matrimonii non consummatio. Item quampluribus aliis, ut ex Tergestina 21 Apr. 1877, Presmilien. Iun. 1896 etc.

Iamvero, pergit defensor, iuratae depositioni oratricis credendum est ; agitur enim de puella optimis moribus imbuta ac religiosissima, cuius laudes spectatissimi testes in

coelum extollunt et quae illa Iudici asseruit absque haesitatione credunt. Et hic advocatus refet perlongam seriem attestationum pleno ore, Gabrielae causae faventium, ex quibus ne infini tus sim praestantiores seligam. « Ma fille, ait actricis mater, est très-pieuse, travailleuse et vertueuse. Pour moi on peut avoir confiance absolue sur son affirmation faite devant le Tribunal Ecclésiastique ». Aloysia Leroy affirmat : « Madame R. ne mentira jamais. Je suis convaincue qu'elle n'a pas menti. C'est une personne bien élevée dans la foi catholique : la respectant et la pratiquant : élève de Dames de l'Assomption d'Auteuil et faisant honneur à son éducation ». Et Rev. Picard, testis ex officio, inquit: « Personnellement je suis convaincu que le mariage n'a pas été consommé.... Je fonde ma conviction sur le caractère de Madame R. sérieuse, pieuse, que j'ai toujours connue loyale ». Item Sac. Michael Bougeât, Vicaire à S. Vincent de Paul : « J'ai la conviction, une réelle certitude que le mariage n'a pas été consommé. Gabrielle Lemoux est **Une** femme droite; très-pieuse, très-dévoué à ses devoirs.... je n'ai le moindre doute et son afiirmation seule sans la foi du serment suffirait pour me donner la conviction de la non consommation du mariage ».

Quibus concinunt plurimi alii: ut Aloysius Ferembach, qui ait: « Je crois absolument à la véracité de ma belle sœur Gabrielle ». - Sac. Barbé : « Cette dame est une bonne chrétienne, et je la crois incapable de se parjurer sur une question aussi grave ». - Sac. Poulin, in paroecia S. CIotildis vicarius : « Je suis convaincu de la non consommation— par la confiance absolue que j'ai dans Madame R. et sa famille ». - Tandem Soror Magdalena ***de Jésus*** praeses monialium Assumptionis B. M. V.: L'Affirmation'• de Gabrielle suffit à elle seule pour me donner une conviction absolue. L'enfant est exceptionellement vertueuse, franche, droite, pieuse, foncièrement honnête, très-innocente et ne nous à jamais donné ici que de la satisfaction..... Venue ici (post discessum a viro) très surexcitée et bouleversée,,

devint en quelques jours obéissante comme une pensionnaire : ne sortant jamais, faisant passer par moi toutes ses correspondences : nous édifiant par sa simplicité, son sérieux, et la fréquentation des Sacrements, qu'elle n'abandonna jamais. Elle s'occupait beaucoup de travailler pour les pauvres ». - Sed horum omnium praestantissimum affert testimonium Curia Parisiensis de veracitate non solum actricis, sed eiusdem familiae ac testium ; ait enim : « Oratrix primum dein parentes ac testes cuncti, fide digni sunt, cum religione, bonis moribus et maxima honestate praediti sint ».

Retinet insuper advocatus, Gabrielam tempore non suspecto affirmasse, quod ea matrimonium non consummasset. Testis est Gabrielae soror, cui secundo post nuptias mense, fori arcana aperta sunt. - « C'est dans, ait, les deux premiers mois, qui ont suivi le mariage, que ma soeur m'a parlé de la non consommation. Elle me dit que la première nuit de noce son mari s'était jeté sur elle avec une précipitation extraordinaire, et que rien n'avait abouti. Plusieurs fois il avait renouvelé ses tentatives, et toujours sans résultat, même après une demie heure d'attente...... après 5 ou 6 mois de mariage elles ne se sont jamais renouvelées ».

Imo haud dissimili argumentatione, pergit patronus, probari Gabrielam de hac re conquestam esse non solum prioribus mensibus, sed toto tempore, quo vita coniugalis perduravit. Quinimo, quum mulieres quamplures ingenua puella secretorum participes fecisset, sermonibus est res divulgata, et in ore omni populo esse coepit. « Je suis personnellement persuadée que le mariage n'a pas été consommé puisque ma sœur m'a toujours dit qu'il n'avait jamais abouti ». (Clara Ferembach) - « J'ai su par la jeune femme •quelques mois après le mariage qu'elle ne pouvait pas être mère en raison de l'impuissance de son mari.... La jeune femme me répétait souvent. - Je suis toujours comme si j'étais jeune fille.... Comme je posais nettement la question à la jeune femme, elle me répondit - Oui : je suis toujours

là : j'ai une masse à côté de moi : voilà tout ». (A. De Lacour). Et mater oratricis, affirmat : « La première personne qui m'a parlé de la non consommation est ma fille ainée. C'était environ 15 ou 18 mois après le mariage. - Elle me dit en termes généraux : - Gabrielle se plaint de n'avoir aucun rapport avec son mari, parce qu'il est impuissant, dit-elle -. Elle ajouta, qu'il y avait déjà quelque temps que sa sœur lui avait demandé des renseignements ».

Item testis G. Falconnet : « Je suis personellement convaincu que le mariage n'a pas été consommé. Ma belle sœur s'est plainte à moi de la non consommation du mariage : elle en a parlé à ma femme. Elle me fit cette confiance environ deux ans après le mariage. Trois ou quatre ans après le mariage un frère qu'elle (Gabriela) aimait, et qui la soutenait, fut atteint d'une maladie de poitrine, dont il est mouru. Je la vis souvent pendant la maladie de son frère et constatant sa profonde affliction, je m'efforçai de la consoler, lui disant, tantôt que tout n'était pas perdu et que son frère pouvait vivre - tantôt qu'elle trouverait des compensations dans'le mariage, quand elle aurait des enfants - Je me souviens de l'accent désolé avec lequel elle me répondit - qu'elle n'aurait jamais des enfants ». Idipsum affirmant Sac. Claudius Poulin, et monialis Magdalena de Jésus, quae ait : « J'ai su par Gabrielle elle-même que son mariage n'avait pas été consommé ». Et A. De Lacour : « Elle a dit à tout le monde que le mariage n'avait pas été consommé : si bien qu'à Longjumeau comme à Paris,, c'est devenu un fait de notoriété publique ».

Imo, advertit defensor, quum tertio post nuptias anno,, legum latoribus deligendis comitia in Gallia haberentur, et Leo, quippe unus ex candidatis, suffragia venaretur, coniugii vulgo notam inconsummationem, qui aliis partibus fâvebant, illi palam per ephemerides exprobrarunt. « En 1893,, ait testis Leroy, quand Mr. Robelin se présenta aux élections législatives les journaux de la localité firent allusion à sa situation conjugale » - et Sac. Barbé parochus oppidi

Longjumeau affirmat : « que les adversaires politique des Mr. R . . . ^supplantés par lui à la mairie, se sont fait une arme contre lui de l'indélicatesse avec laquelle il avait osé épouser cette honnête fille, sachant qu'il était impuissant ».

Neque ambigendum est, Gabrielam praefatos testes fefellisse ; haec enim, respondet patronus, toto isto tempore, vel penitus ignoravit, coniugii se vinculo laxari posse. « Je l'adressai (après la séparation) à un vénérable religieux, qui, le premier, lui indiqua qu'elle était dans le cas d'une dispense religieuse » (Monialis Magdalena de Jésus) : vel si scivit, parentibus obsistentibus, de coniugio dissolvendo non cogitavit. Nil erat igitur, ait, cur fraudem molita de coniugii inconsummatione fabularetur.

Imo non solum Gabrielam, sed ipsum Leonern de coniugii inconsummatione, tempore non suspecto, confitentem audierunt, Hoc testantur, qui aderant, dum Leoni aut quis prolem ominabatur ; aut mirari se quodammodo ostendebat illum prole carere : « On pourrait voir, affirmat actricis mater, un aveu indirect dans une petite scène que nous nous donnâmes plusieurs fois le malin plaisir de recommencer. On parlait d'enfants, de petits bébés. Alors il changeait de couleur, devenait pourpre ou blême, paraissait nerveux et ennuyé et avec un empressement, qui nous amusait beaucoup, il détournait la conversation. J'ai été témoin de cela environ une dizaine de fois ». Et Sac. Bourgeat : « Un jour leur (coniugibus) ayant dit : - il ne manque plus à votre bonheur, qu'une douzaine d'enfants, je vous les souhaite de tout mon cœur, Mr. Roger Falconnet me dit: - Avez vous remarqué la figure de Mr. R. quand vous lui avez souhaité des enfants ? et il partit de là pour me dire...... ne souhaitez pas des enfants aux époux R.____ Il ne peuvent pas en avoir » - qui vero astabant, dum Gabriela suam sortem lugebat, virum, ut medicos consuleret, vehementer hortabantur: - « Je ne sais, ait praefata F. Lemoux, s'il a consulté des médecins : mais ma fille le lui

avait demandé plusieurs fois, même devant nous dans les derniers temps. Il répondit hypocritement - on consultera - et c'était tout - . . . . . . Huit jours avant la séparation nous étions tous chez eux a Longjumeau ; mon mari, moi, les jeunes gens et Mr. R. père. Ma fille se mit à faire des reproches à son mari. Elle lui dit : - C'est fini : ça ne peut pas durer : je ne veux plus rester : qu'est ce que je fais ici ? D'abord je n'ai pas de mari ; tu sais bien que tu ne peux pas l'être. C'est alors qu'il répondit : Mais, qu'à cela ne tienne je me ferai soigner ».

Tandem ex ipsa viri contumacia validum argumentum deducit defensor ad matrimonii non consummationem probandam : etenim, ait, cum mulier a Supremo Pontifice efflagitaverit ut suum matrimonium nullum declararetur ex capite viri impotentiae ac subordinate tantum petierit solutionem matrimonii ex capite inconsummationis ; si revera coniuges coiverint, vir tribunal adiisset, ut allatam calumniam, interposito iuramento, refutaret, Unde, deducit orator, vir iudicis mandato non paruit, quia calumniam contundere non valebat.

Ad secundum caput descendens patronus, matrimonii non consummationem probat ex physico argumento actricis virginitatis : en quod medici cognitores de Gabrielae virginitate opinati sunt. Doctor Bucquoy ait : « L'état des organes génitaux est tel qu'on peut affirmer qu'il n'a jamais dû pénétrer dans le vagin de corps volumineux : que par conséquent le mariage n'a pas été consommé. - Je conclus d'une façon certaine que le mariage n'a pas été consommé ». Nec dissimile est iudicium doctoris Ferrand. « De cet examen - je conclus - qu'il y a certitude morale que le mariage n'a pas été consommé. Je tiens la non consommation pour certaine ». Quibus concinit praeclarissimum testimonium celebris medici Brouardel, qui affirmat : « on doit admettre, qu'aucun corps aussi volumineux qu'une verge en érection n'a pu pénétrer à travers l'orifice de l'hymen ».

Frustra vero obiicitur in hymène lacinias peritos me-

dicos invenisse. Etenim, ait defensor, saepe numero occurruit hymen natura laciniosus; nec raro, dum frustra ingredi conatur, hymenem viri veretrum discindere solet. Ergo, infert, mulier corrupta non arguitur hymene lacinioso, nisi pateat, viri veretrum in cunnum ingressum, hymenem in lacinias secuisse. De quo quidem non vinculi defensori, non iudicibus ; sed medicis iudicandum, quippe normam medicina suppeditat, qua de hoc iudicetur et medicis in re medica credendum est.

Iamvero, pergit oratqr, mèdici, qui lacinias in hymene actricis natura inesse arbitrati sunt, uno ore tamen fatentur eas nihil de eiusdem virginitate detrahere : « L'examen attentif, ait med. Boucquoy, de la membrane bien étalée sous les yeux montre que cette membrane hymen est parfaitement intacte ; que le bord de l'orifice ne présente aucune cicatrice et ne donne aucun indice de déchirure. Ce que je viens de décrire est simplement une conformation naturelle. La symétrie que nous avons remarquée et surtout l'intégrité du bord de la membrane est pour moi la preuve physique et obiective que cette disposition n'est pas la conséquence de violences extérieurs ou des tentatives, qui, parait-il, ont été faites par le mari. L'état des organes génitaux, malgré les conformations particulières, sur lesquelles nous avons insisté, est tel qu'on peut affirmer qu'il n'a jamais dû pénétrer dans le vagin de corps volumineux. . . . . Ce qui me permet de conclure d'une façon certaine que le mariage n'a pas été consommé ». Item doct. Ferrand: « L'écartement des grandes lèvres nous fait découvrir un hymen assez bien conformé sans trace de rupture, souple et à bords légèrement frangés. Il est certain pour moi que s'il y avait eu introduction d'un membre viril, nous aurions remarqué quelque rupture.... C'est pour cela.... que je tiens la non consommation pour certaine ».

Et consulte ita senserunt medici, ait orator ; etenim in hisce laciniis congruentia formae (graece symmetria) naturae opus mirifice indicat. « L'imene può offrire delle

piccole intaccature congenite la cui conoscenza è necessaria per non confonderle colla conseguenza delle deflorazioni— In ordine a queste intaccature congenite la posizione di esse, la poco profondità, l'abituale simmetria, rendono soltanto con un poco di pratica la" diagnosi facile e premuniscono da errori » (Oesterlen in Maschka trat t. de med. leg. vol. III caratt. verg. stupro pag. 109 e 133). Nec, urget cicatrix, hymene dirupto, ullo spatio evanescere potest. « La guarigione non mena mai ad una restitutio in integrum, ma secondo la grandezza e la estensione della lacerazione lascia una breccia o una intaccatura, i cui margini in seguito del processo di cicatrizzazione diventano col tempo più saldi e più resistenti del restante imene » Oesterlen in Maschka ibid. pag. 132).

Ulterius aliae probationes ad probandam matrimonii inconsummationem sunt praesto advocato, argumenta nempe deprompta ex adiunctis. Recolit enim orator virum Gabrielam sibi iunxisse, quo liberius honores aucuparetur : item omnibus fuisse notos modos inhumanos, quibus perdurante vita coniugali, vir cum uxore egit : « Il semblait, ait actrix, m'avoir prise seulement pour tenir la maison. Il trouvait agréable d'avoir une femme aimable pour tenir son intérieur, et en faire les honneurs, peut-être pour se créer une situation politique, et il ne semblait pas avoir eu d'autre but en se mariant » (Rev. P. Picard.) - Item Lemaux: « Les époux en réalité ne se parlaient jamais : ils se boudaient parfois pendant deux mois. J'ai su, ait sacer. Barbé, depuis qu'il la traitait comme une petite bonne, au point de vue de l'argent avec autant de rigueur qu'une domestique ». Et Sac. Poulin affirmat : « Il la tenait dans une dépendance qui allait presque jusqu'à l'oubli de sa dignité d'épouse. Elle n'avait ni argent, ni même la clé de la cave. Elle était contrainte de demander l'argent aux domestiques. Il n'avait aucun égard pour elle ». Quocirca, deducit defensor, nil mirum, si in tanta animorum discordia coniuges non coiverint.

Tandem, advertit orator, in casu non deesse grave dubium imo certitudinem viri impotentiae quandoquidem, ait, neminem latet ipsos propinquos ac viri amicos illum impotentem agnovisse, atque ipsum virum se in venerem frigidum agnovisse, quum uxori id acriter increpanti, promisit se medicos consulturum. « Il a fait, ait sac. Bourgeat, une mauvaise action en se mariant. Tous ses amis à Longjumeau savent qu'il n'aurait pas dû se marier ». Et F. Falconet : « Dans l'entourage des deux familles on plaignait beaucoup la jeune femme : on savait pertinemment que Mr. Leon ne pouvait pas être un mari pour elle. Oui. J'ai entendu dire que Mr. était absolument impuissant : et que cette impuissance était un vice de conformation ». - « J'ai entendu dire, affirmat A. Champs viri consobrinus, dans l'entourage des deux familles que Mr. R.... était impuissant»; et testis Ferembach repetit : L'impuissance m'a été confirmée d'une façon toute fortuite vers la quatrième année du mariage. Je me trouvais avec un cousin de Mr. Leon.... Il me dit. Oh cette pauvre Gabrielle : elle n'est pas heureuse !.... Je fis l'ignorante, et lui demandai : Pourquoi, dites-vous cela ? Il me dit : parceque Mr. Leon n'est pas comme les autres ». Et, ceteris omissis, Sac. Barbé, parochus oppidi Longjumeau, ait : « Les adversaires politiques de Mr. Leon supplantés par lui à la mairie se sont fait un'arme contre lui de l'indélicatesse avec laquelle il avait osé épouser cette honnête jeune fille, sachant qu'il était impuissant. Et à présent même qu'il va se présenter à la députation, ils s'apprêtent à le lui reprocher, comme un crime dans les réunions publiques ».

Gradum deinde faciens orator ad causas dispensationis, ait, non ordinarias tantum, sed specialem etiam verificari, nempe, ut supra demonstravit, gravissimum dubium viri impotentiae vel potius certitudo, quo in casu ex traditis a De Luca ***theatr. ver. et inst. lib. XIV discept. 9 % 8 «*** dispensatio videtur potius quaedam administratio iustitiae ita prudentialiter, sub alio titulo magis honesto, more principis, administratae ».

Aliam causam erui dicit ex animorum aversione nullaque spe pacis conciliandae quod ad dispensandum gravissimum censetur, Card. Coscius ***de sep. thori lib.*** ***Cap.*** *XIV § 251.* De hac autem coniugum aversione omnes fere testes loquuntur, causam agnoscentes in viro, qui non modo uxo^ rem contempsit, sed eiusdem religiosa principia impugnare ausus est.

Tandem gravissimum subsequitur argumentum dispensandi ex periculo incontinentiae et fornicationis, Coscius ***ibid.*** § *11'* Id autem admodum timendum est, cum agatur de muliere, quae ut aiunt testes : « Elle a l'instinct maternel très développé.... - L'enfant aurait fait avec un autre mari une excellente mère de famille. - L'amour seul des enfants l'avait décidée au mariage ».

ANIMADVERSIONES VINDICIS S. VINCULI. Totis e contra viribus contendit sacramenti vindex non liqüere de asserta matrimonii non consummatione. Et in primis contendit gravem adesse praesumptionem de matrimonii consummatione ; quandoquidem coniuges una simul habitarunt per septem annos et ultra ; et ex phalange testium, qui actricis actionem communire pertentant, ne unus quidem dissidia inter coniuges exorta fuisse audet affirmare ; imo omnes publica coniugalis concordiae argumenta, quippe quae celare minime possunt, haud diffitentur.

Profecto Pater Franciscus Picard, praeses totius Ordinis Augustinianorum ab Assumptione, ascito iuramento, postquam praemiserat : « En l'automne de 1896 (idest post coniugum dissociationem) je me trouvais à Livres quand je reçus la visite de Madame Gabriel qui m'a dit que la vie comune était paisible agréable, que jamais il n'y avait eu des scènes et difficultés a l'intérieur. Mr. Leon avait des opinions politiques assez avancées, aussi la paix de l'intérieur n'en était pas troublée ».

Insuper Michael Bourgeat, viceparochus, qui etsi misericordissimum in Gabriellam sese exhibeat, refert tamen : « Elle (Gabriela) m'a avoué que pour faire naître une cause

de séparation, dans les derniers temps, elle avait essayé, quand ils étaient devant témoins, d'exciter son mari contre elle de manière à ce qu'il se portât à une voie de fait contre elle. Elle croyait qu'il n'y avait pas d'autre moyen d'obtenir une séparation. A la fin n'y tenant plus, la veille ou l'avantveille d'un Dimanche, où son mari recevait des hommes politiques elle écrivit à sa mère que tout était fini et qu'il fallait venir la chercher. La mère partit, mais dans le but de la faire rester : mais la fille fut tellement mécontente qu'elle comprit qu'il n'y avait plus qu'à la ramener - c'est ce qu'elle fit. J'avoue qu'en cette circonstance, j'ai admiré le courage et la ténacité de cette pauvre enfant ».

Post haec orator non movetur ab iis quae de matrimonii non consummatione et de viri impotentia narrat Gabriela coram iudice ; quandoquidem, ait defensor, tempore suspecto fuerant relata, et haud veritati sunt consona. Praeprimis enim negotium facessit agendi ratio parentum. Nemo enim melius quam parentes perspectam habere potest vitam coniugalem Gabrielae : et nemo impensius quam parentes Gabrielae utilitati studet. Sed, pergit defensor, parentes « loin de l'aider, avaient tout fait pour la faire rester dans cette situation, croyant remplir leurs devoirs ».

Deinde prosequitur, simulatio, ut ait Rota ***decis. 791, n. 17, part. 18, recent.,*** proxima est falsitati, a qua religiosa puella semper abhorret. At de Gabriela ipsemet Michael Bourgeat testatur: « Elle m'a avoué que pour .faire naître une cause de séparation, dans les derniers temps, elle avait essayé quand ils étaient devant témoins, d'exciter son mari contre elle, de manière à ce qu'il portât à une voie de fait contre elle ».

Postremo, si Gabriela vera renuntiat, dum matrimonium ex culpa viri seu impotentia asserit mansisse inconsummatum, non esset cur Gabriela mariti saevitias simularet. Nam, ad obtinendam separationem sat superque est : « l'injure grave qui resuite pour elle, de la non consommation ».

Specimen insuper in actricis corpore a medicis Brouardel,

Bucquoy et Ferrano! peractum haud commovet vinculi defensorem, quia caret praecipuis cautelis ad hoc a iure invectis, ut huiuscemodi experimenta in pretio haberi possint. Revera in Instructione S. C. C. 22 Aug. 1840 cautum est ut corpus mulieris perlustrent tres saltem obstetrices ; idque ita peragant, ut quaelibet obstetrix scriptam expletae explorationis relationem emittat, atque iudiciale subeat examen, antequam cognoscere possit testimonium aliarum obstetricum ; cautum pariter est ut duo saltem medici obstetrices recognitionem corporis peracturas instruant, ac relationem obstetricum expendant ac iudicent. Quocirca quinque saltem testes adhibendi sunt; scilicet tres obstetrices et duo medici ; et ad praecavenda quaecumque fraudis collusionisque pericula sancitum est, ut quilibet testimonium suum edat prius quam de aliorum testimonio certiorari vel suspicari ullatenus queat.

At in praesenti causa, ne somnio quidem cogitatum est de obstetricibus, sed duo tantum (medicus Brouardel extraiudicialis est) adhibiti in iudicio sunt, qui non seorsim, sed una simul negotium expleverunt : muliebria recognoscere contenti fuerunt, quamvis totius corporis habitus, ut saepe saepius demonstratum est, sit explorandus.

Neque, insuper, ait orator, medici sunt admodum concordes : et quod magis est, ne unus quidem audet ex medicae artis praesidiis concludere illam esse virginem ; sed virginitatem hariolantur ex iis quae ab ipsa actrice audierunt, mandatum excedentes ; cum ipsi non qua testes de auditu, sed qua in arte periti adhibeantur.

Etenim, pergit vinculi tutor, medici cognitores Brouardel et Bucquoy de hymene testantur se deprehendisse in partis inferioris utroque latere caesuram, quae aut a veretro producta est, aut hymenem denotat a natura singulari forma praeditum. At medicus Ferrand nec caesuram videt, nec singularem hymenis formam. Quinimo inquit : « L'écartement des grandes lèvres nous fait découvrir un hymen assez bien conformé ».

Sane medicus Brouardel refert : « Des deux côtés, à la partie inférieure, il y a une petite encoche. Celles-ci peuvant résulter, d'une conformation congénitale ou avoir été produites par une rupture de bord interne pendant des tentatives de coït. Leur symétrie, leur identité, l'absence de toute cicatrice, sont en faveur de la première hypothèse, mais il est impossible d'être, sur ce point absolument afiirmatif ».

Medicus cognitor pariter Bucquoy testatur : « l'orifice du vagin est fermé par une membrane hymen qui offre une disposition particulière ; au lieu d'avoir un orifice parfaitement circulaire comme on remarque des deux côtés disposés symétriquement une sorte d'encoche qui pourrait faire penser à des caruncules myrtiformes incomplètes. Mais l'examen attentif de la membrane bien étalée sous les yeux, montre que cette membrane hymène est parfaitement intacte ; que le bord de l'orifice ne présente aucune cicatrice et ne donne aucun indice de déchirure ; que cette disposition semble donc être sans doute résultat d'une conformation particulière congénitale, et non la conséquence des ^contacts divers qu'elle a put subir ».

Econtra peritus Ferrand silet caesuram, hymenis excludit dispositionem singularem. Nam ait : « L'examen des parties génitales nous permet de constater que la vulve est intacte et sans altération. L'écartement des grandes lèvres nous fait découvrir un hymen assez bien conformé, sans traces de rupture, souple et à bords légèrement frangés ».

Nihilominus, advertit defensor, omnes medici cognitores agnoscunt dilatata muliebria. Brouardel ait : « On peut sans grande difficulté, faire pénétrer la première falange de l'index à travers l'orifice de l'hymen.... L'exploration des organes génitaux se fait facilement sans provoquer de spasme. . . . L'état des organes génitaux : la demi dilatation de l'orifice de l'hymen, semblent témoigner qu'il y a eu des tentatives du coït etc. » : medicus Bucquoy commemorat : « L'orifice de l'hymen est assez large pour laisser passer

facilement le doigt dans un vagin assez large et souple » ; peritus Ferrand recolit : « L'orifice central est de dimension moyenne et laisse assez facilement pénétrer le doigt dans le vagin ».

Huc accedit, quod res est de matrimonio contracto ab anno 1890, et exploratio virginitatis obtinuit septem vel octo post annos. Et proin vasa muliebria, ait Zacchias, naturaliter interea temporis coangustata sunt. Quocirca, iuxta vinculi defensorem, mirum non est quod medici cognitores, a iudice adhibiti potius quam in artis praesidiis, in Gabrielae dictis confidant : « Cette Dame (ait Ferrand) nous a declaré : avoir été mariée, il y a 8 ans avec son mari. Pendant cette période , il y avait bien eu , de la part de ce dernier, quelques tentatives de rapprochement sexuel, mais sans que le membre viril ait pu pénétrer dans le canal vaginal ».

Quandoquidem, urget matrimonii assertor, Gabrielae plenam fidem habentes cognitores medici toti in eo sunt, ut violati claustri virginalis réfutent argumenta, quae post diuturnum temporis spatium perseverant, et concludant : « Il y a certitude morale que le mariage n'a pas été consommé ». Imo inquiunt : « Il n'y a pas des signes opposés à la non-consommation, et, pour moi j'ai l'opinion morale certaine de cette non-consommation ».

Nec meliori omine orator confidit in iuramento actricis ac septimae manus. Etenim, ait, cum certa sit coniugum condormitio, nec alterutrius sit impotentia in probatis, nulla ratione, praeter aspectum corporis mulieris, facile matrimonii demonstratur inconsummatio. Ad rem De Luca ***de matr.*** *disp.* ***9, n. 15 :*** « Magna apud me erat difficultas, quod ageretur de vidua, quae cum viro iam dormierat ; ideoque non cognoscebam quomodo convinci posset negativa consummationis matrimonii ; licet enim id non sit omnino impossibilis iustificationis, attamen videtur nimium difficilis, adeo ut sit difficultas, quae quodammodo fraternizet cum impossibilitate ».

Tandem, concludit sacramenti defensor, si dato et non concesso, paulisper admittatur matrimonium non fuisse consummatum ob viri impotentiam, tunc aut causa comperedinanda est ut viro sit potestas defendendi seipsum et matrimonium contra quod nunc dimicat : aut flagitatam matrimonii relaxationem impertiri non licet absque clausula : « vetito viro transitu ad alias nuptias ».

Hisce itaque hinc inde perpensis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 17 Iulii 1899 censuit respondere : ***Affirmative.***

POLICASTREN.

IURIUM

COMPENDIUM FACTI. Duae sunt in civitate Rivelli, dioeceseos polycastrensis, ecclesiae parochiales ; altera S. Mariae de Podio, altera S. Nicolai. Prima vetustis temporibus ritus graeci erat, inde ad latinum transiens , et in collegiatam erecta, canonicis decorata fuit, licet nunc , qua de causa ignoratur, hoc amplius non fruatur honore : altera S. Nicolai latinum semper ritum servavit, simpliciter parochialis. Harum ecclesiarum quae sit antiquior non constat: ambae suas filiales ecclesias habent, cum in civitate, tum extra, ambae parochiahos habent, non certis regionibus circumscriptos, sed per familias , quae in civitate huc illuc sunt : alienigenae, qui ad eam civitatem incolendam veniunt, quam ex iis malint parochiam eligere possunt : utraque fontem habet baptismalem, et proprium territorium

ab alterius territorio distinctum, ut sacrae pompae seu processiones ab unaquaque ducantur : habet etiam utraque, praeter cantorem et vicarium, satis conspicuum sacerdotum numerum, et parochum archipresbyteri titulo honoratum, qui parochi seu archipresbyteri ambo per concursum eliguntur, ambo in propria ecclesia aequalem habent auctoritatem, et in funeribus et sacramentorum ministratione aequalia percipiunt emolumenta. Reciprocus est in processionibus cleri accessus ad utramque ecclesiam, utraque crux erigitur, sacerdotes utriusque cleri promiscue incedunt, servata tantum inter eos temporis praerogativa : archipresbyteri quoque pari passu stolam gerentes incedunt, nisi quod archipresbyter S. Nicolai dexteram, ille vero S. Mariae sinistram tenet. Longum esset omnia recensere , e quibus constat, paucis quibusdam exceptis, duos hos archipresbyteros, duasque parochiales ecclesias esse pares.

Vix percenseri posset, quibusnam omni fere aetate quaestionibus , quibus iurgiis , qua animorum acerbitate, inter memoratos cleros de alterutrius iuribus disputatum fuerit, contendentibus utrisque, se prae altero superiorem esse, et auctoritate praestare, et gradu praecedere. Hinc, in tanto studiorum aestu, saepe saepius divina officia pertumultuose turbata, sacrae pompae interceptae, templi cultus violatus, imo ipsa Sacramenti Augusti religio male habita.

Inter has dissensiones et continentia certamina , institutum est, anno 1652 in eadem civitate, sodalitium a Purgatorio nuncupatum. Hoc idem ***in limine fundationis*** coram publico tabellione sese declaravit independens ab utraque paroecia. Quam independentiam ratam habuit uterque parochus actui praesens pro futuris temporibus, nomine et parte respectivi cleri.

Interim iurgiorum ac dissidiorum inter duos cleros nullus finis, nec modus. Ad ea vitanda, clerus S. Mariae de Podio a S. C. C. petiit, ut uterque clerus sacra, quae coniunctim fiebant, singillatim agere posset. Id tamen non obtinuit: nam dubio : « An processiones ordinariae in diebus

S. Marci, Rogationum et Corporis Domini fieri debeant coniunctim ab utroque clero Sancti Nicolai et Sanctae Mariae, iuxta solitum, sive potius sit indulgenda petita facultas •clero Sanctae Mariae, eas separatim explendi »; responsum fuit die 22 ianuarii 1746: « Affirmative ad primam partem, et negative ad secundam ». Non ita multo post S. C, per rescriptum diei 23 novembris 1748, vetuit, ***sub poena arbitrio episcopi,*** clerum atque archipresbyterum S. Nicolai « denominare filialem dictam ecclesiam S. Mariae de Podio.

Attamen « haec apostolicae sedis placita, continere in officio homines, studio aemulationis ab rep tos, haud valuerunt: identidem proinde iurgia excitata, vis quandoque illata, manus in sacra etiam insignia consertae, labarum alterutrius aedis ipsa in pompa proculcatum, sacratissimum Christi Salvatoris simulacrum hostili impetu abreptum, perturbata armis, clamoribus, tumultu sanctitas sacrorum, precationum, loci personarumque. Atque id inter cetera, nisi de re sacra ageretur, cuius zelo comedi nos opus est, risum magis, quam stomachum moveret, quod episcopus refert, binos nimirum archipresbyteros, qui pari passu in supplicationibus stolam gestantes incedunt.... voluisse aliquando eodem tempore orationes post litanias maiores recitare, ac quo elatiori voce alteruter eas caneret, eo se prae altero digniorem aestimari, suique inde cleri praestantiam iuraque vindicari ».

Ad tantas offensiones removendas, iussit episcopus polycastrensis litteris datis die 24 maii 1829 « ut supplicationibus in triduum rogationum solemnibus, ***per estinguere l'abuso di recitarsi le orazioni in fine delle litanie maggiori da due.... le divisate orazioni vengano recitate da chi dovrà celebrare la messa solenne delle rogazioni nella prima chiesa, e non già da due, còme si è usato contro de* sacri riti, e come si prattica per tutta la chiesa cattolica.*** Id anno etiam sequenti de supplicatione die festo S. Marci evangelistae ducenda iterum praecepit episcopus, ***che cioè le orazioni debbano dirsi dal celebrante.*** Quod si partes id

peragere detrectasset, iussit litteris diei 21 aprilis 1830, *che li due cleri facciano* separatamente le loro processioni, nei distretti assegnati per la dottrina cristiana ».

Contra haec episcopi decreta clerus S. Nicolai ad S.C.C, provocavit : attamen proposito dubio : « An et quomodo sustineantur praescriptiones ab episcopo editae litteris diei 24 maii 1829 et 21 aprilis 1830 in casu etc. ; die 3 augusti 1833 S. C. distulit resolutionem, et per modum provisionis mandavit ,* ut servarentur litterae episcopi diei 21 aprilis 1830 ». Nec amplius deinceps haec causa proposita fuit.

Ex hoc S. C. O. rescripto factum est, ut sacrae pompae Rivelli geminatae fuerint. Ante annum 1833, die festo SS. Corporis Domini, una fiebat supplicatio a clero S. Nicolai, eique intererant clerus S. Mariae ac sodalitium Purgatorii. Item die dominica infra octavam eiusdem festi una supplicatio ducebatur a clero S. Mariae, atque ad eam tum clerus S. Nicolai, tum sodalitium Purgatorii accedebant. Post annum 1833, et die illo festo, et die dominico infra eius octavam, binae pompae ductae sunt : atque ab eo anno sodalitium neutri pompae interfuit. Tandem anno 1877, cum exoptarent confratres, pro sua pietate, illarum supplicationum esse participes, cumque notum ipsis esset, neutri clero se esse subiectos, hoc sibi animo destinaverunt, ut singulis annis die festo Corporis Domini per alternas, vices interessent, vel supplicationi a clero S. Nicolai ductae, vel supplicationi ductae a clero S. Mariae; idemque vicissim agerent die dominico infra octavam. Ita arbitrati sunt, posse se et suam tueri libertatem, et utriusque cleri offensionem vitare. Eo igitur anno contulerunt se , die sacro SS.mo Corpori Christi, ad pompam cleri S. Nicolai : sequenti autem die dominico ad pompam cleri S. Mariae. Anno autem 1878, die Corporis Domini adfuerunt pompae ductae a clero S. Mariae : cumque dominico die infra octavam conati essent interesse supplicationi a clero S. Nicolai ductae, excepti ab eo non sunt, contendente clero, onus

«sodalitio incumbere, omnibus annis, ipso die festo SS.mi Corporis Domini nostri, supplicationem ecclesiae S. Nicolai adire.

Cum huiusmodi cleri S. Nicolai assumptioni acquiescere sodales nequirent, quin pristinam amitterent libertatem, -constituerunt, id solemniter decernere, de quo iam inter se convenerant, quodque iam efficere nisi fuerant. Anno igitur 1880, die mai mensis quarto et vicesimo, coetu habito, constituerunt : Sodalitium intererit processioni die Corporis Domini alternatim in annis, incipiens hoc anno a Paroecia S. Nicolai: die dominico subsequenti paroeciam adibit, quam non adivit die ipso Corporis Domini. Decretum hoc auctoritate sua ratum habuit polycastrensis episcopus eodem anno, iulio mense, die 22.

Cum tamen clerus S. Nicolai nihil propterea concederet .aut remitteret, sodalitium ante polycastrensem episcopum in ius eum appellavit, petens, ut iudicialiter agnosceretur, a subiectione utriusque rivellensis cleri se esse liberum atque immunem, utque id, quod de suo ad sacras pompas interventu anno 1880 constituerat, sententia iudicis ratum fieret. Hanc sodalium petitionem iudex polycastrensis excepit, data die 12 maii mensis anni 1896 sententia.

Contra hanc sententiam clerus S. Nicolai provocavit ad tribunal metropolitanum. Constitutus fuit dies 28 mensis novembris eiusdem anni 1896 , ut de hac causa iudicium ferretur. Sodalitium Purgatorii, cum opportuna quaedam documenta interea comparare sibi nequivisset, aliquam dilationem petiit: cuius petitioni ipsa polycastrensis curia apud iudicem salernitanum accessit adprecatrix. Nihil tamen impetratum est, eoque ipso die iudex curiae archiepiscopalis sententiam. tulit : qua revocavit sententiam Curiae Polycastrensis, decernens, sodalitium a Purgatorio teneri adire constanter ecclesiam S. Nicolai pro sacra processione die Corporis Christi. Contra huiusmodi sententiam sodalitium Purgatorii ad S. Sedem provocavit, exposcens ut eadem sententia abrogaretur et irrita fieret.

Sed contendit clerus S. Nicolai, perperam in hac causa fuisse appellatum, eo quod appellatum est, antequam sententia, contra sodalitium a iudicio absens prolata, eidem sodalitio per apparitorem curiae polycastrensis denuntiantur. Nimirum edita sententia est die 28 novembris 1896: die quarto decembris sententia a curia salernitana ad polycastrensem missa: insequenti die quinto sodalitium ad S. C, O. appellavit: die nono eiusdem mensis sententia est sodalitio per apparitorem nuntiata. Igitur sodalitium ad iudicem superiorem provocavit, post sententiam evulgatam ac Polycastrum missam, ante tamen quam eadem sodalitio denuntiaretur.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CLERI S. NICOLAI. Sodales adversus sententiam iudicis Metropolitam in vocem appellationis proruperunt, sed contendit clerus S. Nicolai perperam fuisse appellatum, eo quod appellatum est antequam ista sententia eidem sodalitio per apparitorem curiae polycastren. denunciaretur. Nimirum edita sententia est ***die 28 Nov. 1896; - die 4°*** Decembris sententia a Curia Salernitana ad Ordinarium polycastrensem missa est ; die insequenti 5° Decemb. sodalitium ad S. C. O. appellavit ; ***die 9°*** eiusdem mensis sententia est sodalitio per apparitorem curiae polycastren. denunciata.

Praeterea , instat clerus S. Nicolai, institutam serius appellationem nec intra legitimum tempus prosecutos fuisse sodales ; quia quinque mensibus post editam sententiam appellarunt et ***apostolos*** petierunt, nempe die 7 Maii 1897, quos proinde curia Salernitana denegavit ; et dein usque negligentiores sodales fuisse in prosequenda appellatione adeo ut die ***17 Maii 1898,*** S. C. C. ediderint decretum ***« Episcopus polycastrensis moneat sodalitatem quae a sententia Metropolitanae curiae ad S. C. C. provocavit quod nisi acta et sententias in copia exhibeat et appellationem prosequatur, standum erit secundi gradus sententiae*** ». Ni-

hilo secius sodalium negligentia in prosequenda appellatione non immutata perseveravit; donec sub exitu superioris anni prodiit decretum ***Ponatur in folio*** unde partium procuratores contestati sunt rogandi formulas; I. ***An sit locus appellationi in casu.*** Et quatenus affirmative. II. ***An sententia curiae archiepiscopalis salernitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu.***

Quoad primam quaestionem cleri procurator notat, tres terminos (quos ***fatalia*** vocant), praestitutos fuisse appellantibus. Datur primus appellationi faciendae (fatalia inchoandae appellationis), alter causae instituendae (fatalia introducendae coram superiore appellationis), tertius prosequendae (fatalia prosequendae et finiendae appellationis) apud iudicem appellatum. Incassum agit, qui postea provocavit. « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat iudicatae, qui ad provocationis subsidium infra id tempus non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit ». (Innocentius III ***cap. 15 de sent. et re iud.).*** Instituenda intra sex menses causa, est intra annum prosequenda. « Porro tempus a iure definitum ad apostolos praesentandos, et appellationem insinuandam iudici ad quem, est sex mensium ***(I. 2. C. de tempor. appellat.)*** quod currere incipit, non a die latae sententiae, sed a tempore interpositae appellationis ». (Pirhing ***ius, Can. t. II. tit. XXVIII de appel. % CXLV).*** « Sicut appellationem iudicialem sic extraiudicialem intra annum a die interpositionis ipsius vel a die filati gravaminis, ubi a futuro gravamine appellatur, prosequi et finire tenetur appellans. Quod si iusto impedimento cessante non fecerit, debebit eius appellatio deserta censeri ». (Clementina ***sicut appell. 3 de appell.).***

Atqui, instat orator, appellatio mense maio intercessit (die 7 maii 1897); quinque mensibus, postquam Archiepiscopus, quid iudicasset per nuncium certiores fecerat sodales (die 9 dec. 1896).

Neque prodesse potest iuxta oratorem appellatio propo-

sita. adversus sententiam nondum denunciatam quia deest ratio appellandi. Quoad ***factum,*** praeses clare affirmat, sodalitatem (die 2 decembris) provocandi consilium cepisse : « il sottoscritto per facoltà avutane dai Confratelli della Congrega con deliberazione 2 corrente mese mentre protesta contro la illegale scorretta procedura tenuta da codesta Rma Curia Metropolitana. . . . sentendosi gravato dal verdetto pubblicato dalla stessa in data 28 p. p.... se ne appella in tutte le forme volute dal diritto alla S. C. del Concilio ». Sed sodales, pergit patronus , die 4 decembris causae exitum nesciebant, et archiepiscopum per telegraphum, anxii animo sciscitabantur.

Sodalitatem vero neque ***fatalia*** introducendae appellationis observasse, contendit orator. Revera mense augusto sodales ad Pontificem confugerunt, dum Archiepiscopus iam mense decembri sententiam pronunciarat. Causam igitur, intra sex menses instituendam, post novem instituerunt. Unde concludit, merito Archiepiscopum ***Apostolos*** denegasse; et dato etiam quod ille iniuste denegasset, nihilominus sodales prosequi debebant appellationem, ne iure caderent « Si iudex in termino ad dandum apostolos praefixo per eum ipsos appellanti petenti non dederit____Appellationem suam ex tunc prosequi possit appellans, ac si expresse fuissent eidem apostoli denegati ». (Clement. ***Quamvis 2 de appell.).***

Adeo vero sodales in prosequenda appellatione fuerunt negligentes, instat orator , ut tredecim mensibus intermissis, illam ipsam non nisi mense septembri, sequenti anno, persequendam curarunt.

Dein ad meritum causae gradum faciens procurator, non dubitat, sodalibus hoc esse munus ut intersint supplicationi. « Processionibus solitis , ut Confratres conveniant compellere potest Episcopus sub poenis arbitrio illius » (Ferraris ***Bibl. can.*** voc. ***processio § 84).*** Munus istud nec Episcopus iudicando negavit. « Dichiariamo libera la Congrega a poter scegliere nel giorno del Corpus Domini a quale delle

due chiese parrocchiali voglia accedere per compiere il proprio dovere d'intervenire alle solenni processioni ». Inde evincere vult advocatus , etiam missa consuetudine , opus esse ut sodales ad Ecclesiam S. Nicolai, quippe principem Ecclesiam, accedant. Contendit enim patronus ecclesiam S. Nicolai matricitatis iure frui, et ad -rem hunc adducit actum S, Visitationis: « Avendo nella presente visita trovato molte osservanze e consuetudini ab antiquo osservate tra il Rev. Clero di S. Nicola, matrice e prima chiesa di detta terra e il Clero di S. Maria di Poggio, parimenti di detta terra filiale ed obbedienziale di quello di S. Nicola, quelle confermiamo nella presente visita ed ordiniamo che si debbano osservare inviolabilmente. Tutte le quali cose consuetudini ed osservanze noi confermiamo ed ordiniamo che si osservi inviolabilmente tanto maggiormente che abbiamo intese ambe le parti le quali concordemente hanno accettato dette osservanze e obbligatesi in futuro ».

Dein aliud affert decretum an. 1601 , nempe: « Rev. Clerum S. Nicolai conservandum esse et conservari debere prout conservatur in praecedentia et quibuscumque recognitionibus praestari solitis a R. Archipresbytero et Clero S. Mariae ». Praeterea statutum fuit: « Nelle processioni ordinarie delle Rogazioni e dei Corpus Domini debba il Clero di S. Maria andare alla chiesa di S. Nicolò, e da ivi uscire processionalmente e poi tornare al medesimo luogo ». (Ex Decr. Ep. De Rosa ***diei 26 Novembre 1692).*** Ulterius: « Processiones tam ordinarias.... quam extraordinarias ob publicam aliquam causam generalem indictas non posse alibi congregari quam in ecclesia S. Nicolai et inde exire, et ad eamdem vel aliquam aliam Ecclesiam Archipresbytero S. Nicolai benevisam reverti et ibidem dissolvi ». (Ex sent. Ep. Polycastrensis, ***diei 31 Octobris 1601).*** « In omnibus processionibus et actionibus debeat Archipresbyter et Clerus S. Nicolai praecedere iuxta tenorem dictae sententiae et consuetudinis». (Ex sent. Episcop. Polycastrensis, ***diei 31 Octobris 1601).*** « Reverendum Archipresbyterum et Clerum

S. Nicolai conservandum esse et conservetur in praecedentia ». (Ex s%nt. Vic. Gen. Cavalerio ***diei 9 Nov. 1649).*** « Restituatur quod in omnibus processionalibus et aliis quibuscumque processionibus praecedat Archipresbyter cum Clero latino S. Nicolai ». (Ex sent. Vic. Gen. De Aragonia Ep. Polycastrensis sub initium saeculi sextodecimi). « Nella Vigilia di S. Nicolò il Rev. Clero di S. Maria debba non chiamato andare in detta chiesa madre di S. Nicolò ed as'-sistere alii vesperi e messa cantata; e il Rev. Arciprete di S. Nicola debba dare a ciascun sacerdote della detta chiesa di S. Maria sette palmi di candela di cera commune per divozione. Nella processione di S. Giovanni il Clero di S. Maria debba chiamare il Clero di S. Nicolò : ed il Clero di S. Maria non possa far processione separatamente senza licenza nostra ». (Ex decr. Ep. De Rosa ***diei 20 Nov. 1892).*** « Il Clero di S. Maria sia tenuto dare il Chierico della sua Chiesa con la lanterna per pigliare gli Olii Santi della Cattedrale : e venuti detti Olii Santi riponersi nella cappella di S. Lucia fuori le mura di detta terra, ed il Clero di S. Nicolò con quello di S. Maria si debbano unire nella piazza maggiore di detta terra, ed unitamente andare a pigliare il detto Olio Santo, e condurlo nella matrice di S. Nicolò, ed ivi l'Arciprete di S. Maria pigliarsi sua porzione dall'Arciprete di S. Nicolò ». (Ex cit. decr. Ep. De Rosa).

Quia adversarii obiiciunt, has consuetudines minime fuisse probatas a V. S. O. advocatus advertit, H. S. O. semper eiusmodi consuetudines probasse quotiescumque in controversiam vocatae sunt. Ad rem refert haec rescripta S. C. C. ad haec dubia: « An processiones in diebus Sancti Marci et Rogationum et Corporis Domini fieri debeant coniunctim ab utroque Clero, S. Nicolai et S. Mariae: sive potius indulgenda sit petita facultas Clero S. Mariae eas separatim explendi ? « Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam ». An dictae processiones incipere et terminare debeant in Ecclesia S. Nicolai et Clerus S. Ma-

Hae teneatur incedere sub propria cruce ante Clerum S. Nicolai : vel sit servandum solitum in omnibus in casu ? « Servetur solitum ». An in festo S. Nicolai teneatur Clerus S. Mariae etiam non vocatus accedere ad eius Ecclesiam iuxta solitum et assistere primis vesperis et Missae solemni, et Clerus S. Nicolai ea occasione teneatur distribuere singulis de Clero S. Mariae solitas candelas in casu ? « Affirmative ad utramque partem ». An Clerus S. Nicolai saltem vocatus teneatur accedere ad Ecclesiam S. Mariae, ibique assistere primis vesperis et missae solemni assumptionis B. M. Virginis in casu ? « Affirmative dummodo Clerus S. Nicolai invitetur ». An Archipresbyter Sanctae Mariae teneatur recipere olea sancta ab Archipresbytero Sancti Nicolai, sive potius ei licitum sit ea sumere ab Ecclesia Cathedrali in casu ? « Servetur solitum ». An et cui Ecclesiae competat ius antepulsandi campanas in die Sabathi Sancti? « Competere Ecclesiae S. Nicolai et horam designandam esse ab Episcopo ». (Polycastren ***die 22 Ian. 1746 - dub. 1, 2> 7, 8, IO, 11).***

Explicans praeterea orator, cur S. C. C. ***matricitatem*** adiudicaverit Ecclesiae S. Nicolai, notat non exinde ***maioritatem*** eidem adiudicasse , seu ***impropriam*** matricitatem ; docet enim De Luca : « Propria ac naturalis matricitatis species in ea verificatur Ecclesia, cuius aliae sint vere filiae et dependentes, quia nempe unica in loco vel in contrada existente Ecclesia parochiali latos fines habente, ob excretum populum, cui una non sufficeret Ecclesia , aliae cum finium vel territorii ac populi dismembratione vel divisione erectae sint ». (De Luca ***theatr. ver. et iust. lib. III p., II. de praeem.).*** Sed est alia, quam vocant ***impropriam*** matricitatem, quae consistit in principatu ; « matricitas magis remota et impropria resultans ex eo quod vel ratione antiquitatis vel ex alio respectu , esset Ecclesia maior in loco ». (De Luca ***ibid. disc. 42 § 12).*** « Omnis autem matricitatis species, etiam prima (impropria)... inter alias aequales, multo vero magis inferioris gradus et qualitatis,

praeeminentiam obtinet : tum in praecedendo, tum etiam ad effectum ut ab ea processiones et funera aliaeve generales solemnitates regulari debeant, sive in ea celebrari : ipsaque in aliquibus, quae a singulis fiant, antiquior sit, ut praesertim campanarum pulsatio in sabbato sancto ». (De Luca ibid.).

Iamvero apud S. C. O. quaesitum est de ***vera*** matricitate : en dubia : « An constet de vera matricitate Ecclesiae S. Nicolai respectu Ecclesiae S. Mariae de Podio in casu? An et sub qua poena prohibendum sit Archipresbytero et Clero dictae Ecclesiae S. Nicolai denominare filialem dictam Ecclesiam S. Maria de Podio ? »

Principatum vero Ecclesiae S. Nicolai prae Ecclesia S. Mariae, notat advocatus, aliis missis argumentis, certe probari ex eo quia una tantum supplicatio per duo saecula in oppido indicta fuit et haec ab Ecclesia S. Nicolai ad quam et alter clerus et sodalitas accedebant. Maioritatem illius Ecclesiae, ait orator, hodie etiam comprobant Regulares , iuxta hanc attestationem : « Certifico io qui sottoscritto superiore provinciale dei minori osservanti che la communità Religiosa esistente in questo comune di Rivello nella processione del Corpus Domini, nel giovedì giorno della festa è sempre intervenuta alla processione fatta dal Clero di S. Nicola e nella domenica infra octavam in quella di S. Maria, essendo stata consuetudine antica di preferire anche nella processione delle Rogazioni la Chiesa di S. Nicola perchè matrice e maggiore. Questa antichissima consuetudine si è praticata sempre dalla Comunità Religiosa del Convento di S. Antonio di Rivello , ed anche da me sottoscritto quando mi son trovato in residenza ».

Ex tam antiqua observantia, infert orator, Sodalitatem iampridem fuisse adstrictam ut a recepto more non recederei; potissimum quia: « Consuetudo in honorariis potissimum obtinet locum » (Rota in ***Fanen. praecedentiae*** coram de Arguilles ***diei 1 Iul. 1646, p. X, dec. 254 § 15 rec.*** - et coram Sacrato ***m Romana praec diei 18 maii 1620***

p. IV, t. II, § 4, rec. - coram Ubaldo in ***Colonien, praecedentiae diei 9 Iunii 1627 p. 5, t. 1, dec. 85, § 5 rec).*** « In materia praecedentiae totum facit consuetudo , quae omnimode regulatrix dicitur » (De Luca ***theat. ver. et iust. de reg. disc. 19 lib. XIV, p. I, n. 7).***

Testes autem huius consuetudinis , inquit orator, sunt ipsi sodales qui deliberarunt : « La Congrega con conclusione del 24 Maggio 1880 trovasi aver deliberato ***che da quell'anno in poi,*** sarebbe acceduta per un anno alla processione della Chiesa di S. Nicola , per un altro a quella di S. Maria, e così sempre per turno ». Item testem profert Cleri libellum, qui, Episcopum, ut consuetudo retineretur, sine mora rogavit. « Questo Rev. Clero reclama contro l'operato di questo Priore dei Purgatorio, perchè con la sua solita malizia e menzogna ha cercato di togliere un diritto antico che ha questa Chiesa di S. Nicola di dovere i fratelli di questa Confraternita intervenire nella processione del Corpus Domini nel dì della festa, e nella Domenica infra octavam passare alla parrocchia di S. Maria. Così è stato praticato dalla sua istituzione ».

Quum adversarii opponant istiusmodi consuetudinem inter facultativas annumerari : tritum autem in iure effatum « in facultati vis non est praescriptio » respondet orator, istiusmodi consuetudinem facultati vis non annumerari, quia adiuncta aliud dilucide persuadent. Tenet enim consuetudo si liquido apparuerit, qui agebant, eos hac mente egisse ut se quodammodo obligarent. At sodalibus illud erat persuasum , se accedere ad Ecclesiam S. Nicolai, quippe principem; et revera hac persuasione teneri, iuxta advocatum, indubie demonstrat diuturnitas non interruptae observantiae.

Iamvero « Praesumptio facultativa excluditur ex multiplicitate actuum per longissimum et continuatum temporis spatium gestorum ». (Rota coram Merlino in ***Piacentina praeced. diei 27 Iunii 1633, p. VI, dec 224 n. 8 rec).*** « Praesumptio facultati vi excluditur ex multiplicitate actuum et ex continuata possessione per longum tempus ».

(Rota coram Ubaldo in ***Colonien, praeced. die 7 Iunii 1627 p. v. t. 2, dec. 85 n. 8 rec).*** « Ubi concurrit immemorabilis, cessat privilegium actus facultativi » (Rota in ***Calaguritana Iuris visit,*** coram Pirovano ***diei 26 nov. 1611,*** *jp.* ***III dec. 389 n. 4 rec).*** — Quibus sententiis concinit Scarfantonius , docens : « Oritur controversia an magistratus soliti accedere ad sacras fnnctiones in Cathedrali possint cogi ad continuandum in praestando eorum assistentiam et licet videatur, quod eadem assistentia tribuenda sit actui voluntario et gratioso ac proinde inhabili ad inducendam obligationem, non obstante quolibet cursu temporis : nihilominus quando tempus praestitae assistentiae excedit memoriam hominum et versamur in dubio an actus processerit ex mera voluntate vel potius ex obligatione , sumenda est interpretatio quae favet Ecclesiae, cum sit causa magis favorabilis. Cum etiam regulare sit quod data multiplicitate actuum per diuturnum tempus continuatorum exclusa remaneat praesumptio voluntarii, cum continuata gratia et facultas non praesumatur. — Unde donec discutiatur an actus ad gratiam vel ad obligationem veniant referendi, danda est manutentio possessori». Scarf. ad Ceccop. ***lucub. canon. Lib. I, Tit. 15, § 22-25.***

DEFENSIO SODALITII A PURGATORIO. Imperator Iustinianus tempus ad proferendam appellationem utile ad decem dies protraxit: « Hodie autem cuilibet tribuitur spatium decem dierum, a sententiae recitatione numerandum». (Auth. ***hodie*** Cod. de appellationibus; novel. 23 cap. 1). Hoc decem dierum spatium a sacris canonibus exceptum est, teste Innocentio III, qui constantiensi episcopo scribebat: « Quum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat iudicatae, qui ad pro vocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit » (cap. 15 de sent. et reiudicata). Quum vero iniquum esset, hunc terminum etiam contra ignorantes et propterea agere non valentes currere, hinc Bonifacius VIII voluit, hoc decendium a die scientiae illati gravaminis incipere statuit-

que : « A quibuslibet extraiudicialibus actibus , in quibus potest appellatio interponi, quisquis ex eis gravatum se reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, infra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellet » (cap. VIII, de appellationibus in 6). Hoc, quod de extraiudicialibus actibus Bonifacius sanxerat, eadem extante ratione', ad acta etiam iudicialia delatum est: ita ut terminus decem dierum ad appellandum ab adversa sententia, si ea in absentem lata fuerit, incipere debeat, non a die quo sententia promulgata est, sed a die quo condemnatus eam cognoverit. Quumque legitima sententiae scientia eveniat per eius denuntiationem; hinc fit, ut sententia gravato permittatur facultas appellandi, usque ad decimum diem ab eius denuntiatione.

Verumtamen perspicuum est, haec quae in favorem appellantem recepta sunt, non esse in eorum damnum ita detorquenda, ut frustra appellare ille dicatur , qui absens condemnatus, antequam sententia per apparitorem significetur, iudicem superiorem appellet. Libenter concedo, nullam vim iuridicam illi esse provocationi tribuendam, quae nihil certi ac definiti prae se ferat, ut si quis dicat : appello contra omnes sententias, a quacumque auctoritate, quovis tempore , in me latas vel ferendas. At tenet provocatio, quando fit contra certam quamdam sententiam, etsi nondum legitime denuntiatam. Atqui talis est provocatio, sodalitii nostri ad S. C. Congregationem.

Ergo non agitur de vaga quadam ac indefinita provocatane : his enim verbis praecise sententia definitur, contra quam provocatio fit; patetque eum, qui provocat, sententiam probe novisse: scit enim editam eam fuisse « in data dei 28 p. p. novembre » : scit quod per eam « si annullava quella in favore della sullodata congrega emessa dalla r.ma curia diocesana » : addit, provocandi potestatem petitam a sodalitii moderatore esse confratribus , ab iisque concessam fuisse « con deliberazione del 2 corrente » (mensis nimirum ianuarii). Num haec omnia dici ac fieri potuis-

sent, si sententia curiae salernitanae moderatorem sodalitii Purgatorii et sodales omnino latuisset?

Scientiam igitur sententiae habuisse provocatorem , eo tempore, quo provocavit, in propatulo est. Quamquam neque hoc planum facere mihi opus erat. Nam fas est iure canonico, etiam ante latam sententiam, ex comminatione quadam iudicis , ad iudicem superiorem provocare , uti infertur ex cap. 40, de appellationibus, quod ita se habet: « Quum cessante causa cesset effectus, statuimus, ut, sive iudex ordinarius, sive delegatus aliquid comminando vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium gravaretur, et sano usus consilio ab huiusmodi interlocutionis vel comminationis effectu destiterit, libere in causae cognitione procedat, non obstante, si in tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum ». Imo etiam ante inceptum iudicium contra futuram sententiam licet provocare, ut habetur ex cap. 5 de appellationibus his verbis : « Si... a gravamine et ante litis ingressum fuerit appellatum, huiusmodi audietur appellans, quoniam sacri canones etiam extra iudicium passim appellare permittunt ». Unde Schmalzgrueber in tit. 28 lib. 2 decret, num. 17 scribit : « Extra iudicium appellari potest etiam a gravamine futuro et nondum illato nec comminato ». Si igitur aliquando etiam ante latam sententiam, aut etiam ante inceptum iudicium licet ad alium iudicem provocare; quanto magis licebit post latam sententiam, quamvis ipsa ei qui provocat nondum nota sit ? Ergo, ex eo quod ante legalem sententiae denuntiationem provocatum fuerit, nihil roboris provocationi nostrae detrahitur : absurdum enim esset, quod quis detrimentum reciperet, ex eo quod in suis negotiis tutandis, non modo non negligentem, sed immo nimis fere se diligentem t exhibuerit.

Nec opponi potest, sodalitii a Purgatorio nuncupati excipiendam j|haud esse provocationem, eo quod ea apud iudicem superiorem intra tempus a canonibus statutum continuata haud fuerit. Si enim ad id agendum conceditur spa-

ti um anni vel ex iusta causa biennii (cap. 5, de appellat.); attamen, si quis intra eiusmodi tempus propter legitimum impedimentum interpositam appellationem prosequi intermiserit, etiam post elapsum biennium, debet admitti ad ipsam prosequendam. Ita enim habetur in cap. 8 de appellationibus : « Si appellationem biennio elapso interpositam a sententia, quae fuerat contra vos prolata, de controversia quam habuistis contra ecclesiam Solariae, prosecuti non estis, dummodo prosecutionem ipsius appellationis per impotentiam vos constiterit omisisse, nolumus, quod iustitiae vestrae debeat aliquatenus praeiudicium generare ». Inter impedimenta autem, quae appellantem excusant, qui biennii spatio non est appellationem prosequutus, a doctoribus numeratur eius inopia, quae obstáculo fuerit, quominus ipse provocationem suam prosequi posset. Scribit enim Mühlbauer (Thesaurus resolutionum S. C. C. verbum ***appellatio^*** § 35 ***Impedimenta appellandi) :*** « Primum igitur legitimum impedimentum se tenet ex parte appellantis, scilicet ratione propriae impotentiae, quia v. g. propter infirmitatem, vel propter inopiam, aut huiusmodi non potuit intra tempus statutum appellationem prosequi et terminare ; cit. cap. ***-Eco ratione 8,*** expresso verbo ***per impotentiam,*** et Glossa ibi, Innocentius, Abbas et communis»,,

Iam vero non negligentia, sed inopia effectum esse, ut sodalitium in continuanda provocatione moraretur, discimus ex testimonio episcopi polycastrensis. Si igitur appellans sodalitium impeditum est angustia rei pecuniariae, quominus celerius in prosequenda appellatione procederet, contra sacrorum canonum aequitatem esset, illud ea de causa ab interposita appellatione repellere.

Nec tamen sodalitium Purgatorii opus appellatione habet, ut causam suam apud S. C. C, agere possit. Nam, negata etiam appellatione, concedenda tamen ei esset restitutio in integrum. Etenim « restitutio in integrum ex pluribus causis conceditur... quarum prima est minor aetas, et eius aequipollentia... favor publicus, privilegium eccle-

siae, locorum piorum, reipublicae et fisci » ***(Pellegrini, praxis vicariorum, pars II, sect. II, subsect. XI, num. 9).*** Ac paullo post: « Hospitalia et alia pia loca, ut collegia, congregationes et similes, piae tamen, habent etiam beneficium restitutionis in integrum » ***(Ibid. num. 14).*** Igitur manifestum est, quod, nisi per appellationem, saltem per in integrum restitutionem, sodalitio Purgatorii pateat ad S. C. C. perfugium, contra salernitanam sententiam, cum nondum ab eius evulgatione quatuor annorum spatium elapsum sit.

Sed licet mihi etiam ulterius tuto progredi: nec enim appellationis iure, nec restitutione in integrum opus est sodalitio nostro, ut viam sibi ad vos patefaciat, qua adversam sententiam labefactare queat. Est enim ea evidenter nulla : ac propterea per triginta annos fas est contra eam agere, « eo quod sententia nullitate laborans in rem iudicatam nunquam transeat, prout etiam adnotant doctores communiter ». ***(Bouix, de iudiciis, part. 2, sect. o, cap. 2, § 1, \. 3).*** Et re quidem vera « sententia erit nulla... si contineat manifestum errorem », quod evincere conatus est defensor ad trutinam revocando cuncta sententiae verba. Quo facto eruit advocatus, sententiae salernitanae fundamenta corruere et infirmari.

At quomodonam putamus iudicem salernitanum iudicaturum fuisse, si, quod ad ius spectat, anima.dvertisset, non omnia laicorum sodalitia parochis esse subiecta; immunia autem ab ipsorum potestate ea esse, quae in sacellis sedem habeant, templo parochiali nec coniunctis nec adnexis; sodalitia laicorum cogi non posse ut supplicationibus intersint , nisi adsit consuetudo, et haec consuetudo talis sit indolis, ut animo se obligandi suscepta et servata fuerit ? Quomodo arbitramur fuisse salernitanum iudicem iudicaturum, si, quoad factum, ipse perpendisset, in conventione anni 1652, non de sacelli tantummodo, sed etiam de sodalitii libertate fuisse cautum; si scivisset, sodalitium Purgatorii a subiectione utriusque cleri semper immunem per-

mansisse, rectoresque suos, cathechistas, confessarios, concionatores non a clero S. Nicolai recepisse, sed ex alterutro clero libere elegisse; si cognovisset, sacellum Purgatorii situm non esse in territorio paroeciae S. Nicolai, imo in territorio paroeciae S. Mariae de Podio; si eum non latuissent rescripta a S. O. C. emissa die 23 novembris 1748, et die 3 augusti 1833, quibus ecclesia S. Nicolai abiudicatur ex iure matricitatis erga ecclesiam S. Mariae, ac permittitur, Rivelli duas agi pompas die Sanctissimo Corpori Domini sacro; si praesertim omnino non ignoravisset, sodalitium a Purgatorio, post annum 1833, numquam ad supplicationem Corporis Domini se contulisse, nisi postquam anno 1877 constituit, alternis vicibus atque annis, alterutrius cleri adire supplicationem; et numquam hoc temporis spatio denuntiatum ei a clero S. Nicolai fuisse, ut supplicationi interesset?

In hoc enim potissimum nititur clerus S. Nicolai, ad evicendum, sodales nostros perpetuo teneri die SS.-Corporis Christi pompae, quam ipse clerus ducit, interesse, quod id per tria saecula egerint. — Sed non considerat clerus, nos versari in facultati vis: non meminit in facultati vis, per quemcumque temporis lapsum, numquam dari praescriptionem. Una tantum exceptio est; si certis argumentis effici possit, aliquem per diuturnum tempus eo animo consuetudinem quamdam servasse, ut se obligaret, et pristinam libertatem suam minueret: velut si alteri denuncianti,, ut aliquid ageret, ad quod agendum non tenebatur, ipse aequo animo acquieverit, et per longum tempus absque ulla repugnantia paruerit; vel si quacumque alia ratione voluntatem manifestaverit se erga alium obligandi, eique ius suum ultro concedendi ac permittendi.

Hinc manifestum est, decisiones eas, quas clerus adversarius in medium profert, cum casu, in quo nos versamur, nihil habere communis: eae quippe ad casus prorsus diversos' sunt referendae, ut ex ipsis. earum titulis perspicuum «est ***(Fanen. praecedentiae, Romana praecedentiae, Colonien,***

praecedentiae, Piacentina praecedentiae, Maioricen. celebrationis missae, Caesaraugustana cathedralitatis, Caputaquen* iuris sepeliendi, Colonien, praecedentiae, Calaguritana iuris visitandi). Si quis enim locum suum potiorem videt ab alia occupari, nec refragatur, imo hoc patienti animo diuturne tolerat; si quis antistitem, cui ipse non erat subditus, per longum tempus ultro admittit ad ecclesiam suam visitandam; nonne hic facto suo perspicue animum patefacit, ius suum abiiciendi, seque potestati alterius submittendi? Idem dicas de exemplo a Scarfantonio deprompto, magistratuum nempe, qui per diuturnam consuetudinem sacris ritibus in cathedrali templo adstiterunt. Non enim in hunc finem civiles magistratus eliguntur, ut sacris intersint, sed ut temporalia civilis universitatis negotia curent. Si ecclesiae ritibus interesse volunt, id agere queunt veluti fideles, necopus est ut faciant velut magistratus publici : quod si ut magistratus fecerint, diuque ac sine intermissione fecerint, hoc ipso quamdam animi intentionem ostenderunt, velle semetipsos ad id agendum obligare.

At casus noster omnino diversus est. Agitur quippe de pio sodalitio: pia autem sodalitia ad hoc instituuntur, ut piis operibus, ut sacris ecclesiae ritibus ac praesertim supplicationibus operam dent. Atqui inter solemnes supplicationes ea potissima est, quae in honorem SS. Corporis Domini quotannis ducitur. Quid mirum si ei interesse confratres curent? Quidnam in hoc tam abnorme ac extraordinarium deprehenditur, ut illi, id agentes, dicendi sint iura sua subiicere, minuere libertatem, obligationem erga ecclesiam, ex qua pompa ducitur, contrahere? Ergo, ne hi effectus oriantur, oportebit ut sodalitia , contra suam naturam ac institutionem , a publicis supplicationibus omnino* abstineant, vel saltem sedulo curent, ut piam consuetudinem eis participandi statutis temporibus abrumpant, ne dum divino cultui promovendo vacant, suam amittant libertatem et se alterius potestati subiiciant : quod quantum rationi repugnet, nemo non videt.

Igitur in casu sumus, in quo nullum indicium afferri potest, extitisse sese obligandi animum : qui nisi perspicue probetur, consuetudo plurium etiam saeculorum nullam parit obligationem. Si enim probari possit, familiam quamdam -semper ad idem molendinum frumentum suum molendum attulisse, non tamen impedire poterit molendinarius, etiam post multa saecula consuetudinis, quominus eadem familia aliud petat molendinum. Nec si quae familia per multa saecula fundum meum conduxerit, aliquod inde erit mihi ius, eam cogendi, ad fundum etiam in posterum conducendum. Ita, si etiam sexcentos annos sodalitium ad alicuius ecclesiae pompam se contulerit, nullum illi ecclesiae ex hoc facto ius ortum est, quo sodalitium ad idem in perpetuum agendum adigere queat. Etenim in tali materia versamur, in qua sodalitia laicorum liberrime agunt. Non enim tenentur lege tridentina, quae regulares iubet, ut supplicationibus intersint, ut H. S. O. iudicavit in Calaritana mense octobris 1588, lib. 5 decretum pag. 204 ***(apud*** Pallottini ***vox*** sodalitium ***num. 69):*** nec obligari hac in re possunt decretis episcoporum aut synodorum provincialium: et si consuetudinem interveniendi sacris pompis servaverint, huiusmodi consuetudo praesumenda semper est libere incepta ac libere continuata, eiusque indolis , ut numquam obligationem inducat, ut sapienter eadem H. S. C. sanxit, quum ab archiepiscopo urbinatensi interrogata fuit sequenti dubio: ***Stante obligatione inducta ex synodo provinciali urbinaten. quod confraternitates laicales interesse debeant processionibus ordinarii quatenus ab archiepiscopo vocentur, et stante consuetudine interveniendi omnibus processionibus; an dictae confraternitates possint ab archiepiscopo compelli per •edictum ad interveniendum dictis processionibus, ne alias dictae synodus et consuetudo reddantur elusoriae, non sine maxim divini cultus discrimine.*** S. C. die 10 martii 1663 respondit : ***Negative (Urbinaten. visitationis sacrorum liminum dub. 22).***

Quid vero si ea ipsa consuetudo, qua adeo confidit cle-

rus S. Nicolai, postquam, venia S. C. C, separatim pompae a duobus cleris duci coeptae sunt, videlicet ab anno 1833, omnino fuit intermissa? Optimus adversarius quidem totisviribus nititur vobis suadere, sodales usque ad hanc motam litem , ex consuetudine sua, adeundi die Corporis Christi pompam S. Nicolai, numquam discessisse. Sed quam infirmis argumentis id conatur ! Affert verba, quibus anno 1880 sodales constituerunt alternis vicibus ad utriusque cleri supplicationes se conferre. Quomodo vero ex verbis ***da quell'anno in poi*** inferri possit, eos usque ad eum annum semper celebra visse supplicationem S. Nicolai, puto unum adversarium intelligere. Dixerunt enim ***da quell'anno in poi,*** quia ab anno 1823 neutram supplicationem frequentaverant. Profert affirmationem ipsius cleri S. Nicolai : quasi clero in sui favorem consuetudinem asserenti sit habenda fides. Affirmat, ipsos sodales in primo iudicio constantem consuetudinem fassos esse. Si vero primi iudicii acta persolvuntur, ea confessio nusquam invenitur. Adducit sententiam primi iudicis : qui tamen non affirmât consuetudinem revera semper extitisse , sed hoc tantum dicit, sodalitium a Purgatorio usque ab initio neutri clero obnoxium esse voluisse : ac propterea, si quae extitisset consuetudo, in èa animum se obligandi non esse praesumendum : quod patet legentibus duobus primis ***considerandis*** sententiae polycastrensis.

Idem postremo profert informe quoddam folium, cui aliquot Polycastri cives subscripserunt, et in quo affirmatur, sodales a Purgatorio semper adiisse die SS. Corporis Christi pompam cleri S. Nicolai, ***anche dopo che la parrocchia di S. Maria incominciò a fare la processione (Summ. adv. num. 19).*** Ecquis vero hoc folium scripsit? Qua auctoritate ? Qui sunt hi subscriptores ? Quot annos nati ? Quam merentur fidem ? Quomodo ea quae subscriptione sua confirmant singuli cognoverunt ? Haec omnia ignoramus. Unum hoc scimus, eos nullum iuramentum praestitisse de veritate dicenda. Videtis igitur, PP. EE., qualis sit huiusmodi folii valor ! Nec vos latet, hac ratione centenas etiam subscri-

ptiones ad quamcumque veritatem evertendam ab obsequentibus amicis facillime colligi posse.

Sed ab altera parte quindecim testes, pro sodalitio a Purgatorio rite interrogati, solemniter testati sunt, post annum 1833, sodales ad pompam a clero S. Nicolai die SS. Corpori Domini sacro se non amplius contulisse. Hi omnes auctoritate curiae polycastrensis excussi sunt : ea enim rev. Antonium Ferrari vicarium foraneum oppidi ***Lagonegro*** delegavit, ut illos interrogaret. De iis scimus quod ***tutti sono costituiti in età, godono buona fama, e sono forniti dei requisiti voluti dal diritto,*** ipsis iuramentum delatum est, ***previe le necessarie ammonizioni circa la santità del giuramento e le pene comminate contro gli spergiuri.*** Ita iuramento ab omnibus praestito, singuli, remotis aliis, excussi sunt, non modo de facto consuetudinis, sed etiam de causa scientiae : atque tam consona in substantialibus, tam varia in accidentalibus testimonia protulerunt, ut perspicue appareat legentibus, eos veritatem depromere , et a nemine de testimonio ab eis reddendo praemonitos edoctosque fuisse. Testibus igitur tanta cura excussis est omnino credendum. Quapropter non modo non probatur, sodales etiam post annum 1833 se ad pompam S. Nicolai perpetuo contulisse: sed imo probatur, eos post illum annum ab ea pompa prorsus se abstinuisse.

Planum iam feci, sodales laicos non teneri sacris pompis interesse, ut ex tridentina lege tenentur religiosi sodales. Sed non in hoc cadit nunc quaestio. Rivellenses enim sodales a Purgatorio non abnuunt sacrae pompae in honorem SS. Corporis Domini interesse: imo id exoptant et instanter petunt : tantum postulant id a se fieri posse, salva sodalitii sui libertate. Duae sunt Ri velli matrices Ecclesiae, quae, ut vobis referebat Emus Furiettus in Polycastren. matricitatis diei 14 septembris 1748, ***paucis quibusdam exceptis, sunt pares.*** Sodalitium a Purgatorio ea conditione ortum est, ut neutri ecclesiae sit subiectum : hanc suam libertatem sedulo omni tempore tuitus est, rectoremque suum,

praefectos, concionatores, confessarios, cathechistas ex alterutro clero vicibus alternis elegit, ut scimus ex visitatione episcopi Laudisio anni 1825. Quoad pompam die Corporis Domini ductam, nulla usque ad annum 1833 fuit sodalibus facultas electionis : quum una tantum pompa duceretur, huic uni intererant. Sed libere semper id egerunt, ac propterea ad nihil se in posterum obstrinxerunt. At si ponere velimus, quod omnino non concedo, per hanc consuetudinem aliquid obligationis eos contraxisse , contendo eos potuisse tantum se obligare in genere ad interveniendum supplicationi in honorem Corporis Christi, non item se obligasse ad interveniendum potius ad applicationem ductam a clero S. Nicolai, quam supplicationi ductae a clero S. Mariae. Etenim quomodonam id poterant, si per id tempus una tantum supplicatio eo die habebatur ? Igitur, etiam in hac hypothesi, libera sodalibus manet electio inter duas supplicationes. Hoc iure electionis pristina sua ac perpetua aequitate usi sunt, statuentes alternis annis ad alterutram pompam se conferre. Hac ratione arbitrati sunt et pietati suae satisfacere, et neutri clero facere iniuriam, et sodalitii libertati consulere.

Sed contra hanc sodalitii a Purgatorio libertatem, de qua cavetur in instrumento anni 1652, opponitur ab adversariis, non constare instrumentum illud ab auctoritate eclesiástica fuisse ratum habitum. Haec tamen ratihabitio post tria saecula omnino praesumenda est, nisi velimus antiquas omnes institutiones nutare ac vacillare. Insuper clerus S. Nicolai non advertit, quam periculorum ei sit talem proferre exceptionem. Si enim potestas ecclesiastica constitutionem sodalitii a Purgatorio auctoritate sua non probavit , sodalitium non esset ens ecclesiasticum , et deficeret omnino subiectum illius obligationis, quam immanibus conatibus clerus propugnat.

Verumtamen haec sodalitii nostri libertas ab utraque ecclesia rivellensi tam prudenter ac tam firmiter usque ab initio constituta est, ac tam diligenter sequentibus tempo-

ribus tuita, ut ego magnam foveam spem, etiam post praesentem controversiam eam incolumen mansuram.

Quibus ' hinc inde animadversis proposita fuerunt diluenda :

Dubia

I. ***An sit locus appellationis in casu.***

Et quatenus affirmative:

II. ***An sententia curiae archiepiscopalis salernitanae sit confirmanda vel infirmauda in casu.***

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. re discussa sub die 16 decembr. 1899 censuit respondere : ***ad primum providebitur in secundo. Ad secundum,'sententiam esse infirmandum.***

EX S. C. NEGOTIIS ECCLES. EXTRAORDIN.

PRAEPOSITA

-v-

POSTULATA patrum Concilii plenarii Americae Latinae.

Beatissime Pater,

Archiepiscopi et Episcopi Americae Latinae in Concilio plenario congregati, attentis necessitatibus suarum dioecesium, sequentia indulta instantissime postulant:

L Ut quoties Fidei Professio fieri debeat coram Episcopo, et adsit gravis necessitas, emitti valeat etiam coram delegato ipsius Episcopi.

II. Ut ubi necessarium sit ob paucitatem sacerdotum, audito Capitulo, et ubi Capitulum non adsit, habito voto Consultorum dioecesanorum, Episcopi ad Synodum dioecesanam singulis vicibus aut dimidiam partem Parochorum et Rectorum, aut illos vocare possint, quos opportunius vocandos in Domino iudicaverint.

III. Ut in Missis vivorum quae celebrantur cum cantu, in duplicibus primae et secundae classis, in dominicis aliisque

diebus solemnibus, et quoties SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium venerationi patet expositum, quamvis haberi non possint ministri sacri, liceat thurificationes peragere.

IV. Ut « Memoriale Rituum » a Benedicto XIII editum pro parochiis ruralibus adhiberi possit etiam in ecclesiis non parochialibus, in quibus verificentur conditiones *parvarum ecclesiarum.*

V. Ut Sanctitas Vestra ad omnes regiones Americae Latinae extendere dignetur declarationem S. C. Concilii pro Hispania editam die 31 Ianuarii 1880, iuxta formulam in nota art. 592 decretorum Concilii plenarii propositam, idest: *Sponsalia quae contrahuntur in regionibus nostris absque publica scriptura invalida esse, et publicam scripturam supplere non posse informationem matrimonialem, neque instrumentum in Curia dioecesana vel alibi conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento, ex quo inferri possit promissio serio facta contrahendi matrimonium.*

VI. Ut attentis specialibus circumstantiis regionum nostrarum, clerici etiam simpliciter tonsurati, ultra triennium ab omni officio et beneficio suspensi, elapso suspensionis triennio, privati ipso facto habendi sint iure deferendi habitum talarem et tonsuram, nisi obtineant specialem licentiam in scriptis a proprio Ordinario.

VII. Ut tuto admitti possint in regionibus nostris tamquam causae speciales privationis ab officio et beneficio parochiali, praevia legitima seu trina monitione, eae quae habentur in articulo 820 decretorum Concilii Plenarii, idest:

1. Publica, perdurans graviterque culpabilis infamatio quoad mores sacerdotales, etiam post legitimam admonitionem non correctos, qua cura animarum grave damnum patiatur;

2. Temeraria et post legitimam monitionem contumaciter repetita ad matrimonium admissio eorum, qui publicis impedimentis rite non dispensatis detinentur;

3. Omissio temeraria instructionis catecheticae, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, per maiorem anni partem et post legitimam monitionem pertinaciter continuata. Item temeraria et post legitimam monitionem iterata negligentia, in administratione sacramentorum fidelibus in articulo mortis constitutis, etiam ex sola causa distantiae ab ecclesia parochiali admissa ;

4. Gravis, publica et post legitimam monitionem repetita iniustitia et inobedientia in exigendis taxis, praesertim occasione matrimoniorum contrahendorum aut funerum, contra leges dioecesanas de taxis latas;

5. Gravis, publica, per maiorem anni partem temere protracta, atque post legitimam admonitionem pertinaciter continuata negligentia spiritualis curae et institutionis christianae Indiis et Nigritis paroeciae impendendae secundum normas in legibus dioecesanis praescriptas.

VIII. Ut attentis specialibus circumstantiis regionum nostrarum circa bona ecclesiastica, Episcopi, praevio Capituli vel Consultorum dioecesanorum consensu, facultatem habeant: I° Locandi bona ecclesiastica ultra consuetum triennium, usque ad novem vel duodecim annos, dummodo iuxta leges civiles periculum non adsit quod locatio transeat in emphyteusim; 2° Libere alienandi bona ecclesiastica, ubi summa pecuniae non excedat valorem viginti millium libellarum monetae propriae nationis, si necessitas vel evidens utilitas id postulent, et pretium inde obveniens investiatur loco honesto tuto et fructifero, favore Ecclesiae seu causae ad quam bona pertinebant.

IX. Ut iuxta articulum 697 decretorum Concilii Plenarii, in unaquaque provincia ecclesiastica hodie existenti, in Seminario Metropolitano vel alio de communi Suffraganeorum voto designando, erigi possint facultates Philosophiae scholasticae, Theologiae et Iuris Canonici, cum privilegio conferendi gradus academicos, servato interim statuto pro facultatibus archidioecesis Mexicanae a S. Congregatione Studiorum approbato, cum onere propria statuta intra annum conficiendi et approbationi eiusdem S. Congregationis Studiorum subiiciendi.

In iis autem nationibus in quibus plures sunt provinciae ecclesiasticae, facultates supradictae erigi valeant in uno tantum Seminario, communi voto episcoporum designando.

X. Ut in memoriam detectionis et conversionis Americae, in qualibet parochia cani possit Missa pro gratiarum actione cum hymno ***Te Deum,*** dominica proximiori diei duodecimo Octobris, quo die immortalis Columbus Americam detexit.

XI. Ut Officium et Missa propria S. Thuribii ad universam Americam Latinam extendantur sub ritu secundae classis.

XII. Ut Officium et Missa propria B.M.V, de Guadalupe sub ritu primae class, ad universam Americam Latinam extendantur.

XIII. Ut Sanctitas Vestra Constitutionem *Romanos Pontifices,* editam VIII idus maii 1881, ad universam Americam Latinam extendere dignetur.

Ex audientia SSmi, die 1. Ianuarii 1900.

SSmus D. N. Leo divina providentia Pp. XIII, audito voto specialis Congregationis S. R. E. Cardinalium, quibus Decretorum Concilii plenarii Americae Latinae recognitio commissa fuit, referente infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae, praedictas preces Patrum eiusdem Concilii plenarii benigne excipere dignatus est, prout sequitur :

Ad I, II, III, IV, VI, VII et VIII, pro gratia ad decennium;

Ad V, IX, X, XI, XII et XIII, pro gratia in perpetuum. Atque ita Sanctitas Sua rescribendum mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae die, mense et anno praedictis.

FELIX CAVAGNIS *Secretarius.*

EX S. CONGR. 8. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM: quid sit dicendum de ordinatione presbyteri, in qua defuit hostia actu traditionis instrumentorum.

Beatissime Pater,

Sacerdos N. N., ad S. V. pedes provolutus, humiliter exponit quod, cum die 22 Decembris 1894 ordinatus fuerit simul cum alio, ab Episcopo N., iam vita functo, in ipsa ordinatione defuisse hostiam super patenam vidit absque ullo dubio. Responsum vero datum a Supremo Sacrae Inquisitionis Tribunali die 11 Ianuarii 1899, ob defectum vini in calice, lectum in Ephemeride *II Monitore Ecclesiastico* mense Maio, intulit ei dubium de validitate suae ordinationis. Quapropter orator humiliter quaerit quid agendum in praxi:

I. Quoad ordinationem ;

II. Quoad Missas celebratas et beneficium coàdiutoriale cum animarum cura ab ipso exercita;

III. Quoad matrimonia coram ipso celebrata.

Et Deus etc.

Feria IV, die 17 Ianuarii 1900.

In Congregatione Generali coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, habita, propositis supradictis precibus, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Ordinationem esse iterandam ex integro sub conditione et secreto, quocumque die et a quocumque catholico Episcopo sub conditione, facto verbo cum SSmo ut suppleat de thesauro Ecclesiae, quatenus opus sit, pro Missis a Sacerdotibus celebratis ut in casu.

Sequenti vero feria VI, die 19 eiusdem mensis Ianuarii, in solita audientia SSmi D. N. Leonis div. prov. Pp. XIII, ab Assessore S. Officii habita, SSmus resolutionem EE. ac RR. Patrum approbavit, ac gratiam benigne concessit.

I. Can. MANCINI *S. B. et U. Inquisii. Notarius.*

DUBIUM quoad ordinationem presbyteralem, in qua calix non fuit tactus, et patena sublevata fuit super calicem ipsum, dum formula recitaretur.

Beatissimo Patre,

Tizio sacerdote, nella sua ordinazione presbiterale, ancora prima che dal Vescovo s'incominciasse la formóla prescritta pel tatto degli strumenti, essendosi accorto di non toccare l'ostia, tentò di raggiungerla; ma avendo per questo dovuto fare sforzo, staccò dal calice la mano durante tutta lá formóla, pur non arrivando a raggiungere l'ostia. Inoltre, in causa del sopra accennato sforzo della mano, *sollevò pure la patena dal calice,* in modo che *probabilmente* costrinse pure il Vescovo ordinante a sollevare la patena medesima per parte sua, sì da non avere un solo composto morale tra la patena e il calice così tra loro totalmente disgiunti.

Prostrato pertanto ai piedi della S. V., umilmente domanda come debba regolarsi.

Che ecc.

Feria IV, die 17 Ianuarii 1900.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rñii Patres respondendum mandarunt :

Acquiescat.

Sequenti vero feria VI, die 19 eiusdem mensis Ianuarii, in solita audientia SSmi D. N. Leonis div. prov. Pp. XIII ab Assessore S. Officii habita, SSmus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius.*

DUBIUM: an s. Sacrificium celebrari valeat super altaribus consecratis, saeculis transactis, absque Sanctorum reliquiis.

In Relatione status Ecclesiae Nichteroyen. seu Petropolitanae S. C. Concilii, sequens postulatum ad S. Rituum Congregationem transmissum reperitur : nimirum

« An tolerari possit ut Sacrificium Missae celebretur super « lapides altarium etiam ecclesiarum parochialium praecedenti « saeculo, vel etiam saeculo decimosexto consecratos sine se- « pulchro et sacris Reliquiis Sanctorum a Missionariis vel an- « tiquioribus Episcopis ? Sunt qui affirmant antiquis illis tem- « poribus habuisse Missionarios Americae Meridionalis privile- « gium consecrandi altaria portatilia seu lapides ad Sacrificium « sine Ss. Reliquiis ».

Feria IV, die 17 Ianuarii 1900.

In Congregatione Generali ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositum praefatum dubium, quod ad hanc Supremam Congregationem resolvendum transmissum fuit, praehabitoque

RR. DD. Consultorum voto, iidem' Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Curet Episcopus, ut ritu praescripto in altaribus collocentur Sanctorum Reliquiae : et interim, in casu tolerari potest usus celebrandi in praedictis altaribus.

Sequenti vero feria VI, die 19 eiusdem mensis Ianuarii in solita audientia SSmi D. N. Leonis div. prov. Pp. XIII ab Assessore S. Officii habita, SSmus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI *.S. B. et U. I. Notarius.*

DUBIUM : an sanari possit matrimonium christianum infidelis ad fidem conversi, qui innixus privilegio paulino, omisit interpellationem mulieris infidelis.

Beatissime Pater,

Curatus quidam Dioecesis N., ad S. V. pedes provolutus, sequentem casum exponit:

Titius, iudaeus, in infidelitate matrimonium contraxit cum muliere pariter infideli, a qua, dato libello repudii, in forma legali divortii sententia liberatus est. Quo facto, cum catholica Berta amores fovit, cum qua, postquam eadem ad hoc se coram magistratu civili *absque confessione* declaravit, civile consortium iniit anno 1887, quale matrimonium iuxta leges civiles validum reputatur.

Conscientiae morsibus ob defectionem suam a fide pressa, Berta in id intendit ut pseudo-virum suum ad fidem amplectendam promoveret, cum ex occasione cuncta facile componi posse Curatus ipsi exposuisset. Revera anno 1892 Titius baptizatus est, eodemque die matrimonium inter ipsum Titium et Bertam, quae item Ecclesiae reconciliata est, in facie Ecclesiae celebrabatur, coram eodem Curato, qui tunc prioris matrimonii Titii in infidelitate contracti vinculum ex oblivione plane neglexit. Nunc autem ex simili casu, in quo ipsi interpellatio coniugis infidelis demandata fuerit, dictus Curatus erroris sui memor factus, defectum reparare studuit. Inquisitione enim facta, rescivit, priorem coniugem iudaeam adhuc vivere in loco N., ast nec fidem amplecti velle, nec cuicumque interpellationi re-

sponsum dare, cum matrimonium suum ex lege civili legitime solutum et alterum a Titio cum Berta coram magistratu civili initum pro valido reputet.

Proinde dictus Curatus humillime petiit, ut ex Apostolicae Sedis venia ab interpellatione coniugis infidelis in casu dispensetur, matrimoniumque inter Titium et Bertam, ut supra in facie Ecclesiae post Baptismum viri initum, in radice sanetur.

Et Deus etc.

Feria IV, die 17 Ianuarii 1900.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab EE. ac RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis antedictictis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, omnibus rite accurateque perpensis iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Dummodo constet ex processu saltem summario, mulierem nullum responsum dare voluisse, matrimonium contrahi posse, et ad mentem. — Mens est, in hoc casu non 'dari locum dispensationi in radice : nam adhuc viget prius matrimonium in infidelitate contractum; quod non dissolvitur, nisi quando, post conversionem et interpellationem inutiliter factam, novum ac validum contractum fuerit matrimonium.

Sequenti vero feria VI, die 19 eiusdem mensis Ianuarii, in solita audientia SSmi D. N. Leonis div. prov. Pp. XIII ab Adsessore S. Officii habita, SSmus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI -S. *R. et U. I. Notarius.*

DUBIUM. An filiae haereticorum recipi possint in Institutis catholicis feminarum?

Beatissimo Padre,

N. N., Superiora di un istituto educativo femmineo, prostrata ai piedi della S. V., umilmente espone che qualche tempo fa, avendo avuta richiesta di accettare come alunne esterne, ossia nel semi-convitto, due giovanette di famiglia protestante, essa si rivolse all'Ordinario che le permise di accettarle, a condizione però di esporre più tardi ogni cosa al S. Uffizio.

Susseguentemente poi, avendo avuta richiesta di accogliere nel semi-convitto un'altra giovanetta protestante, essa l'accettava egualmente come le due prime.

Altre volte in fine, nei tempi passati, non mancarono domande per fare accettare, come alunne interne, delle giovanette acattoliche.

Ciò premesso, Foratrice chiede umilmente:

1.° Se possa continuare a tenere fra le alunne del semiconvitto le tre fanciulle, di cui sopra, avvertendo che i parenti delle medesime hanno volentieri dato amplissima facoltà perchè si usi con loro lo stesso trattamento che con le cattoliche, quanto a insegnamento di catechismo, intervento a funzioni ecc.

2.° Come regolarsi in avvenire in caso di richieste di fanciulle acattoliche come alunne, sia esterne, sia interne.

Che ecc.

Feria IV, die 6 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Erìiis et Revmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisìtoribus habita, proposito antedicto supplici libello, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, re mature perpensa, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Tres alumnas iam receptas tolerari posse, modo absit quodvis perversionis periculum catholicarum alumnarum; qua de re sedulo a Moderatricibus advigilandum. Quoad ceteras, pro internis, negative. Pro externis, recurrant in singulis casibus, semper exceptis apostatarum filiabus.

Sequenti vero feria V, die 7 eiusdem mensis et anni per facultates Emo ac Revmo Dno Cardinali S. O. Secretario tributas, Sanctissimus D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII. resolutionem EE. ac RR. Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI ***S.** R. et **U.** Inquisii. Notarius.*

DUBIUM quoad Missas celebratas cum hostiis, quarum farina dubia sit.

Il Vescovo N. N. espone alla S. Sede:

'« In questa mia diocesi di N. e nelle diocesi vicine si vendono da più anni in larga misura farinette niente genuine, che spesso furono adoperate anche nella formazione delle ostie per la S. Messa.

« E molti Sacerdoti in buona od in dubbia fede sulla validità della materia celebrarono il divino Sacrifizio con le ostie di tali farine.

« Nel giro della S. Visita Pastorale, verificata la gravezza del fatto, cercai applicare rimedii energici con provvedimenti adatti ai singoli luoghi e con severe sanzioni; provvedimenti e sanzioni che vennero confermati ed estesi più tardi con analoga circolare a tutta la diocesi.

« Queste misure disciplinari turbarono ***quoad praeteritum*** la coscienza di parecchi sacerdoti, i quali mi domandano come regolarsi per le messe celebrate con siffatta materia, e talvolta col dubbio circa la validità.

« Pertanto prego l'Eminenza Vostra Reverendissima a volermi impetrare dalla S. Sede Apostolica una benigna sanatoria per questi miei sacerdoti (anche per le messe celebrate fuori diocesi), e subordinatamente di ottenere loro di sdebitarsi di ogni onere di coscienza con la celebrazione di un piccolo numero di messe, che sarebbe in proporzione mitissima determinata dall'Ordinario nei singoli casi ».

Et S. Congregatio suprema S. Officii, mature perpenso hoc quaesito, in feria iv die 27 Ianuarii 1897, audito voto RR. DD. Consultorum, rescripsit: ***Supplicandum Sanctissimum ut suppleat de thesauro Ecclesiae, quatenus opus sit, habita ratione circa Missas celebrandas eorum qui in bona et eorum qui in dubia fide eelebrarunt.*** Sequenti vero feria vi, 29 eiusdem mensis, facta relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII, Sanctissimus resolutionem Eminentissimorum Patrum confirmavit, et petitam gratiam benigne concessit.

DUBIUM. Utrum qui vi morbi carnes edit, possit miscere pisces et carnem in die ieiunii.

Eminentissimo Principe,

Tizio ammalato ha bisogno in giorno di digiuno non solo di mangiar più volte, ma anche delle carni; potrebbe ***simul*** mangiar pesci?

Ritengo di sì. Il S. Officio (27 Gennaio 1875) obbliga ***,ad non permiscendas epulas*** anche coloro che ***carnes sumunt vi indulti,*** non solamente ***eos qui ietunant:*** richiama il decreto 24 marzo 1841

<che «anche gli scusati ab unica comestione *propter impotentiam vel laborem,* mangiano carne *vi indulti* e quindi son tenuti *ad non permiscendae epulas* ». Non parla di coloro che mangiano carni per malattia, quindi fa supporre o lascia credere, che mangiando carni non in forza dell'indulto, non sien tenuti *ad non permiseendas epulas.*

Questa è l'opinione espressa del Ballerini Palmieri, *Op. Mor.* vol. II, tr. III, n. 26 (ediz. II, p. 797); del Génicot (Prof. Lovaniens.) vol. I, n. 444 (II ediz.); del D'Annibale, vol. III, n. 138 (III ediz.); del BuccerOni, *Inst.,* vol. I, n. 1607.

Prostrato al bacio della S. Porpora mi professo

Efeviïio figlio in X.

18 Dicembre 1898. N. N.

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, respondit: *Oratorem sententiam auctorum, quos citat, tuia conscientia sequi posse.*

Datum Romae in s. Poenitentiaria die 9 Ianuarii 1899.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

3P0LETANA seu NURSINA. Canonizationis B. Ritae a Cassia monialis professae Ordinis eremitarum S. Augustini.

SUPER DUBIO

An, et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Infestis virtuti temporibus et quum in media hominum societate atque in ipso Ecclesiae sinu maximae coortae essent tempestates, visa est Dei Providentia ingruentibus malis praesentes occurrisse, excitatis mirae sanctimoniae viris aut feminis, quorum opera et iacens restitueretur pietas et ultrix Dei manus in flagella prona, quodammodo retineretur. Haec profecto erat publicarum rerum conditio in Italia praesertim, quum scissis miserrime gentibus et in vitia mentibus obtulit Deus *Mulierem fortem,* quae virtutum fulgore vel invitos in sui ad-

mirationem raperet. Ea fuit B. Rita a Cassia in Umbris; cui mulieri iure aptari possunt illa Ioannis Chrysostomi : ***Vere mireris qualis rosa in spinarum medio germinaverit.***

Ortum habuit in arce Porena parvo prope Cassiam oppido., anno MCCCLXXXI. Paterna in domo dum vixit, pietate, modestia, obedientia, austeritate, caritate in pauperes mire eluxit, maxime vero assidua contemplatione et amore solitudinis. Quo quum vehementissime flagraret, neque tamen obedientiae lex arbitrium illi relinqueret in deserta loca concedendi, domesticum sibi secessum constituit, cubiculo in sacram aediculam converso, ubi diu delituit tamquam ***columba gemens in foraminibus petrae et in caverna maceriae.*** In eo domicilio, Christi patientis-memoriae recolendae et innoxiae carni ieiuniis et flagris macerandae sedulo intenta, non potuit de religiosae vitae disciplina in aliquo monialium instituto amplectenda non cogitare quam ardentissime. Verum rata tandem acceptionem Deo esse obedientiam quam sacrificium sivit, licet invita, se dari nuptui. Quum vero in omnibus mulierem se fortem exhibuit, tum maxime in perferendis a rixoso viro diuturnis molestiis. Quo erepto-miseranda nece, mirum quantum nisa est, ut proni in ultionem filii, patris interfectoribus parcerent, multo maliens orbari se natis quam eos a lege divina discedere. Cuius voti brevi compos facta, ac sanguinis vinculis omnino soluta, aditum petiit inter moniales Virgines Ordinis a S. Augustino, cuius perillustris et antiquus Ordo tot conspicuis sanctitate et doctrina filiis iure gloriatur. A quibus quod vidua esset, tertio repulsa, tandem mirabili itinere ac caelesti deducta manu, earum domum ingressa est Cassiae. Ibi virtutum nitore et prodigiorum fama,, per annos quatuor et quadraginta in dies magis innotuit, donec diuturna infirmitate patientissime tolerata ac meritis onusta, pretiosam sanctorum mortem obiit Cassiae undecimo calendas iunias, sex supra septuaginta annos nata.

Mortuae adstitit Cassiana gens frequentissima, sublatis manibus ac venerabunda. Alii subinde populi, susceptis peregrinationibus, numquam destiterunt eius adire sepulcrum ipsamque sibi demereri eo cultu, qui decet sanctos, donec, instantibus plurimis, a Clemente XII in Beatorum numerum relata est. Tandem Ssmus Pontifex Leo XIII votis annuens universae Augustinianae Familiae enixas preces ingeminantis, ut fastigium honoribus B. Ritae imponeretur, praesertim cum tria vulgarentur

«eius intercessione patrata miracula, accuratam in haec fieri inquisitionem iussit, remque omnem mature perpendi. Quibus de miraculis rite instituta est actio ; primum in antepraeparatorio Conventu, quinto calendas quintiles anni MDCCCXCIX indicto penes Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella, Causae Relatorem; deinceps, quaestione instaurata, quinto idus Ianuarii volventis anni: denique in generalibus Comitiis coram Ssmo D. N. Leone PP. XIII habitis in Aedibus Vaticanis, sexto calendas huius mensis, in quibus idem Rmus Cardinalis dubium proposuit : « *An, et de quibus Miraculis constet in casu et ad* •*effectum de quo agitur* ». Rmi Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi et Patres Consultores suam sententiam ediderunt. Ssmus autem Dominus exceptis omnium suffragiis quamvis Causam *electissimam et nobilissimam dixerit, attamen de propositis miraculis iudicium suum de more distulit, effusis interim ac iteratis precibus ad caeleste auxilium implorandum.*

Hodierno autem die, qui incidit festus quo pueri Hebraeorum cum palmis Christo occurrerent, Eucharistica Hostia litata, ad Se accersiri iubet Riïmm Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella, Beneficiis attribuendisPro-Magistrum, S. Rituum Congregationi Pro-Praefectum, et R. P. D. Io. Baptista Lugari S. Fidei Promotorem, nec non me infrascriptum Secretarium, hisque adstantibus solemniter edixit: *Constare de tribus Miraculis:* videlicet : de primo : *Odoris qui ad exuvias Beatae Ritae efflatur maxime quum ad Eiusdem invocationem prodigia patrantur et miro modo diffunditur* ; — de altero : *Instantaneae perfectaeque sanationis puellae Elisabeth Bergamini a coniun--etivae oculorum membranae purulenta inflammatione, secuta cheratite pannosa et ozenite ;* — de tertio : *Instantaneae perfectaeque sanationis Cosmae Pellegrini a gastro-enterite eatharrali chronica, ab hemorroidali affeetione, et chronica item gravique anemia.*

Hoc autem decretum evulgari et in SS. Rituum Congregationis acta referri mandavit, sexto idus Aprilis anno **MCM.**

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S. R. C. Pro-Praef.*

L. ffi S.

DIOMEDES PANICI 5. *R. C. Secretarius.*

SPOLETANA seu NURSINA. Canonizationis B. R Hae a Cassia monialis professae? Ordinis Eremitarum S. Augustini.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione trium Miraculorum, Tuto procedi possit ad solemnem eiusdem Beatae Canonizationem.

Quae de christiana pietate Paulus Apostolus affirmavit,, ipsam ad omnia utilem esse, id plane comprobant Beatarum exempla mulierum, quae in triplici statu et virginum et viduarum et monialium summa cum laude versatae sunt. His optimo iure accensenda est Beata Rita a Cassia, quam ad supremos Caelitum honores evehendam, praesenti anno sacro, divina Providentia reservasse videtur Sanctissimo Pontifici, ut ex nova Umbriae gloria, qua in regione tot annos commoratus est, auspicia sumeret et Sibi et Ecclesiae faustissima.

Pueritiam et ineuntem adolescentiam B. Rita quum omni genere virtutis ornasset, vix egressa annum aetatis xvin, contra suae voluntatis votum nupsit, in eoque statu, diu asperum viri ingenium patientissime toleravit, optime promerita laudem mulieris fortis : *Beddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitae suae (Prov.* xxxi. 12). Viduam se gessit, qualem Apostolus praecipit, ita ut fuerit omni honore dignissima. Postrema quod iampridem concupiverat, patrimonio inter pauperes distributo, in familiam se recepit Monialium a S. Augustino, in ipsa urbe Cassia, ibique sanctissime degit annos quatuor supra quadraginta. Mortuae is habitus est honos, qui eximiae sanctitatis feminis haberi solet. Cui illustrandae iubar miraculorum quum accessisset eaque fuissent rite probata, Clemens XII Caelitum Beatorum honores illi asseruit. Mox causa denuo agitata, et actione super tribus miraculis instituta, Ssmus D. N. Leo PP. XIII, de singulis constare decrevit.

Unum supererai iuxta sacri huius fori statuta inquirendum; utrum Caelitum Sanctorum honores B. Ritae a Cassia Tuto decerni possent. Itaque, in generalibus Comitiis Sacrae huius Congregationis coram Ssmo Domino Nostro habitis sexto calendas huius mensis, Rmus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella, Causae Relator, dubium proposuit : « *An, stante approbatione trium Miraculorum,* Tuto *procedi possit ad solemnem.*

huius Beatae Canonizationem ». Quamvis vero Rmi Cardinales et Patres Consultores unanimi suffragio, Tuto fieri posse respondissent, nihilominus Beatissimus Pater mentem suam aperire noluit, remque distulit in alium diem, ut diuturnis interea precibus ad divinam opem erfiagitandum spatium suppeteret.

Hoc vero die, quo cum palmis obviam Christo itum est, Salutari Hostia ferventer oblata, ad Se accivit Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella S. R. Congregationi Pro-Praefectum, itemque R. P. Io. Baptistam Lugari S. Fidei Promotorem, et me infrascriptum a Secretis, iisque praesentibus rite pronuntiavit : Tuto *procedi posse ad solemnem Beatae Bitae a Cassia Canonizationem.*

Praesens autem Decretum publici iuris fieri, in Acta S. Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas sub plumbo de Canonizationis solemnibus in Patriarchali Basilica Vaticana, ubi primum licuerit, celebrandis, expediri iussit sexto idus Aprilis anno **MCM.**

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-DaL S B. C. Pro-Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. B. C. Secretarius.*

SINARUM TUNQUINEN. ei COCHINCHINEN. Beatificationis seu declarationis martyrii venerabilium Servorum Dei Ioannis Gabrielis Taurin Dufresse Episcopi Tabracen., Petri Dumoulin Borie Episcopi electi et sociorum ab exteris Missionibus Ignatii Delgado Episcopi Mellipotamen., Dominici Henares Episcopi Fesseitensis et Sociorum ordinis Praedicatorum Francisci Clet e Congr. Missionis et Ioannis, a Triora Ordinis minorum S. Francisci in odium fidei ab idololatris interfectorum.

SUPER DUBIO

An, stante decreto declarationis Martyrii eiusque Causae, et Signorum seu Miraculorum ipsum Martyrium illustrantium, Tuto *procedi possit ad eorumdem VV. Servorum Dei Beatiñeationem.*

Invicti milites Christi, qui Fidei immortalis veritatem suo testati sunt sanguine, trophaea maxima pepererunt Ecclesiae,

quibus mater haec fortium virorum in dies aucta gestit, iterans Apostoli verba : *Haec est victoria quae vincit mundum fides nostra* (Io. Ep. I. v. 4). Dumque palmas filiorum altera manu e terris colligit atque recenset, altera scribit ipsorum nomina in caelis. Candidato huic agmini digna quae adnumeretur omnino, est recensior pugilum manus, videlicet Ioannes Gabriel Taurin Dufresse, Petrus Dumoulin Borie, Ignatius Delgado, Dominicus Henares, Franciscus Clet, Ioannes a Triora et socii plures, numero ad septem et septuaginta, qui hoc ipso saeculo, per Sinarum Imperium Tunquinum et Cochinchinam, exagitatam atque proscriptam a teterrimi s tyrannis christianae Fidei professionem ea alacritate et constantia retinuerunt, ut antiquorurn gesta martyrum visi fuerint plane exaequasse. Contempti s enim omne genus minis, exilia, vincula, cruciatus, nqcem acerbissimum perferre maluerunt, quam a sanctissima Religione discedere. Quorum de Martyrio eiusque Causa itemque de Miraculis seu Signis, constare, duobus exceptis ex eo numero, qui iis signis carent, quos tamen eodem censu habendos ac reliqui martyres edixit Sanctissimus Pontifex, decretis latis sexto nonas Iulii superioris anni, et quinto calendas mensis Martii mox elapsi.

Ad actorum vero legitimam seriem perficiendam in Generalibus Sacrae Rituum Congregationis Comitiis habitis sexto calendas huius mensis Aprilis in Aedibus Vaticanis coram SSrño Dno Nostro Leone Papa XIII, propositum fuit dubium a Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella, Causae Relatore, de Beatorum Caelitum honoribus Tuto eisdem VV. Dei Servis tribuendis. Tum Rmi Cardinales tum Patres Consultores affirmativum suffragium ediderunt. Beatissimus vero Pater, impensius exoraturus divinae sapientiae praesidium, sententiam Sibi adhuc differendam censuit.

Hac vero die, Dominica, proxima Solemnibus Christi Resurgentis, Sacro religiosissime peracto acciri iussit Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella Causae Relatorem, S. R. Congregationi Pro-Praefectum, nec non R. P. Io. Baptistam Lugari Sanctae Fidei Promotorem, meque insimul infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter decrevit: Tuto *proeedi posse ad eorumdem VV. Servorum Dei beatificationem.*

Decretum hoc in vulgus edi et in acta Sacrorum Rituum Congregationis inseri Litterasque Apostolicas in forma Brevis de

Beatificatione quandocumque celebranda, expediri mandavit sexto idus Aprilis'anno **MCM.**

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S.R. C. Pro-Praef.*

L. © S.

DIOMEDES PANICI, -S. *R. C. Secretarius.*

INDIARUM ORIENTALIUM. Beatificationis seu declarationis martyrii venerabilium Servorum Dei P. Dionysii a Nativitate et Fr. Redempti a Cruce Ordinis Carme* • litarum Excalceatorum.

SUPER DUBIO.

An, stante decreto declarationis Martyrii eiusque causae, et Siqnorum seu Miraculorum ipsum Martyrium illustrantium, Tuto *proeedi possit ad solemnem eorumdem VV. Servorum Dei Beatificationem.*

Dum enervis quaedam ac plane terrestris philosophia instaurare conatur vetus illud Satanae imperium, quo facile pateat illecebris omnibus et corruptelis iter, iactatque oretenus suum quisque strenuum, animum ac pronam voluntatem in commune bonum, quum revera propriae plerumque spectentur fortunae et commoda ; insigni spectaculo sunt in Catholica Ecclesia omnis conditionis homines, qui, urgente Christi caritate, ad Ipsius regnum in terris prolatandum, non dubitarunt fractam diuturnis laboribus et aerumnis vitam fortissimi usque ad extremum púgiles, sui effusione sanguinis consummare. Eiusmodi exemplo, inter alia pene innumera, fulgent Carmeli duo lumina, ex Ordine Excalceatorum, Venerabiles Viri P. Dionysius a Nativitate et Fr. Redemptus a Cruce, qui an. MDCXXXVIII insidiis petiti ab rege urbis Achem in Sumatra insula, et in odium Christianae Fidei, vincula, ludibria ac teterrima quaeque-perpessi, gloriosum vitae cursum gladiis confossi absolverunt. Quorum de Martyrio eiusque Causa, de Signis seu Miraculis Martyrium ipsum illustrantibus constare, rite expensis probationibus edixit Ssmus D. N. Leo Papa XIII, decreto lato octavo calendas huius mensis.

Dubium discutiendum supererai : « *An, stante approbatione MaHyni eiusque Causae, Signorum seu Miraculorum Marty-*

rium ipsum illustrantium, Tuto *procedi possit ad solemnem eorumdem Venerabilium Servorum Dei Beatificationem* ». Hoc dubium a Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella, loco et vice Cardinalis Lucidi Mariae Parocchi Causae Relatoris, propositum fuit in Generali Sacrae R. Congregationis Conventu habito coram Ssmo D. N. Leone PP. XIII die vicesima septima mox elapsi mensis Martii. Rmi Cardinales et Patres Consultores suam singuli protulere sententiam, Ssmus Pater, omnibus attente auditis, perspectaque Martyrii, Causae Martyrii et Signorum veritate, supremum tamen distulit iudicium in alium diem.

Hac vero Dominica a Palmis, Sacro rite peracto, ad nobiliorem hanc Vaticani aulam accedens ac Pontificio solio assidens, ad Se accivit memoratos Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella S. R. Congregationi Pro-Praefectum et Lucidum Mariam Parocchi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, Causae Ponentem, una cum R. P. Io. Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto a Secretis, iisque adstantibus, solemni decreto sanxit : Tuto *procedi posse ad Venerabilium Servorum Dei P. Dionisii a Nativitate et Fr. Bedempti a Cruce solemnem Beatificationem.*

Praesens autem Decretum publici iuris fieri, in Acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda,- expediri iussit sexto idus Aprilis anno **MCM**

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S. B. C. Pro-Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

AUGUSTANA. Beatificationis et canonizationis vener. Servae Dei sor. Mariae Crescentiae Höss monialis professae tertii ordinis S. Francisci in monasterio Kauffburano.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum Miraculorum, Tuto *procedi possit ad solemnem eiusdem Venerabilis Servae Dei Beatificationem.*

Quo tempore Supremi Ecclesiae Pastoris animum excitavit Deus, ut de reditu eorum qui dissident in unum Petri ovile im-

pensius cogitaret, divina Providentia factum videtur ut Beatorum Caelitum honores peterentur Virgini, quae Fidei constantia, vi charitatis, diuturnis precibus et lacrimis lutheranum errorem atque dissidium a sua gente deprecata est. Novum itaque spei robur ac fiducia Pontificiis votis ac bonorum omnium accedet ex provecto cultu Ven. Sororis Mariae Crescentiae Hos, eruntque auspicio felicissimo decreti Feminae honores quae « *adepta est gloriam in conversatione gentium* » (Eccl. **L,** 5).

Orta Kauffburae in Svevia piissimis parentibus manuum labore sibi victum quaerentibus, pueritiam adolescentiamque transegit eo comitatu virtutum, ut vel ipsis Catholicae veritatis osoribus admirationi esset. Divini Numinis amore impulsa, secum ipsa reputans quam fiuxae, caducae et inanes omnes humanae res essent, arctioris vitae cupiditate exardescens, societati Monialium Tertii Ordinis S. Francisci, in asceterio Kauffburensi nomen dare constituit. In eo domicilio, diu acerbissima quaeque invicta patientia toleravit. Variis deinde officiis perfuncta sanctissime, praesertim instituendarum iuniorum munere, unanimi tandem Sororum suffragio adiecta est quae universae Familiae praeesset. Eius famae celebritas ac mira eidem collata divinitus dona adeo percrebuerunt, ut eam, tamquam oraculum, peterent ex dissitis etiam regionibus sexus omnis et conditionis homines, vel ipsa regiae dignitatis Fastigia. Ardens haec in caliginoso loco lucerna, exstincta est divini amoris afflatu in pervigilio Resurrectionis Dominicae, die v mensis Aprilis anno MDCCXLIV. Cui sanctitati illustrandae iubar miraculorum quum accessisset, super binis ex his actio est instituta; quibus rite perpensis atque probatis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII quinto calendas mox elapsi mensis Martii de utroque constare decrevit.

Unum supererai iuxta Sacri huius Fori instituta inquirendum : *Utrum Beatorum caelitum honores Ven. Servae Dei Mariae Crescentiae ffõss* Tuto *decerni possent.*

Itaque in Generalibus Sacrae huius Congregationis Comitiis coram Ssmo Domino Nostro habitis sexto calendas vertentis mensis, Rmus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella, loco et vice Rmi Cardinalis Miecislai Ledóchowski Causae Relatoris, dubium proposuit: « *An stante approbatione duorum Miraculorum,* Tuto *procedi possit ad solemnem huius Ven. Servae Dei Beatificationem* ». Etsi vero Rmi Cardinales et PP. Consultores una-

nimi suffragio Tuto fieri posse respondissent, nihilominus Beatissimus Pater mentem suam aperire distulit, ratus in re tam gravi diuturnis precibus esse concedendum spatium.

Hoc autem die sacrato ob memoriam Christi Hierosolymam ingredientis inter palmas olivarum, Salutari Hostia pientissime perlitata, ad Se accivit Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella S. R. Congregationi Pro-Praefectum, et Cardinalem Miecislaum Lodóchowski Causae Relatorem, necnon R. P. Io. Baptistam Lugari S. Fidei Promotorem et me infrascriptum a Secretis, iisque presentibus solemniter edixit : Tuto *proeedi posse ad solemnem Ven. Servae Dei Mariae Creseentiae Höss notificationem.*

Hoc au^em Decretum publici iuris fieri et in acta S. R. Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de solemni Beatificationis ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrando, expediri mandavit sexto idus Aprilis anno **MCM.**

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S. R. C. Pro-Praef.*

L. © S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

NEAPOLITANA. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. Mariae Iulianae a SS. Sacramento tertii Ordinis Servorum B. M. V. a Septem Doloribus moderatricis monasterii Mantellatarum S. Augustini.

Instante Rmo D. Raphaele Maria Virili Antistite Urbano et Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. Mariae Iulianae a SSmo Sacramento Postulatore, Eñius et Rmus Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Portuensis et S. Rufinae, loco et vice Erfii et Riïii Dui Cardinalis Camilli Mazzella Sacrae Rituum Congregationi Praefecti et huiusce Causae Relatoris, in Ordinariis Sacrae eiusdem Congregationis Comitiis Ordinariis Rotalibus subsignata die ad Vaticanum coadunatis iuxta Apostolicas dispositiones annis 1878 et 1895 editas sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sententia Iudicis ab Emo et Rmo Domino Cardinali Archiepiscopo Neapo**

litano delegati super cultu praefatae Ven. Servae Dei non exhibito seu super paritione decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?» Et Sacra eadem Congregatio proposito dubio accurate expenso, atque audito voce et scripto R. P. D. Ioanne Baptista Lugari S. Fidei Promotore respondendum censuit: *Affirmative seu confirmandam esse sententiam Curiae Neapolitanae.* Die 6 Februarii 1900.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit, die duodecima iisdem mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

P1CTAVIEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Huberti Fournet sacerdotis fundatoris Congregationis Filiarum Crucis vulgo Sororum sancti Andreae.

Ad humillimas preces Revmi D. Raphaelis Mariae Virili Antistitis Urbani et Causae Pictavien. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Huberti Fournet Postulatoris legitime constituti, jn Coetu Sacrorum Rituum Congregationis Ordinario Rotali, subsignata die ad Vaticanum coadunato coram Emo ac Rmo Domino Cardinali Vincentio Vannutelli eiusdem Causae Relatore et iuxta Apostolicas dispositiones annis 1878 et 1895 editas, sequens Dubium discutiendum propositum fuit : « *An constet de validitate et relevantia Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum; testes sint rite ac recte examinati et iura producta legitime compulsata, in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Et Sacra eadem Congregatio omnibus perpensis atque audito voce et scripto R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, ad praefatum Dubium respondendum censuit: « *Affirmative seu constare; demptis tamen extraiudicialibus attestationibus*». Die 6 Februarii 1900.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die duodecima iisdem mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA, S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

INDIARUM ORIENTALIUM. Beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilium Dei Servorum P. Dionysii a Nativitate et Fr. Redempti a Cruce ordinis Carmelitarum excalceatorum.

SUPER DUBIO

An constet de Martyrio et causa Martyrii, nec non de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.

Plerisque ordinem et signa sua deserentibus in hac vita, quae est hominis militia super terram, singularis fortitudinis et constantiae documenta esse possunt sancti quidam viri, qui triplici, functi militia pro Civitate, pro Ecclesia, pro Christo, intaminatis honoribus fulserunt, egeruntque de hostium genere vario triumphus nobilissimos. Huiusmodi militum numerum mirifice augent Venerabiles Dei Servi P. Dionysius a Nativitate et Fr. Redemptus a Cruce uterque Carmelitarum Excalceatorum Ordinis insigne decus.

Dionysius a Nativitate, ortus in urbe maritima Honfleur Dioecesis Baiocen. Normanniae provinciae anno 1600, christiana fide, pietate atque optimis studiis valde commendatus adolescens, primum stipendia fecit, reique nauticae peritissimus brevi summos in exercitu gradus est assequutus, usque ad Navarchi et Cosmographi munus in Indiis Orientalibus. Gallicis navibus misere ex incendio destructio, Batavis mercatoribus se adiunxit, donec haereticorum societatem pertaesus, abdicavit officium. Tunc, iis regionibus relictis, Cochinum perrexit ubi

etiam Navarchi maioris imperio est decorafcus. Arduis interim confectis navigationibús, multisque rebus fortiter et cum virtute gestis, versare crebrius animo coepit, quod iampridem avebat propositum, se Dei mancipandi sacraeque militiae in aliquo Coenobitarum Ordine profitendae. Cuius voti tandem compos effectus, in inclytam Carmelitarum Excalceatorum Familiam receptus est. At nondum tyrocinium egressus, ut moderatoribus morem gereret, stricto Crucis vexillo, contra haereticos et Batavos strenue pugnavit. Absoluto probationis curriculo, et solemnibus votis rite Conceptis, iussus est Lusitanum Oratorem prosequi legatum ad regem civitatis Achem in Sumatra insula eiusque navigationis datus comes Fr. Redemptus a Cruce, Lusitanus, suavi ingenio et insigni pietate vir, et ipse antea in Indiis Orientalibus miles. Cognito legationis adventu rex Achemensis insidias parat; rabida turcarum manus Legatum cum omni comitatu et Venerabiles Fratres Carmelitas vinctos detrudunt in carcerem. Ibi frustra blandi tiis et illecebris tentati ut a Christi Fide desciscerent, iis aerumnis ac probris obiecti sunt, quibus mors ipsa esset longe optabilior.

Primus fortiter cecidit Ven. Redemptus, emissis eminus telis confossus ac venenatis ad ultimum ensibus confectus. Dionysius vero, nobilis illius cohortis dux, extremus occubuit, quod ipse fiagitaverat, ut adspectu et alloquio suo socios passionis excitaret. Quem denique aggressuris quum inopinato excidisset animus, rex iussit elephantum pedibus proterendum dare. Iamque se operi parabant, quum repente quidam adstantium, qui a Christi Fide defecerat, terribili ensis ictu martyris caput ad aures usque discidii : quo erecti carnifices repetitis ictibus procumbentem confecere.

Dignum strenua militia finem quum prodigia etiam illustrassent, agitari causa coepta est de utriusque viri martyrio et institutae inquisitiones omnes, sive ordinaria, sive apostolica auctoritate. Quibus rite perpensis ac legitimis validisque habitis, in peculiari Coetu S. Rituum Congregationis ad Vaticanum coacto sexto calendas maias anno 1898, et sententia confirmata a SSmo Domino Nostro Leone PP. XIII septimo idus eiusdem mensis; instaurata iterum causa est ac de eiusdem SSmi Principis venia, peculiari Emorum Patrum Ordini una cum S. Rituum Congregationis Praelatis Officialibus diiudicanda commissa.

Huiusmodi vero Coetus habitus est idibus volventis mensis martii, in quo a Rmo Cardinali Lucido M. Parocchi Causae Relatore proposito dubio: « *An constet de Martyrio et causa Martyrii, itemque de signis et miraculis in casu et ad effectum de quo agitur* » : omnes qui interfuere, latis suffragiis constare censuerunt. SSrhus vero Dominus Noster, audita ab infrascripto Secretario de omnibus relatione, supersedendum de more duxit, ad caelestem opem in tam gravi negotio instantius precationibus demerendam.

Hodierno autem die auspicatissimo, qui anniversariis solemnibus Mariae Virginis Genitricis Dei designatae festus incidit in domestico Sacello sacris ferventer operatus, ad Se accivit Rmos Cardinales Camillum Mazzella, Episcopum Praenestinum S. Rituum Congregationi Praefectum, et Lucidum M. Parocchi Episcopum Portuènsem et S. Rufinae causae Relatorem, una cum R. P. Ioanne Baptista Lugari S. Fidei Promotore, meque infrascripto a Secretis, iisque adstantibus solemniter edixit: *« Constare de Martyrio et causa Martyrii, itemque de signis et miraculis Ven. Dei Servorum P. Dionysii a Nativitate et Fr. Redempti a Cruce in casu et ad effectum de quo agitur ».*

Hoc vero Decretum publici iuris fieri et in acta SS. Rituum Congregationis referri mandavit octavo calendas Apriles an. 1900.

C. CARD. MAZZELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ® S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SANDOMIRIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 22 Iulii 1899.

Sess. 24. cap. V. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Die 15 Octobris 1892 Maria, puella spectabili genere orta ac in religione pie educata, vix decem septimum aetatis annum attingens, Varsaviae rite matrimonium iniit cum Uladislao in arte medica doctore ac viginti sex annos, tunc nato.

Verum huiusmodi connubium, mutuo amore initum, haud felicem obtinuit exitum. Siquidem etsi pluries sponsi coniugali operi indulgere tentassent, eorum tamen conatus in irritum semper cessisse dicunt, quod vir tribuit vitiosae con formationi vaginae in uxore.

Hisce tamen non obstantibus, coniuges pacifice una simul cohabitarunt per duos circiter annos, donec mulier a marito suo edocta, quod propter physicum impedimentum ad coniugale opus esset inepta et quia, uti ipsa refert, ex continuis, sine ullo effectu, mariti conatibus periculo morbi pthiseos, erat exposita, mense Novembri an. 1894 marito valedixit, non amplius re versum.

Paulo post eadem mulier ad Episcopum Sandomirien. supplicem misit libellum petens, ut suum matrimonium propter physicum impedimentum nullum declararetur vel saltem benigne dispensatio indulgeretur utpote non consummatum : item eumdem Episcopum rogabat ut, attenta coniugum ac testium commoratione in civitate Varsaviensi in hac Curia processus instruentur. Reque vera Curia Varsaviensis per delegationem Episcopi Sandomiriensis, processum nullitatis confecit: depositionem coniugum primum excepit ac postea septimae manus ex utraque parte testes vocavit, qui a iu-

dice percontati circa religionem veracitatemque coniugum, favorabile testimonium dederunt. Actrix iudicialiter physico examini submissa fuit, quod, servatis ad unguem canonicis praescriptionibus, adstante matrona, a tribus obstetricibus ac duobus medicis peractum fuit. Vir et ipse physicum experimentum substinuit per tres peritos medicos, quorum duo ultro citroque illum potentem ad actum coniugalem renuntiarunt, unus tantum aliquam relativam impotentiam in ipso agnovit. Hisce omnibus expletis, processualia acta ad Ordinarium Sandomiriensem transmissa fuere, qui, omnibus consideratis, licet ultro admiserit huius matrimonii non consummationem, tamen non sufficienter probatam edixit esse nullitatem ob viri impotentiam. Quocirca eidem Episcopo magis opportunum visum est, ut actrix ad Supremum Pontificem recurreret ad impetrandam dispensationem a matrimonio rato et non consummato.

Quare Episcopus Sandomiriensis acta processus S. C. C. transmittens ac novam instantiam oratricis commendans, haec simul animadvertebam.

« In hoc statu rerum precibus actricis acquiescens, ut acta suae causae dirigantur **Romam** impetrandae Apostolicae dispensationis a matrimonio rato et non consummato causa, talis enim est frustratis tentaminibus pro consummatione matrimonii; tractu praesertim processus supervenit animorum dissociatio et aversio, ut nulla de restaurando matrimonio spes affulgere videatur. Dispensationi favet insuper adversa oratricis valetudo, quae, ulterioris copulae experientia, infelicem habere potest exitum.

« Favet denique periculum incontinentiae et scandali tum ex parte oratricis tum a fortiori ex parte viri.

« His de causis transmittendo copiam actorum processus enixe Sanctitatis Vestrae clementiam cum oratoribus supplico, ut de Sua Apostolica potestate ac benignitate gratiam dispensationis super dicto matrimonio rato et non consummato concedere dignetur ».

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Acta nullam exhibent difficultatem; licet enim instructa sint pro iudicio impotentiae, nihil tamen in eis deest quod in causis inconsummationis servari oporteat : nec ideo vitiantur quod non fuerint exarata ex delegatione R. P., qui solus est competens in causis huiusmodi, const. Benedicti XIV *Dei miseratione* § 15; hodie namque explorati iuris est, processus, qui fiunt ab Ordinariis locorum ordinaria potestate sua in causis impotentiae, valere etiam, caeteris paribus, cum eis utendum sit pro gratia dispensationis, ut declaravit S. C. C. in Varsavien. 16 Iunii 1894, cui praeiverat instructio S. O. ad Episcopos Orieniales 20 Ian. 1883 artic. ultim.

Iam itaque videamus utrum petitio actricis excipienda sit an reiicienda. Et puto fore excipiendam; quia apparent manifeste duo quae in themate probanda veniunt, scilicet matrimonium mansisse inconsummatum et extare causas ad dispensandum idoneas : quorum primum hoc conficitur argumento.

Tum iure decretalium, tum iure novissimo censetur constare de matrimonii inconsummatione, si haec probari valeat iurata coniugum confessione, iurato septimae manus testimonio et quatenus fieri possit inspectione corporum. Atqui in casu, de quo agitur, matrimonii inconsummatio triplici hoc argumento probatur. Ergo constat in casu de matrimonii inconsummatione.

Maior propositio patet ex CC. IV et VII De frig. et malef. et imp. coeundi, ex Instruct. S. C. C. 22 Augusti 1840, ex Instruct. S. O. sine data, ex perpetua praxi et communi DD. sententia.

Minor probatur per partes ex relatis in acta. *a)* Sane quod attinet ad coniugum attestationem, Marianna actrix ita iurata deponit: « Persuasa sum omnino maritum meum nunquam suum membrum virile intra mea genitalia potuisse traducere, atque semen eius extra vas meum effluxisse..

Nescio ex me quam ob causam maritus meus copulam mecum non explevit, etiamsi hoc saepe facere est conatus. Meus tamen maritus mihi declaravit, me esse in meis genitalibus relative ad illum débiliter evolutam.... Omninosum certa me esse adhuc virginem. Persuasionem vero hanc fundo in declaratione mariti, qui uti medicus in declaratione huius rei est omnino competens ». Puella siquidem certo sciebat ex propria scientia se praedicto modo et non aliter Uladislao commiscuisse, sed nesciens, ut assplet in benemoratis puellis, quo praecise virili complexu virginitas amittatur, a marito didicit se per eam commixtionem haud amisisse virginalem integritatem. Uladislaus Marianna© vir haec iurat : « Altera die post matrimonium benedictum debitum coniugale adimplere tentavi, sed hoc naturaliter non peregi. Tentationes imprimis quotidie renovavi, dein bis vel ter in ebdomada, sed nunquam copulam cum effectu perfecto explevi_____Tempore tentaminum coeundi___ numquam hymenem perrumpere potui. Certus sum me numquam naturali modo cum uxore mea copulam adimplevisse ; causa autem huius rei probabilis est disproportionalitas nostrorum membrorum genitalium ». Ad haec, Uladislaus alia subdit, quae omnem prorsus collusionis suspicionem excludunt. Quippe, cum ipse rei partes ageret in iudicio impotentiae, fatetur quidem se numquam cum uxore sua copu-ig Iam perfectam habere potuisse, at insimul affirmat: « Ego> nullum habeo in geni talibus vitium, nec id apud uxorem meam vidi.... Persuasus sum de mea potentia ad coeundum et numquam de hac re dubitavi ».

b) Succedit aliud probationis caput ex septima manu. Actrix adducit septem testes, omnes ex propinquis et vicinis, catholicam fidem profitentes, maturae aetatis, coniugatus, civilis conditionis, omni, ut videtur, exceptione maiores ; qui sub iuramenti sanctitate affirmant eam esse piam, veridicam, peierandi omnino incapacem ; proindeque plenam depositioni illius fidem habendam esse.. Ita v. g. Francisca Fracinishka ait : « Novi eam (Mariannam . . . . .) esse fe-

niinam piam, iustam et veriloquam, et persuasa sum quod illa nunquam sacrilegum emisisset iuramentum... Postquam & iudice mihi declaratae sunt causae, quibus Marianna nullitatem matrimonii petit, iudico eam sinceram deposuisse veritatem, quia bonam christianam eam censeo^». Et his similia habent ceteri : quorum praeterea dictis vim addit plurimam testimonium Episcopi Sanclomirien., qui in instantia ad S. S., de qua in facti specie, ait Mariannam « esse puellam spectabili genere ortam et religiose educatam ».

Bene pariter testatur de alio coniuge septima manus ab ipso inducta : dempta namque Sophia Frecinska, quae ex una parte dicit Uladislaum sibi videri « virum probum et stabilem...; nullum (se) habere fundamentum iudicandi illum vera non dixisse » ; et alia ex parte ingenue fatetur « sibi difficile esse testificari veracitatem iudicialium eius depositionum », quia bis tantum eum vidit et semel dumtaxât cum eo loquuta est ; alii sex testes uno ore Uladislaum nobis produnt eadem fide dignum ac eius uxor. Ut unum vel alterum adducam, Ladislaus Donochowski professor anatomiae in universitate Varsaviae, qui se catholicum profitetur officia religionis implentem, haec habet : « Ula--dislaum P. . . . . . . esse virum probum, veriloquum atque religiosum testificor... Scio veriloquitatem eius, ac proinde persuasus sum quod in protocollo deponit omnia sincere ac conscientiae convenienter ». Ioseph Gradgicki deponit : « Uladislaus ab omnibus habetur uti vir probus religioni addictus et valde religiosus... Postquam mihi est declaratum coniuges ideo invaliditatem matrimonii sui petiisse, quia secum coire non possunt, in eo sum persuasus quod Uladislaus deposuit sinceram veritatem ». Quibus plene consonant alii.

Legentem acta processus non poterit, omnes praefatos testes interrogatus, ad normam Inst. S. O. sine data, de facto inconsummationis, de causis ob quas matrimonium consummari non potuit, de mediis adhibitis ad illas amovendas etc., respondisse, exceptis Sabinae parentibus, sede

his nihil scivisse antequam coniugum depositio eis legeretur. At vero non inde probatio ex septima manu infirmatur. Compertum est enim testes huiusmodi non ***scientiae**** sed ***credulitatis*** iuramentum proferre : scilicet sat est si dicant « utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verisimile sit ac credant eum vera dixisse » ***Inst. S. C. C. 22 Aug. 1840.*** Ad rem Sánchez ***De matr. I. 7. disp. 108. n. 5:*** « Diversimode debet praestari iuramentum ab ipsis coniugibus et a propinquis ; nam coniuges de certa scientia iuramentum emittere debent : nempe vir iurare debet ex bona fide et absque dolo studiosam operam copulae dedisse, nec potuisse consummare; mulier autem per eam non stetisse, nec fraude aliqua usam esse. At consanguinei de sola credulità te iurare debent, nimirum sibi verosimile esse coniuges vera dicere: et ratio diversitatis est, quia coniugibus constare valet se non potuisse consummare, secus de consanguineis. Et ita docent universi theologi et universi iuris .pontificii professores ».

Notandum est etiam, quatuor ex testibus ab Uladislao adductis esse ex septima manu actricis. Porro de rigore iuris videretur testes adductos ab uno coniuge adduci non posse ab alio coniuge; nam C. ***Laudabilem*** et C. ***Litterae vestrae*** de frig. et malef. exigunt testes utriusque distinctos, idest 14 testes ; etsi enim in citatis capitibus hic numerus non inveniatur expressus, sic tamen ea doctores passim interpretantur ; ut v. g. Pirhing ***lib. IV, tit. XV, n. 17.*** Schmalzgrueber ***p. 3, tit. XV, n. 89,*** Sánchez /. ***c. n. 11,*** quibus deinde accessit authentica interpretatio per dictam Instr. an. 1840 § ***Deinde procedendum.*** Sed dato etiam quod illi quatuor testes ex parte Uladislai pro non adductis iudicialiter haberi debeant, adhuc tamen septimae manus testimonium validum manet et efficax. ***Validum**** quia numerus 14 testium non est absolute necessarius. « Si autem, ait Reiffenstuel, ***lib. IV, tit. XV, n. 56,*** tot testes commode haberi nequeant, sufficiunt pauciores arbitrio

iudicis, usque duo » ; quod amussim respondet iurisprudentiae S. O. C. ***Efficax,*** quia Uladislai veracitatem assertam habemus per duos testes solum ab ipso inductos et per quatuor praedictos, qui sin minus iudicialiter, certe extraiudicialiter probant : et hoc sufficit in themate, cum enim agitur, ut in casu, de petenda gratia dispensationis, nedum iudiciales sed etiam extraiudiciales probationes admittuntur. Urs. ***disc. cul. v. III, p. 2, disc. 22.***

c) Exponenda superest probatio ex inspectione corporum, scilicet corporis utriusque coniugis ; quamvis enim in causis inconsummationis sola mulier inspici soleat, heic tamen, cum impotentiae iudicium fieret, etiam viri corpus exploratum fuit; et in utraque inspectione citata Instr. 22 Augusti 1840 servata est accuratissime, praesertim circa peritorum utriusque sexus probitatem, religionem ac scientiam. Iamvero tres obstetrices, quae Mariannam inspexerunt in suis iuratis relationibus, scripto et verbo datis, concordes affirmant, « matrimonium non fuisse consummatum , coitum non fuisse peractum atque (puellam) esse infallibiliter virginem ». Hoc autem certum iudicium fundant in statu, in quo puellae corpus in venerunt : quocirca obstetrix Maria Paceysiska haec habet : « Apud Mariannam coniugem inveni constructionem corporis sanam, sine vitio;... mammas rotundas virgíneas, papillas parvas, recónditas, circa papillas areolas satis magnas, abdomen sine vitio sicut virginis, sine ullis rugis atque cavis... hymen integrum semilunaris : adverti parva loca e limitibus extare magis, ex parte dextera, secretionem vaginae nullam. Adhuc addo labia maiora se adiacere... ». Et his similia deponunt aliae. In orali autem relatione facta medicis, et in examine apud iudicem, addunt hymenem esse crassum, solidum, non se subiiciens, roseum, sine cicatricibus, et vix transmittere verticem quinti digiti. Notant quidem singulae, ut mox adducta Paceysiska, in dextero hymenis latere quandam conçavitatem seu depressionem ; eam tamen dicunt esse ***valde parvam,*** nec maioris extensionis quam sit ***quarta centime-***

tri pars; et licet nesciant utrum haec levis depressio ingenita sit vel potius tribuenda frustraneis conatibus in coitum, illud pro certo omnino habeant, nihil inde deduci posse contra matrimonii inconsummationem.

Matronarum iudicio plene adhaerent duo medici huic inspectioni praepositi, nempe doct. Eduardus Przerowski professor in caesarea universitate Varsaviensi, et doct. Eduardus Zielinski ordinatur nosocomii in suburbio Praga, ambo catholici, ut aiunt, *practicantes.* Ille namque in sua scripta depositione ita loquitur: «Fundatus in obstetricum relationibus ad hanc persuasionem deveni, Mariannam Sabinam coniugem esse intactam virginem ». Deinde explicans quid sentiendum sit de illa hymenis concavitate, quam obstetrix Ioanna Lignan in relatione scripta vocat « parvum valde signum secationis » et in orali depositione « parvam fracturam », dicit: « Margo foraminis hymenalis habet in parte dextra parvam superficialem excavationem. In loco huius excavationis color hymenis non est mutatus, crassitudo est eadem quae in partibus vicinis, ex quo licet concludere excavationem hanc esse non curatam rupturam, sed saepe accidentem statum congenitum ». Doct. Zielinski postquam ordinate retulerit quae obstetrices deposuerant concludit : « Existimo dominam Mariannam esse virginem, hanc sententiam fimdavi in forma mammarum, ventris et hymenis. Quoad carimculam lateris hymenis, hanc rugam habeo uti rem congenitam, quia cicatrix deest ». Et haec satis de exploratione Mariannae.

Uladislaum inspexerunt, ut de more, tres medici, qui conveniunt in describenda physica illius constitutione, quam dicunt esse sanam, et raullum impotentiae extrinsecum characterem exhibere ; advertunt tamen genitalia et, praesertim penis, cuius longitudo est 7 centim. et ambitus in glande circiter 8 centim. minus esse evoluta, quam exigere videretur tota corporis habitudo. Ex autem hac membrorum improportione et morbo cardiaco, quo Uladislaus laborat, et ex abdominis excessiva amplitudine, duo ex peritis medicis

inferunt, illum esse impotentem sin absolute, saltem relative, sin antecedenter et perpetuo in sensu iuris canonici, saltem quatenus eius relativa ad coitum insufficientia est natura sua immedicabilis.

Post haec, apparet quae sit vis probatoria utriusque inspectionis : scilicet matrimonii inconsummatio certo deducitur ex physica mulieris integritate, quam, citra ullam haesitationem asserunt sub sacramenti religione quinque in arte periti ; non item ex impotentia viri, quia, ut recte decernit iudex Sandomirien. in sua sententia, de hac impotentia non habentur talia argumenta, quaß cogant prudentem assensum. At vero corporalis Uladislai inspectio certitudinem de mulieris virginitate firmiorem reddit. Dimensiones namque penis supra allatae excludunt omnino possibilitatem penetrationis intra vas, cuius ostiolum vix admittit digiti minimi summitatem : deinde, etsi certo non constet Uladislaum impotentia laborare antecedesti et perpetua, quae matrimonium dirimere valeat, nihilominus extra dubium est, ei quamdam inesse virilem debilitatem; quae debilitas, si aliunde consideretur Mariae hymenem esse « spissum, crassum, non se subiicientem », satis ostendit cur Uladislaus impar fuerit uxori suae deflorandae. Porro neminem latet, vim probationum, sicut in contractibus et delictis ita etiam in nudis factis, augeri plurimum si rei causa proportionata adduci possit.

Iam itaque demonstrata maiori ei minori propositione argumenti ab initio propositi, certa manet consequentia quam inde deduximus, nempe constate in casu de matrimonii inconsummatione.

Quae nostra conclusio confirmatur I° argumento ab effectibus : scilicet pluries tentatam et haud unquam expletam matrimonii consummationem duo n muliere effectus consequuntur, alter negativus, nempe noi sequuta conceptio, alter positivus, nempe virium lapsus ntrvorumque perturbatio, cuius morbosae conditionis mentio est etiam in *c.* ***III*** *de frig. et malef.* Atqui duo huiusmodi efectus in Marianna

Sabina locum habuisse huc usque dicta abunde demonstrant. Confirmatur 2° sententia Curiae Sandomirien., qua iudex declarat ex actis et probatis constare Mariannam Sabinam « in statu virginitatis permanere ». Confirmatur 3° pluribus decisionibus S. C. C, quibus, in casibus similibus prorsus huic nostro, responsum est pro inconsummatione et gratia dispensationis; ita v. c. in ***Venetiarum 28 Iul. 1860, Neapol. 18 Aug. 1866, Ianuen. 9. Iul. 1866, Neapolit. 18 Augusti 1888, Varsavien. 20 Ian. 1894, Lucionen. 22 Maii 1895.*** In his causis occurrebant eaedem circumstantiae ac in praesenti Varsavien, scilicet condormitio ad plures menses et annos, identidem repetiti conatus in coitum, similia virginitatis signa, non tamen sine aliquo defectu praesertim circa statum hymenis, et nihilominus S. C. C. ad solitum dubium: An sit consulendum etc. ***affirmative*** rescribendum censuit.

Matrimonii inconsummatione in vado posita, dicam breviter de causis quae suadere videntur dispensationem in themate concedendam esse. Causas huiusmodi, sparsim in processu no tatas, nitide resumit Ordinarius in relatione qua, Romae transmittens acta iudicii Sandomiriae habiti, petitionem actricis commendat.

« Peracta, ait ille, ad tramites iuris ex delegatione mea in Curia Archiepiscopali Varsavien si instructione processus, et remissis ad me causae actis, hisce statuta die perlectis matureque scrutatis, apparuit matrimonium actricis Mariae cum convento marito Uladislao nondum consummatum esse et actricem in statu virginitatis permanere : hoc non obstante, existentiam .impotentiae in dicto matrimonio haud sufficienter demonst'atam esse. In hoc statu rerum precibus actricis acquiesco, it acta suae causae dirigantur Romam, impetrandae apostoicae dispensationis a matrimonio rato et non consummato, «ausa. Talis enim ex frustraneis tentaminibus pro consunmatione matrimonii, tractu praesertim processus, supervenit animorum dissociatio et aversio, ut nulla de restauraido matrimonio spes affulgere videatur.

Dispensationi favet insuper adversa oratricis valetudo, quae ulteriori copulae experientia, infelicem habere potest exitum. Favet denique periculum incontinentiae et scandali tum ex parte oratricis, tum a fortiori ex parte viri... ».

Concurrunt itaque in factispecie I° dubium de impotentia coeundi sat grave post biennale experimentum a coniugibus bona fide et assidue peractum, quin unquam una caro eífici potuerint ; 2° animorum dissociatio absque ulla probabili reconciliationis spe; 3° periculum, pro muliere, valetudinis penitus amittendae; 4° periculum, pro utraque parte, incontinentiae et scandali ; scilicet quatuor causae, quarum unaquaeque, iuxta receptam iamdiu praxim et comunem DD. sententiam, sufficit pro dispensatione concedenda Clericato ***De matr. decis. 15 ;*** Ursaya **tom.** ***3. p. 2. discept. 21. n. 104;*** Sánchez ***De matr. lib. 12. disp. 15. n. 19 ;*** Schmalz. ***IV. XIX. n. 53 seq;*** De Iustis ***De dispens. II, X. n. 21-34.***

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Ut matrimonium, quod die 15 Octobris 1892, Marianna 17 iam tum annos nata, contraxit cum archiatro Wladislao, in aetate annorum 26 tum constituto, leves amandet in auras, opere imperfectum proclamat.

Nec Wladislaus Mariannae contradicit. Si Wladislaum et Mariannam audias, coniuges quamvis per biennium et amplius insimul cohabitaverint, genioque indulserint pro viribus, attamen viro penetrare muliebria uxoris nunquam datum est.

At quod ore coniuges affirmant, minime probant argumentis. Etenim tres obstetrices, quae iussu iudicis Mariannae corpus recognoverunt, nonnulla signa referunt amissae virginitatis.

Quinimo, percontata : « Quid est discriminis inter mulierem integram et virginitate carentem. An hoc discrimen recte in corpore a te tractatae observasti? » Una ex obstetricibus respondet absque ambagibus: « Discrimen quod est inter virginem et mulierem, quae matrimonium consumma-

yit, apud dominam Mariannam non inveni. Ex indagatione muliebrium dominae Mariannae ad hanc deveni persuasionem quod fuerunt conatus consummandi matrimonii, quia est parva ruptura in latere hymenis ».

Nec despicienda sunt quae renuntiat altera obstetrix, inquiens : « Nil amplius addere habeo, nisi id, quod hymen inveni cum lateribus rugatis, quod potest esse adnatum, aut etiam a conatu matrimonium consummandi. Ex parte dextera fuit maior concavi tas, quae potest procedere ex conatu matrimonium consummandi, haec concavitas non est tamen maior 1{2 centimetri ».

Huc accedit ut impotentiam viri, cui matrimonii ascribenda esset inconsummatio, nitide excludat medicus cognitor Eduardus Bondy quippe qui ait : « Opinio mea est omnino firma atque certa et non solum iudico virum esse absolute potentem,- sed etiam existimo, si matrimonium cum uxore non consummavit, hoc procedere ab inconveniente constructione vaginae, ab angusto introitu vaginae aut non se subicientibus texturis. Hoc in casu est ibi impotentia relativa ».

Postremo, collusionem coniugum, contra quam nos monitos esse vult papa Oaelestinus tertius in cap. 5 ***de eo qui cognovit*** etc., intercedere, praesenti in causa arguendum est ex quo vir tanquam suos testes septimae manus adhibeat consanguineos uxoris; et hi, praesertim mater actricis ac pater ad sidera tollunt ***generi*** (quod miraculum sapit) virtutes.

Enimvero Sophia Mariannae mater, iurata testatur : « Wladislaum iudico esse virum probum veriloquum et religioni addictum, videbam enim eum in ecclesia tempore publicae orationis...

« Persuasa sum huius rei, quod "Wladislaus in protocollo iudiciali deposuit, omnia sincere atque cum conscientia convenienter, quia sicut mihi perlectum est depositionem eius referri ad impossibilitatem matrimonii consummandi, quam rem oretenus mihi aperuit eius uxor, mea vero filia ».

Nec a Sophia dissentit actricis pater, Conradus. Nam et ipse ait: « Eius rei sum persuasus quod Wladislaus est homo probus, pius, religioni addictus, secus enim non dedissem ei filiam meam in uxorem___

« Eius rei persuasus sum, quod Uladislaus in protocollo omnia deposuit ***sincere conscientiaeque convenienter,*** quia de singulis, quae referebantur ad impossibilitatem coeundi cum eius uxore iam antea inter nos erat .sermo ».

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 22 Iulii 1899 censuit respondere: ***Affirmative.***

MECHLINIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 22 Iulii 1899.

Sess. 24, cap. 5, de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Praesentis causae factispeciem, super matrimonio rato et non consummato, exhibet Emi Archiepiscopi instantia, quam ad S. C. C. transmisit, quaeque processui penes Curiam confecto apprime cohaeret.

Iosephus Van R. natus 26 Martii 1868, et Elisabetha Van der V. nata 9 Augusti 1875, ambo dioecesis Mechliniensis subditi, matrimonium contraxerunt die 9 Aprilis 1894. Per sex autem menses tantum cohabitarunt; quo temporis intervallo uxor constanter negavit debitum coniugale sub praetextu, ait maritus, quod ipse morbo phthisico esset affectus.

Cum hic tamen revera aegrotaret, velletque pro sua commoditate e pago vicino transmeare Bruxellas, ubi officium habet, mulier eum sequi recusavit, ac dein a iudice

civili petivit divortium, quod mense Decembri anni 1896 obtinuit ; ita ut sub respectu civili plenam libertatem nacta sit.

Cum iam omnis spes adhuc cohabitandi cum uxore evanuerit, maritus obtulit libellum supplicem pro obtinenda dispensatione Pontifìcia in matrimonio rato non consummato. Matrimonium autem hoc numquam fuisse consummatum asserit ipse maritus, et,hoc comprobare videntur testimonia medicorum, qui in ordine ad divortium civile inspexerunt corpus mulieris.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. ***Primum.*** — In causis matrimonialibus dirimendis maxima est adhibenda cautela. Instructio « Cum moneat Glossa ».

Secundum. — Certitudo, moralis tamen, in iudice requiritur necessario pro ferenda sententia in huiusmodi causis. Communis.

Tertium. — Processus in causis de non consummatione matrimonii « depositione iurata partium absolvuntur, cum testimonio iurato septimae -manus, et inspectione corporum (praesertim mulieris) ; in qua servari debet, quoad substantialia, norma tradita a S. Cong. C. in citata Instructione, et a S. C. S. Officii. « Quemadmodum, secus acta processus nullitate laborarent ». Gasparri, ***De matrimonio cap. IX, num. 1197.***

At adiungit ipse auctor clarissimus in nota : « Diximus tamen ***quoad substantialia :*** quia e. gr. in Curia Parisiensi inspectio corporis mulieris fit non ab obstetricibus, sed a duobus peritis, assistente non matrona, sed religiosa ex illis quae mulieribus par turi entibus opem praestant ; inspectio corporis viri fit non a quinque, sed a duobus peritis ; tandem iudex, defensor matrimonii, et cancellarius numquam accedunt, statuta die et hora, ad locum inspectionis ; et tamen S. Cong. C. acta eiusdem Curiae sanare non solet ». Id. ibid...

Quartum. — « Quod si in aliquibus locis obstetrices peritae non habeantur, et inspectio corporis mulieris omnino necessaria iudicetur, haec medicis peritis et honestate atque aetate gravibus committatur». Instructio Congr. S. Off., 20 Iunii 1883, ***tit. 6, art. 5, num. 49.***

Quintum. — « Si ambo coniuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant, utrum inter eosdem collusio intercesserit». Instr. Cong. S. Off., ***tit. 3, num. 17.***

Sextum. — « Ne aliquis subeat collusionis et mendacii timor... confessio (coniugum) non debet esse nuda, sed aliis probationibus suffulta, quibus concurrentibus, tunc pro dissolutione vinculi matrimonialis prodesse poterit per ea quae considerat Praeposit. in cap. ***Laudabilem*** 5, num. 4, De frigid, et malefic, Spada, Ursaya, Rott, post Zacch., Card. de Luca etc. ». Cosci ***Hb. 3, cap. 2, num. 145.***

Septimum. — « Condormitio sponsorum fundat praesumptionem iuris et de iure. Glossa in Can. ***Si quis*** 3, verb. ***Tempore,*** Caus. 33, q. 1 - ibi - Item quia fuit sola cum solo, creditur cognita ab ipso, iuxta illud Ovidii : A iuvene et cupido credatur reddita virgo? » Cosci, ***lib. 1, cap. 16, num. 19.***

Octavum. — « Contra praesumptionem iuris et de iure regulariter non admittitur probatio in contrarium. Ita textus expressus cit. C. ***Is qui fidem*** 30 de Sponsalibus, ibi : Contra praesumptionem huiusmodi non est probatio admittenda ». Reiffenstuel, ***lib. 2 Decret., tit. 23, de Praesump...***

Nonum. — Cum tamen praesumptio veritati cedat (L. ***Imperatores,*** ff. de Probation.) etiam praesumptio iuris et de iure elidi potest per veritatem rite probatam. Hanc autem probationem nobis abs dubio praestare valebunt media per Instructiones « Cum moneat Glossa » et « Quemadmodum » supra citatas.

Decimum. — « Ideo bene dicit Cosci cum Ursaya, quod condormitio coniugum non facit ut matrimonium amittat qualitatem et denominationem rati quando cum effectu con-

summatum non fuit ». Ursaya, Discept. Eccl. ***tit. 2, part. 1, discept. 3, num. 47.***

Undecimum. — Matrimonium habendum est ratum tantum, si hymen qui vaginam claudit, est intactus ; id enim indicat semen in vaginam immissum non fuisse. Medici narrant ipsas mulieres post partum ac meretrices quandoque cum hymene incorrupto repertas fuisse. At ii casus sunt rarissimi ; et praeterea ipse partus aliaque signa, quae medici noscunt, indicant copulam perfectam habitam. Proinde iure meritoque iurisprudentia S. Cong. Conc. retinet matrimonium, hymene integro, non esse consummatum, nisi ex medicorum examine et attestatione aliud constet. Gasparri, ***De matr. cap. 8, num. 1065.***

Duodecimum. — Placet aliqua hic transcribere, quae in una Barcinonen, cuius sententiam S. Congreg, ferebat die 25 Iulii 1896, dicebamus, nempe : « Nos non loqui de essentia seu de requisitis essentialibus ad generationem, sed de essentialibus constitutivis matrimonii : illa nempe generatio, sub genere actionis continetur ; hoc vero ad ***unionis*** genus refertur, quae relationem importat. Dato ergo, quod mixtio seminum apta ad generationem absque unione reali maris et feminae neri posset, nihil contra nostram thesim sequeretur, in qua de consummatione unionis sexuum, non de consummatione actionis, in ordine solummodo ad generationem, pertractamus ». Et infra: « Ad difficultatem de commixtione partium viri et feminae respondemus : in tali hypothesi consummari hominis generationem, non vero matrimonium ». Matrimonium ait Angelicus Praeceptor ***(Supplem. 3, part. q. 44, art. 1)*** est in genere relationis, nec est aliud, quam coniunctio. Matrimonium est in genere coniunctionis. Coniunctio autem corporum et animorum ad matrimonium consequitur. His verbis ultimis vult D. Thomas significare, quod essentia vinculi matrimonialis salvatur sine effectiva coniunctione corporum, et tamen talis corporalis coniunctio perficit, complet, consummat matrimonium.

Tertium decimum. — Inter causas legitimas dispensa-

tionis matrimonii rati, non consummati ab omnibus enumerantur : « Dissociatio voluntatum absque spe reconciliationis, conscientiae pax et animorum quietatio >.

Dein Consultor quoad primum dubium an constet de non consummatione matrimonii, ait, non diffitemur aliqualem facessere difficultatem pro parte affirmativa tenenda condormitionem sponsorum in eodem lecto per sex mensium spatium ad minus, cum tentamine copulae saepe saepius repetito ex parte viri, quod tamen mulier constanter et iterata confessione negat.

Vir enim rogatus « Avez vous souvent essayé d'accomplir l'acte conjugal et pensez-vous que lors de ces tentatives l'acte ait été jamais accompli ? » Respondit :

« Oui, j'ai souvent essayé d'accomplir l'acte conjugal, je prenais ma femme dans mes bras ; mais elle me repoussait; l'érection avait lieu avec perte seminale, mais en dehors des organes de la femme. Le membre était raide mais n'a jamais pénétré ; j'étais d'ailleurs ignorant dans ces sortes de choses, et ma femme se tordait dans ses jupons >.

Sponsa vero hanc pro parte sua confessionem emittit, « Nous sommes restés ensemble environ onze mois. Nous avons toujours occupé le même lit ».

Ex hac sponsorum duplici confessione liquet, evidentissimam esse praesumptionem iuris et de iure pro consummatione asserenda iuxta fundamentum septimum supra stabilitum, quam quidem praesumptionem, nisi validiora elidant argumenta, uti definitivum criterium pro asserenda matrimonii consummatione sequi necessario tenemur.

Cum tamen, ut putamus, haec argumenta validiora non desint, hinc, consummatum non fuisse matrimonium certo constat.

Certitudinem hanc desumimus ex triplici fonte sese mutuo corroborante, nempe : 1. Ex ***sponsorum confessione*** corroborata 2. Depositionibus testium ***septimae manus*** cum inspectione oculari a 3. ***Medicis*** explicata.

Sponsi testimonium ferunt : circa non consummationem

matrimonii ; circa causam non consummationis ; circa tempus cohabitationis eorum ; circa spem reconciliationis mutuae.

Sponsus asserit : « J'affirme que je n'ai jamais consommé le mariage, il n'y a jamais eu de pénétration avec émission de la liqueur séminale dans le vagin ».

« Ma femme s'est soumise à la visite de deux médecins de Braine l'Allend à l'effet d'obtenir la nullité de son mariage. Cette visite à fourni la preuve qu'elle était encore vierge ; ceci est stipulé dans le jugement du 16 Octobre 1896 dans les termes suivants : - Attendu qu'il est établi par la déclaration des hommes de l'art qui ont examiné la demanderesse que celle-ci est encore vierge, qu'elle n'a jamais eu de contact avec un homme et qu'elle est parfaitement apte à avoir des rapports sexuels etc. - Cet examen médical a eu lieu quand nous étions définitivement séparés ».

Sponsa fatetur: «J'affirme que notre mariage n'a jamais été consommé ». Je me suis soumise à la visite médicale des Drs. Charlier et Severin de Braine l'Allend, le 10 Juillet 1895. Cette visite a fourni la preuve que le mariage n'a pas été consommé. Elle a eu lieu après que j'étais définitivement séparée de mon mari. J'ai en outre subi une visite médicale de la part des Drs. Vleminckr, Lebrun et Stevens désignés par le Président du Tribunal de première Instance et ces visites ont également fourni la preuve de la non consommation du mariage ». ExResp.de 10 Quaest.

« Je suis prête à me soumettre à cette même visite et j'ai certitude qu'elle m'apportera la preuve de la non consommation du mariage ».

Vir autem sequitur : « Le refus absolu de ma femme a été la cause principale et vu son jeune âge je n'ai pas voulu lui faire violence ».

« A la suite de la lettre que ma femme m'avait adressée sous la date du 12 Mars 1895 me reclamant un certificat médical constatant que j'étais dans l'impossibilité d'accomplir le devoir conjugal, je me suis rendu, le 14 Mars 1895,

chez Mr. le Dr. Glanckaert, rue de la Presse, 86, Bruxelles, qui me traitait pour ma bronchite et qui après m'avoir examiné, m'a remis un certificat médical constatant que je n'étais atteint d'aucune malformation des organes de la génération ».

Mulier vero declarat : « Si le mariage n'a pas été consommé, c'est que mon mari n'a pas demandé d'user de son droit ».

Maritus insuper refert : « Nous sommes restés ensemble pendant une période de six mois.

Sponsa vero affirmat : « Nous sommes restés ensemble environ onze mois ».

Circa spem reconciliationis mutuae. Sponsus respondet : « Je pense qu'il est tout à fait impossible de reprendre la vie commune, le divorce civil ayant été obtenu et prononcé. Ensuite la vie serait impossible et elle même n'en voudrait pas ».

Coniux vero asserit : « Je pense qu'il est tout à fait impossible de reprendre la vie commune. L'expérience m'a prouvé que nous ne pouvions pas vivre ensemble ».

Testes septimae manus ex parte mariti declarant ; Dominus Ioannis Bols, parochus Alsembergensis, ait: «Je crois à la véracité de Joseph et, si la mère n'était pas là, je croirais à la véracité d'Elise ».

Soror sponsi, deponit : « Oui, vous pouvez avoir confiance dans la véracité de mon frère Joseph, car il est fort religieux, et incapable de faire un faux serment » : quod firmatur per alios quinque testes.

Testes confirmant, matrimonium non fuisse consummatum, causa ignorantiae viri super rebus matrimonialibus, et •causa malae voluntatis uxoris.

Causam separationis sponsorum ab invicem testes omnes ex parte mariti, mulieri principaliter attribuunt, quae cum sponso suo, uti debebat, noluit Bruxellas transmigrare, quando ille salutis causa et officii sui faciliori servitio voluit et statuit illuc ire.

Nulla omnino iuxta testium declarationes remanet spes reconciliationis sponsorum, praecipue mulieris causa, quae quidem per divortium a civili potestate obtentum ultimum et fere insuperabile apposuit reconciliationi obstaculum. Maritus etiam, licet melius dispositus existat ad reconciliationem cum sua sponsa, ab hac tamen talia passus fuit, quod per aliquod tempus insania affectus extiterit, in quam denuo posset incidere, et forsitan in perpetuum, si ad mulierem ab amore suo penitus alienatam, iterum redire cogeretur[1].

Ex omnibus hucusque dictis et explicatis liceat in 'modum epitomes, sequentia proferre, nempe :

1. Omnes testes septimae manus pro sponsi parte huius-veracitatem, sinceritatem, religionem atque pietatem eximiis extollunt laudibus. [Testes pro sponsa de ea tantummodo loquuntur.

2. Veracitas sponsae a quinque testibus ab ipsa praesentatis etiam confirmatur, quibus adiunguntur tres alii testes pro sponso, • qui testes veracitatem ac religionem mulieris quidem tuentur, sed aliquantulum remissius, ac pro marito.

3. Testimonia amborum coniugum, testium septimae manus praeter duos tantum vel tres et septem medicorum stant pro non consummatione. Testes tamen septimae manus nituntur praecipue dictis sponsorum et horum amoris reciproci defectu.

4. Sponsi, quamvis conveniant in asserenda non consummatione matrimonii, in duobus tamen differunt eorum declarationes, scilicet: I° in assignanda causa non consummationis : maritus enim eam attribuit coniugis renixui, coniux vero impotentiae mariti sui ad coeundum. Hanc autem impotentiam falso, vel sine fundamento obiicit ipsa, tum quia contrarium constat medici cuiusdam informatione, cuius testimonium profert sponsus, tum praecipue quia ipsa mulier saepius et tenaciter affirmare conatur, maritum suum numquam matrimonium consummare tentavisse ; 2° differunt

etiam coniuges in determinanda duratione mutuae cohabitationis. Haec tamen discrepantia facile componitur his verbis sponsi, scilicet : « Vers le mois d'Octobre 1894 étant gravement atteint de bronchite, je suis resté chez mes parents à Bruxelles et je ne retournais à Alsemberg, qu'une ou deux fois la semaine, et le dimanche ». Ex hac ergo explicatione deducitur clare, mulierem comprehendere etiam tempus hocce, quo durante maritus Bruxellis pergebat Alsemberg ad eam visitandam.

5. Ex declarationibus cum coniugum, tum omnium fere testimoniorum septimae manus constat matrimonium fuisse contractum satis inconsiderate ex parte mariti et animo non nimis spontaneo ex parte uxoris, potius voluntate matris suae ductae, quam sponsi desiderio.

6. Nihil ergo mirum, quod in dies semper creverit voluntatum sponsorum ab' invicem dissociatio.

7. Et revera usque adeo haec dissociatio progressa est, ut ex unanimi sive sponsorum, sive septimae manus testium depositione iam absolute impossibile evaserit reconciliatio.

Liquet tandem ex probationibus et explanationibus supra positis praesumptionem iuris et de iure non officere, quominus cum morali certitudine asserere possimus matrimonium de quo agimus non fuisse consummatum. Nam in primis pro non consummatione stant : confessio sponsorum, quae confessio iuramento firmata maximam vim habet nisi alia obstent, et collusio non timeatur. (Est sententiae communis inter Canonistas et deducitur ex cap. ***Laudabilem, De*** frig. et malef.). Collusio autem timenda non est ob mariti mirabilem sinceritatem atque ingenuitatem, neque non veracitatem atque religionem a testibus septimae manus summis laudibus exaltatam. Aliqualis etiam discrepantia, quae inter depositionem sponsae et eius coniugis invenitur, talem collusionem excludere videtur ; 2° depositiones testium septimae manus ex quibus nullus omnino vel minimum dubium de facta consummatione, movet,, quin potius

omnes, praeter duas sorores sponsae, quam suam ignorantiam proferunt, pro non consummatione testificantur; 3° medicorum declarationes, numero septenario, virginitatem sponsae argumentis validissimis evincunt. 4° Defectus amoris mutui praecipue causa mulieris iudicium est certe non spernendum huius non consummationis. Quoad vero, an nempe exposcenda sit dispensatio super matrimonio rato et non consummato, censuit Consultor respondendum esse affirmative, nam I°. Omnis spes iam evanuit reconciliationis sponsorum; 2°. Salus animae eorum id exigit; 3°. Et etiam corporum, sponsus enim in insaniam incidit, in quam posset iterum de novo incurrere.

Defectus qui in processus explicatione reperiuntur non putamus substantiales esse. Hi autem defectus consistunt I° in numero quinario, non septenario testium pro muliere, 2° in eo quod non sunt adhibitae obstetrices et matrona honesta.

Nec officere potest benignitati SSmi quod mulier ad Tribunal Civile accesserat pro divortio procurando; nam sponsus innocens est ab hacce culpa et non debet aliquis alterius odio praegravari (Reg. 22 in 6); nec deest forsitan aliqua excusatio ex parte mulieris, uti advertit Emus Card. Arch. Mechlinien.... En eius verba: « Vir ipse valde pius est. Uxor quidem pro divortio ad legem civilem confugit, antequam adiret tribunal Ecclesiasticum, at id bona fide fecisse videtur; idque apud nos infeliciter a multis non satis instructis fit, quasi pro matrimonio dissolvendo esset eadem norma servanda ac pro eo contrahendo: contrahi autem ex lege civili non potest ante impletas formas civiles ».

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Anno 1874 die mensis Aprilis 9, Ioseph in aetate annorum 26 constitutus, Elisabetham 20 annos natam, matrimonio sibi coniunxit.

At posteaquam neo-coniuges una simul cohabitaverant per, 11 circiter menses, Elisabeth labente martio anni 1895 viro valedixit.

Deinceps ad saeculare tribunal virum rapuit : « J'ai demandé (ait Elisabeth) le divorce civil parce que je croyais qu'il n'était plus possible de vivre avec mon mari. Le tribunal a prononcé le divorce civil, parce que le mariage n'avait pas été consommé et qu'il a considéré cela comme injure grave à mon égard ».

Huc rebus perductis, Ioseph die 26 martii 1898 supplicem Sacratissimo Principi porrexit libellum, dispensationem efflagitans super matrimonio, quod ambo coniuges dicunt inconsummatum.

Praeprimis in dubium revocare possum praetensam matrimonii inconsummationem. Aliis namque missis, negotium facessi t medicus cognitor Van Hoof, qui percontatus a iudice : « Avez-vous des motifs de croire qu'il n'y a pas eu la moindre pénétration ? Quels sont ces motifs ? » Reponit : « Je n'ai aucun motif de croire que la moindre tentative de pénétration ait eu lieu. Mon examen ne me donne aucune raison de croire que la moindre tentative de pénétration ait eu lieu ».

Recitata medici responsio directa minime est. Ipse enim dum excitatur ad adducenda argumenta, quae matrimonii excludant consummationem « avez-vous des motifs de croire qu'il n'y a pas eu la moindre pénétration », contentus est affirmare argumenta in promptu haud esse quae matrimonii probent consummationem. « Je n'ai aucun motif de croire que la moindre tentative de pénétration ait eu lieu ».

Huc accedit quod Ioseph nihil proficeret, etsi dare velim matrimonium mansisse opere imperfectum. Constat enim de satis diuturna coniugum cohabitatione ; nemo in dubium revocat potentiam mulieris : quisque proin prudens de viri serio dubitaret potentia. Ex quo consequeretur nedum necessitas interdicendi Iosepho alias nuptias, quia in dubio nefas est exponere Sacramentum periculo nullitatis ; verum etiam timendum esset ne coniuges inter se colluserint. Nemo enim facile credit, Iosephum actionem adversus matrimonium

instituisse, nisi ab uxore, cui relaxatio matrimonii prodest, illectus esset.

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 22 Iulii 1899 censuit respondere : ***Affirmative.***

AUGUSTANA

ULTIMAE VOLUNTATIS

Di 16 Decembris 1899.

Sess. 22, cap. 8, de Ref.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Augustanus S. C C . has dedit litteras nonnulla proponens dubia, orta circa interpretationem cuiusdam legati:

« Episcopus infrascriptus, ea qua par est reverentia exponit quod haeredes Andreae Due, sacerdotis, Dioecesis Augustensis, vigore cuiusdam instrumenti 12 octobris 1821, largiti sunt seminario Augustensi 2000 libellas, eo pacto ut huius summae redditus erogarentur in subsidium alicuius alumni Minoris Seminarii, ordine sequenti:

« Pour les enfants des familles de Duc parents du dit Seigneur défunt par préférence, et, à leur défaut, pour les enfants des familles de la Commune de Torgnon, et, à défaut de ceux-ci, pour ceux de la paroisse de Chambave, qui auront les qualités requises pour être admis au dit Petit Séminaire par les Supérieurs ecclésiastiques.

« Iam quaeritur :

« An alumni a dictis benefactoribus in linea feminina descendentes possint, uti propinqui, hoc subsidium sibi vindicare?

« 2. An tale subsidium debeat, alumno rite designato, uti usufructuario tribui usque ad completa studia philosophica, an vero eo ipso quod alumnus ex familiis Due in Minus Seminarium recipitur, hic ius promptum habeat ad idem subsidium, excluso iam nominato, ita ut iste debeat loco cedere alumno Due, et forsan studiis valedicere? »

« Particula fundationis sacerdotis Andreae Due hic exscribitur :

« Convenu et arrêté que le cohéritier du dit Rév. Seigneur défunt, qui jouirait, à titre de partage, du grangeage de Chandiana, territoire de Chambave... serait obligé de débourser dans deux années à courir dès le jour d'hier plus prochains, sans revenus, la somme de deux mille Livres nouvelles à la Caisse ou au Procureur légalement établi du Petit Séminaire d'Aoste, et, à son défaut, à la Caisse destinée pour le Grand Séminaire du même diocèse à condition et charge expresse que les revenus du dit Capital, qui ne se percevront qu'après les cours de deux années prochaines, soit distribué en subside pour les enfants des familles des Duc parents du dit Rév. Seigneur défunt et à défaut de ceux-ci, pour les enfans de la Commune de Torgnon et, à leur défaut, pour ceux de la paroisse de Chambave, qui auront les qualités requises pour être admis au dit Petit Séminaire par les Supérieurs ecclésiastiques, et, dans le cas qu'il n'existe pas dans le. Petit Séminaire des sujets appartenants aux dites familles Duc ou aux deux paroisses susdésignées et qu'il y en eût dans le Grand, les revenus du dit capital seront distribués à ceux-ci, pour autant que les Supérieurs ecclésiastiques y relatifs le jugeront à propos ».

« Quod attinet ad ususfructus tempus subsidii, de quo agitur, haec servatur praxis ut alumnus designatus et in possessione tali utatur subsidio usque ad expleta studia philosophica ».

« Animadvertendum quoque est quod, anno huius fundationis 1821, praelectiones philosophicae in Collegio seu in Seminario minori habebantur. Anno autem 1870 iste

cursus in maius Seminarium translatus fuit. Attamen, de more, subsidia particularia, quae alumnis ius habentibus tribuuntur, continuo in Seminario etiam maiori usque ad expletum philosophiae curriculum' impertiuntur. Quare mihi liceat tertium quaesitum humili postulationi meae adiicere»:

« III. An dictum subsidium tribui debeat alumnis rite designatis, etiam in Seminario maiori philosophicis disciplinis per biennium incumbentibus? »

Episcopus sub die *5 Nov. 1899* haec referebat :

« Supplicem libellum quem reverenter Eminentiae Tuae porrexi die 13 iunii 1899 , quem alter subsecutus est libellus die 30 eiusdem mensis, petens authenticam interpretationem certae particulae fundationis a sacerdote Andrea Duc factae favore aliquorum alumnorum Minoris Seminarii Augustensis. In posteriori libello mentionem feci de praxi hucusque in Dioecesi Augustensi servata, ut scilicet alumnus, usufructuarius in subsidii sibi collati possessione maneat usque ad expleta studia, quamvis in decursu huius temporis illud forsan réclament alii alumni, fundatori genere proximi ».

« Quoniam dubium propositum nondum solutum est, ne fastidiai Eminentia Tua animum attendere nonnullis declarationibus ex actis publicis depromptis, quae talem praxim cohonestant atque imponunt. Nimirum in hacce Dioecesi omnia fere instrumenta, hoc volvente saeculo, quae fundationes continent pro alumnis et potius pro propinquis fundatoribus, hanc praeseferunt clausulam, quod ipsi indiscriminatim, sive sanguine fundatoribus coniuncti sive extranei, subsidio sibi tributo constanter fruantur usque ad cursum completum philosophiae aut theologiae ».

« Revera per testamentum suum, die 5 maii 1840, Ioannes Antonius Pramotton canonicus-parochus legatum dedit « pour aider et secourir un jeune homme de bonne espérance dans ses études depuis la cinquième jusqu'en théologie inclusivement ».

Eodem sensu sacerdos Caesar Glarey testamentum suum

die 25. febr. 1865, fecit « pour l'entretien d'un jeune homme aux études depuis son entrée au Collège jusqu'à sa sortie définitive ».

Item legimus in testamento 18 apr. 1866 parochi Blasii Prince : « Entretenir un élève de la Commune d'Ayas dans le Collège des Etudes établi en la ville d'Aoste jusqu'à la classe de Physique inclusivement ».

Pariter Revmus D. Iacobus Jans Episcopus Augustensis, die 1 dec. 1868, legatum instituit « pour aider à entretenir aux études un jeune homme de la paroisse de Lilianes, aspirant à l'état ecclésiastique... Il jouira de ce subside jusqu'à la fin du cours de Philosophie ».

Idem egit, die 25 augusti 1876 canonicus Ludo vicus Gorret : « Cette bourse est établie pour les élèves qui se destinent à l'état ecclésiastique et leur fournir des subsides pendant les études jusqu'à leur promotion au sacerdoce ».

« Itaque patet passim fundatores piorum legatorum pro alumnis Dioecesis Augustensis voluisse atque statuisse ut iidem, sive sint ex ipsorum prosapia, sive alieni, modo instituti rite sint, gauderent subsidio sibi impertit/), usque ad expletum philosophiae aut theologiae curriculum. Istae autem generales dispositiones videntur ex analogia casus fundationi praedicti sacerdotis Andreae Due debere applicari. Quae dicta sint salvo meliori iudicio ».

Quoad ***facti-speciem*** praeterea advertendum est, in tabulis fundationis expressam fieri mentionem de alumnis in Seminariis, quae in Gallia nuncupantur ***parva,*** admittendis. In hisce vero Seminariis quia studiorum curriculus, ex recepto more, producitur usque ad cursum philosophicum, fundatori voluntas ita executionem sortita est, in themate, ut subsidia alumnis concederentur usque ad expleta studia philosophica. Sed in Dioecesi Augustana ab anno 1870 cursus philosophicus expletur in ***maiori*** Seminario. Inde dubitandi ratio, an subsidium a sacerdote Due elargitum adhuc impertiendum sit alumnis, qui non in Seminario ***mi-***

nove uti ipse expresse caverat, sed in ***maiore*** studiis philosophicis incumbunt.

Hoc dubium accedit aliis duobus quibus ***primo*** quaeritur an descendentibus etiam ex ***linea*** feminina iisdemque sacerdoti consanguineis debeatur subsidium; ***secundo,*** an subsidium semel collatum alumno, etsi non consanguineo sacerdotis, deficientibus nempe vocatis propinquis tempore collationis, ab eodem retineri debeat, usque ad expletum studium philosophiae quamvis mox in ***minus*** Seminarium recipiatur quidam Donatoris consanguineus aut alius vocatus ab ipso testatore.,

Disceptatio Synoptica

Pauca animadversa fuerunt quoad primam dubitandi rationem. Quaeritur nimirum quosnam vocaverit consanguineos suos sacerdos Due ; an nempe descendentes tantum ex ***linea masculina ;*** an vero descendentes quoque ex ***feminina linea.*** Verba testatoris haec sunt « ***soit distribué en subside pour les enfants des familles des Duc parents du dit Rev. Seigneur ».***

Quare testator vocat ***familias*** des Duc ; seu vocat descendentes ab eodem stipite, communi cum testatore, et hinc eiusdem consanguineos. Canonistae de hisce quaestionibus agunt potissimum in materia de ***iure patronatus.*** - Iamvero familia in genere denotat agnationem et familia ordinario idem sonat ac agnatio. De Luca ***De iurepat. Disc. 26 n. 6.*** - Verbum ***agnatio*** autem comprehendit omnes per virilem sexum coniunctos ; ***ex I. iurisconsultus 10 % 2 ff. De gradibus;*** Peregrinus ***Consilia 149. n. 22. lib. 5.*** - Familia alia dicitur ***effectiva,*** alia ***contentiva.*** - Familia ***effectiva*** dicitur illa cuius ipse testator seu disponens est causa efficiens vel stipes, ac ideo ista habetur, tantum in descendentibus ipsius fundatoris seu testatoris. - ***Contentiva*** dicitur quae comprehendit omnes agnatos seu descendentes ex collateralibus fratribus fundatoris aut testatoris. An comprehendantur etiam ***descendentes*** ex sororibus, seu ***cognati***

aut consanguinei quicumque in universum , modo quaeritur.

Porro, in themate, certe non agitur nisi de ***familia contentiva,*** siquidem de consanguineis sacerdotis Due res est, qui descendentes seu filios habere non intelligitur. - De familia autem ***contentiva*** haec habet Ferraris v. ***Familia n. 16. «*** Feminae non veniunt appellatione familiae quando testator expressit proprium ***nomen*** familiae', ut quando dixit remaneat ***in domo seu familia Ghilna*** quia tunc cum per solos masculos conservetur ***agnatio,*** feminae erunt exclusae; Peregrin. ***De Fideicommissis art. 25 n. 24 et n. 57 etc.*** ». Verum apud eumdem Ferraris ***loc. cit.*** in hoc propositum haec habetur in nota sub n. 1. « Posterioribus hisce temporibus Rota in contrariam abiit sententiam, nomine scilicet familiae non minus agnatos comprehendi quam cognatos ut 1) in Mediolanen. ***Canonicatus Theologalis super reservatis 9 Februarii 1759 § 11*** et ***18 Iunii*** eiusdem anni § 3 coram Ratta Decano, 2) in Piacentina ***Canonicatus 17 Iunii 1780 § 3*** coram Soderino. Quinimo ut familiae nomen solos indicet agnatos satis non est ut ei adiungatur cognomen. Dupliciter siquidem potest adiungi ***personaliter*** nempe et ***impersonaliter.*** Primo casu ut si dictum esset, familiam Titii instituo, ideo ex persona Titii ***personaliter*** adiectum cognomen censetur ideoque in dispositione et agnati comprehensi et cognati censentur cum aeque utrique merito dici possint ex familia Titii. Secus autem est si, nulla designata persona, nominata sit familia ***Montalcina.*** Hoc quippe casu cum nonnisi agnati familiae nominatae cognomen ferant, ideo exclusis cognatis, agnati tantum vocati censeri debent, uti distinguit eadem Rota coram Zanario ***decis. 99, n. 8;*** coram Rezonico, ***decis. 14 n. 6*** etc. » - Quae distinctio si casui nostro applicanda esset, dicendi essent vocati ad subsidium studiorum tantum agnati, ex familia Due; ii omnes nempe hoc cognomen ferentes ; siquidem vocatio facta est ***impersonaliter,*** scilicet distincta et expressa non persona, sed familia per cognomen.

Verum-perpendi debet quae habet Amostazo ***De caus. piis lib. III, cap. S, n. 47 seq.;*** qui agens de consanguineis vocatis ad capellanias et ad alia officia sacra, docet quod si certas personas non nominaverit fundator aut proximiorem ex consanguineis, eius erit voluntas ut ex consanguineis eligatur dignior, non servata gradus praerogativa; et prosequitur ***I. cit. n. 41.*** « Unde a fortiori asserendum, observandam esse hanc sententiam si dicat fundator : ***eligatur consanguineus de sua familia,*** non addendo qualitatem proximitatis ; mens enim eius est, ut tunc sufficiat ex familia aliquem eligere : Silva ***De qualit. praelat, n. 37*** (42). In his capellanus ecclesiasticis illud observandum, ut si descendentes vocantur ad illas, ***cum tamen in eis non tractetur de conservanda agnatione, si forte duo concurrant in eodem gradu non praeferatur qui ex linea masculina descendit, sed in utraque linea proximior praefertur, reiecta hac differentia ».***

In propositum ut ratio interpretandi huiusmodi ultimas voluntates exigatur ad probatas regulas iurisprudentiae Rotalis, iuvat unam aut alteram Decisionem recolere. In una Firmana Beneficii, ***26 Iun. 1719*** coram Rovault de Gemaches agebatur de iure patronatus donato cuidam Carolino de Simonettis, in haec verba « ***Ut semper et perpetuo remaneat in eius domo et familia et non contingat illud ad alios extraneos devenire*** ». Istius filius prole destitutus, posthabitis collateralibus, iuspatronatus donavit cuidam Nicolao Discreto. Lis orta est inter collatereles Simonetti, et clericum praesentatum a Nicolao Discreto : quoad iuspatronatus alienabile vel non a familia ***contentiva.*** Haec edita fuit Decisio.

« A sententia lata a Vic. Gen. Firmi favore Dominici Carosini pro institutione ad Beneficium Sancti Iacobi et Ioan. de iurepatronatus laicorum, utpote praesentati ad illud a Nicolao Discreto patrono, provocavit Gaspar Simonettus nominatus a Nicolao et Ray mundo fratribus, necnon a Maria Antonia, et Sebastiano Antonio de Simonettis,

aliis assertis patronis: reque ad S. Rotam delata, vigore commissionis mihi -directae, proposui hodie dubium : ***an et cui sit danda institutio :*** et responsum accepi : ***illam esse dandam Dominico Carosino.***

« Ius patronatus namque dicti beneficii ex lege fundationis olim divisum in duas voces aequales, quarum altera spectabat ad familiam de Plateis, et altera ad lineas Laurentii Christophori, et Ioan. familiae de Simonettis, hodie pro maiori parte consolidatum fuit in Nicolao Discreto, is quippe tanquam donatarius Capitanei Iosephi de Simonettis habet, tam integram vocem familiae de Platea eidem Cap. Iosephi obventam ex donatione facta Caroliano eius patri ab Antonio ultimo ex dicta familia de Plateis. Tum etiam ad eundem pertinet medietas alterius vocis familiae de Simonettis : haec enim post mortem Bradamantis de linea Io. Dominici restricta fuit ad alias superstites lineas Christophori, scilicet, et Laurentio, ex qua postremus fuit dictus Cap. Ioseph auctor Nicolai Discreti : ideoque cum Carosinus defendat se praesentatum fuisse ad d. Beneficium a praefato Nicolao habente maiorem partem iurispatr., omni dubio procul instituendus est iuxta claram dispositionem ***Text. in cap. Quoniam*** de iurepatr… Nec est cur obiiciatur, quod vox familiae de Platea transire non potuerit in Nicol. Discretum, ex quo iuspatr. pro hac voce in donatione facta per Antonium ultimum de familia de Plateis favore Caroliani de Simonettis, evaserit gentilitium. Nam etsi admittenda esset dicta qualitas gentilitia, adhuc iuspatr. in Cap. Iosepho de Simonettis ultimo de familia Caroliani Donatarii, utpote effectum haereditarium, per consequens ab eo transferri potuit in Nie. Discretum, iuxta famigeratum consilium Ancorani 81, comuniter receptum, ut in decis. 667. ,n. 11. par. 18. in Granat. Capell. 27 nov. 1713. Nilque turbat responsio quod in d. donatione vocata non fuerit dumtaxat familia ***effectiva*** Caroliani, sed tota familia ***contentiva*** de Simonettis, ut alias resolutum fuit a Rota Maceraten. in quadam decisione edita an. 1694 et resultare

dicebatur ex ipsa donatione Iurispatr. Caroliano de Simonettis facta ; sunt praecisa verba : ***ut semper et perpetuo remaneat in eius domo et familia et ne contingat illud ad alios extraneos devenire.*** Et idcirco haec vox tanquam dilata ad Nicolaum et Rajm. de Simonettis superstites, computari potius debeat pro Gaspare ab eis praesentato : siquidem omissis iis quae hac in re perfunctorie et extra causae opportunitatem dixit Rota Maceratensis in d. decis, occasione litis prorsus diversae, et a qua partes per transactionem recesserunt, quod attinet ad mox relata verba donationis iurisp., illa nequaquam praeseferunt contemplationem familiae de Simonettis in tota sua latitudine, ita ut comprehendant etiam familiam ***contentivam,*** cum dictio illa relativa ***eius*** sine adiectivo cognominis familiae de Simonettis, restringat dispositionem ad effectivam descendentium ipsius donatarii in qua verificatur votum perpetuae conservationis dicti iurispatr. >.

« Haecque interpretatio est conformis etiam iuris dispositioni, iuxta quam vocatio familiae alicuius, quem testatur pro stipite constituerit, intelligitur semper facta vocatio de familia ***effectiva*** non autem ***contentiva.*** Praeterea confirmatur, tum ex acceptatione donationis ***pro se suisque,*** et sic pro solis haeredibus sanguinis scil. descendentibus tantum donatarii ; tum etiam ex eo quod donator professus fuit donationem iurisp. facere intuitu servitiorum receptorum a Caroliano donatario, et propter dilectionem, qua illum prosequebatur, quae porro rationes suadent, donationem non debere extendi ad fam. ***contentivam*** donatarii, ad quam merito eiusdem donatarii et donantis affectio non protendebatur. Ex his vero sequitur, minime obesse quod donator donationem fecerit ne Iuspatr. transiret ad extraneos, quin coarctatio iurisp. ad familiam ***effectivam*** Caroliani, operatur, quod donator habuerit ceteros omnes et etiam transversales ipsos tamquam extraneos, taliter, ut neque in defectum lineae ***effectivae*** iidem transversales vocati dici possint etc. »

Ex qua decisione illud maxime adverti debet, PP. Rotales non adhaesisse materiali significatam verborum quod nempe vocata esset ***familia,*** sed adhaesisse adiunctis et legitimis interpretationibus voluntatis fundatoris seu auctoris, adeo ut exclusa sit etiam familia ***contentiva,*** quum defecerit ***effectiva,*** quia donatarius iuspatronatum receperat pro sua domu et familia quae, deficientibus haeredibus sanguinis, transit ad heredes patrimonii familiaris. Item consideratum fuit, Nicolao Discreto donationem factam fuisse ob eius merita personalia quae ex intentione et affectione donatoris veluti trahsibant ad familiam donatarii ***effectivam*** et ad eius heredes, minime ad familiam ***contentivam.***

Ex adverso casu nostro Sacerdos Due nequaquam sua donatione et affectione poterat amplecti descendentes, sed tantum ***collatérales,*** eosque ratione sanguinis, quae ratio non minus viget in descendentibus ex masculis quam in descendentibus ex, feminis.

Huiusmodi fundatoris intentio exprimitur in verbis quibus donatio concepta fuit ; praecipiens quod libellarum summa « ***soit distribuée en subside pour les enfants des familles des Duc parents du dit Rév. Seigneur défunt*** » ubi illud verbum ***parents*** - videtur expresse appositum ad sanciendas leges ***sanguinis,*** ne istae posthaberentur ob titulum agnatitium et fictitium cognominis. - Revera apud Romanos familia quae tota innitebatur legibus iuris positivi naturales leges sanguinis pessumdantis, tota continebatur in vinculo agnati tip ; at has naturalis iuris laesiones, ductu religionis christianae corrigere coepit Iustinianus et hodie, sane in Codicibus,, sed forsan magis, in moribus conceptus familiae tam late patet quam ipsi fines quos praefigit naturalis sanguinis coniunctio. - Cui conceptui, vehementer christiano, dicendus est adhaesisse, sua postrema voluntate sacerdos Due, dum in eo erat ut religioni compararet pios administros.

Si obiiciatur, familiae nomen in tabulis fundationis fuisse distinctum per cognomen ***Due*** et hoc evasisse veluti tesse-

ram, qua cognoscerent^ vocati a testatore, (ita vocati ***impersonaliter)*** ; respondemus hanc interpretationem esse alienam a mente, ab intentione testationis ; quia dicendus esset descendentibus ex feminis praeposuisse nedum descendentes ex masculis, sed ipsos extraneos ; utpote qui, vocatis suis consanguineis, statim substituit, istis deficientibus, ***— les enfants des familles de la Commune de Tor gnon ».***

Quamobrem ea tantum superesse videtur quaestio an nempe si duo concurrant, alter ex linea masculina ex feminina alter, et uterque sit aeque proximus, in gradu consanguinitatis, auctori, an necessario praeferendus sit descendons ex masculina linea quasi coniunctior testatori. - Re quidem vera, si leges sanguinis attendantur potissimum, hoc videretur asserendum; sed, ex subiecta materia, quia res est de eligendis iis qui Domino administrent in sacerdotio ; ***et nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur tamquam Aaron,*** videtur maior ratio habenda divinae vocationis, quam coniunctionis sanguinis. Ast, ceteris paribus, quum unus prae altero sit assumendus, non videtur negli-, genda ratio sanguinis ; seu praeferenda esset linea masculina. Inquam - ceteris paribus - nam si alter ex concurrentibus sit sanguine coniunctior testatori, isti videtur absque dubio, attribuendum esse subsidium ; quando aliunde sit dignus.

Praeterea iuvat etiam recolere decisionem R. Rotae editam, in una Baren, ***die 13 April. 1728 Beneficii super pertinentia patronali*** in qua ulterius confirmatur regula, nomen ***familiae*** aut ***domus*** latissime intelligendum esse, dum hoc consentit subiecta materia. Agebatur de iuspatronatus a quadam Prudentia Pace ita fundato « ***abbia a succedere per Rettore o Cappellano uno delia linea d'Angelella Race ex parte masculina, e non essendovi la mascolina succeda la femminina*** ». Dein factum est ut nepos Prudentiae contenderet, lineam masculinam non constitui a descendentibus seu a linea ***effectiva,*** sed a ceteris cognatis lineam ***contentivam*** sustinentibus. - Rota reficiens hanc ob-

lectionem adveriebat. « Verum enimvero excogitata exceptio esset perstringens quoties fundatrix in vocatione ad controversum patronatum usurpasset vocabula latina ***domus familiae*** Pacis, et quidem absque adiectione pronominum, -scilicet di ***sua*** e ***mia*** aut sine nominatione certi stipitis. In quibus casibus exploratissimi iuris est contineri eos, qui tam sunt de familia ***contentiva*** proxima, quam remota, quoniam habenda est ratio descendentium a primo et communi omnium stipite a quo universi descendunt, omnesque aeque dicuntur ***de domo*** et ***familia,*** sive descendentes sive collatérales. - At secus est in casu , in quo strictiori formula usa est fundatrix vocando lineam certi designati stipitis nempe ***la linea d'Angelella Pace,*** quo themate vocatio refraenatur ad lineam quae effective et immediate ab Angelella Pace trahitur, cum proprius linea, suapte natura, descensum et tractum quemdam successivum exprimat nec possit supra principium a quo duci debet nec in obliquas partes trahi. « Quae sapientissimae animadversiones in casum nostrum equidem maiorem vim habent; quoniam hodie in communi aestimatione, ipsis civilibus legibus iubentibus et impellentibus, quoad iura successionis feminae pene masculis sunt aequiparatae et in vulgata omnium opinione ***domus*** et ***familiae*** nomen universos sive masculos sive feminas, communi stipite coniunctos amplectitur et continet. Idem probat Mediolanen. ***Canonicatus theologalis diei 9 Iulii 1759,*** coram Inatta.

De alio dubio aliquid advertendum est; quo quaeritur ***« an extranei, deficientibus consanguineis, admissi ad tale subsidium, - eodem frui possint usque ad expleta studia philosophica, quamvis interea aliquis ex consanguineis Sacerdotis Due in seminarium recipiatur et hisce studiis incumbere incipiat in casu*** ». In hanc quaestionem expediendam, ea quae Episcopus affert exempla in postremis litteris, sane utillima sunt et magni ponderis, quippe explicant regulas supremae aequitatis. - Verum quia tabulae fundationis Sacerdotis Due huiusmodi legem expresse non statuunt, in-

quiri debet an ista scateat et erumpat ex subiecta materia. — Atqui, ni fallor, hoc evincere haud difficile est. - Nam controversum subsidium est species ***donationis;*** et revera ***arg. I. Donari 92 ff. De reg. iuris. « Donari intelligitur quod nullo iure cogente conceditur*** » et ***De donationibus in lib. III.*** Decretalium Gregorii IX appositus inscribitur titulus: et prospicitur ne per pacta donationum conditiones Ecclesiarum fiant deteriores. - Revera donatio est species conventionis quae quamvis proveniat ex causa liberalitatis nihilominus semel ac donans suum expresserit consensum et donatarius acceptaverit donationem, habet effectum obligandi donantem ut susceptae obligationi satisfaciat. Unde in donatario exoritur actio adversus donantem : uti cavetur in § ***Aliae autem — Instit. Iustiniani — tit. De obli g. —*** ibi - « ***Donationes etc. etiamsi*** (res donatae) ***non tradantur habeant plenissimum et perfectum robur et traditionis necessitas incumbat*** » ; et, in ***I. Si quis argentum 35 Cod. eiusd. tit.*** conceditur donatario actio intra donatorem ad tradendam rem ***verbauter*** donatam.

Exinde statutum est, donationes revocari non posse, ut iubet lex ***fin. Cod. De revocandis donationibus*** - ibi — ***« Generaliter sancimus omnes donationes lege confectas firmas illibatasque manere*** » adeo ut neque per rescriptum Principis revocari contingat: arg. 1. ***Si donationem C. eod. tit. « Si rite fecisti, hanc auctoritate rescripti nostri re^ scindi non oportet ».***

Verumtamen nonnulli graviores constituti sunt legitimi casus quibus revocare donationem integrum est, at hi casus exceptionis induunt naturam et exceptio confirmat legem in casibus non exceptis. - Exceptionem ita determinat in ***capit. ult. h. t.*** Gregorius IX. - « Propter eius ingratitudinem in quam liberalitas est collata, donatoris persona, ***de rigore iuris,*** eam potuit revocare ; si forte in ipsum impias manus iniecerit aut sibi atroces iniurias seu grave rerum suarum damnum vel vitae periculum inferre praesumpserit. ***Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non***

extenditur successores ». Attendere praestat, Pontificem attribuere facultatem revocandi donationes ***rigori iuris;*** quare ista facultas strictissimam patitur interpretationem neque -extensionem admittit de uno casu ad alium. - Etenim usque grave damnum est donatario rem donatam auferre ; quamobrem si hoc liceret donatoribus, nullus amplius inveniretur vir qui donationes acceptaret. - Gravissimum vero discrimen infert donationis revocatio, quae obliget alu^ mnum a derelinquendo studiorum curriculo quod arripuit per ***subsidium donationis.***

Postrema quaestio sane non in ***iure,*** sed in ***facto*** consistit. - Siquidem studia philosophica olim explebantur in Seminario ***parvo*** et proinde de Seminario ***parvo*** sermonem fecit testator, hodie ad Seminarium ***maius*** haec studia translata sunt ; et hoc videtur ***facti*** adiunctum quod parum aut nihil influat in testatoris voluntatem.

Ceterum EE. Patres deliberabunt an in • themate ulla habita sit supremae voluntatis Sacerdotis Due gravis mutatio; et an locus sit cuidam provisioni aut dispensationi in casu.

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An consanguinei Sacerdotis Due descendentes ex linea feminina ius habeant ad subsidium ab eo legatum in casu.***

Et quatenus affirmative.

II. ***An et quomodo isti consanguinei idem ius habeant in concursu cum descendentibus ex linea masculina in casu.***

III. ***An extranei, deficientibus consanguineis, admissi •ad tale subsidium eodem frui possint usque ad expleta studia philosophica, quamvis interea aliquis ex consanguineis .Sacerdotis Due in Seminarium admittatur et hisce studiis incumbere incipiat in casu.***

IV. ***An dictum subsidium tribui debeat alumnis rite designatis, quamvis hi non in*** parvo ***Seminario, sed in*** maiori ***studiis philosophicis incumbant in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 16 Decembris 1899 censuit respondere: ***ad I. Affirmative quatenus desint iuvenes idonei ex agnatis; ad II. provisum in primo: ad III. et IV. affirmative.***

ORTONEN.

PRIMICERIATUS

Die 16 Decembris 1899.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Canonicatus Cathedralis Ortonensis massam habent communem, proindeque aequales annuos reditus. At praeterea omnes et singuli adiunctam atque adnexam habent praebendam, aliam alia pinguiorem ; quare, mos est, ut, vacante earum aliqua (exceptis praebendis Archidiaconi tus, Poenitentiarii, Theologi, et Parochi, proprio canonicatui inseparabiliter unitis) canonicus Decanus, seu prior in tempore quoad possessionem, ad vacantem praebendam optandi ius obtinet.

Factum est quod canonicus Franciscus Bonanni ab anno 1862 praebendam possideret nuncupatam a S. Sophia, cuius dos erat fundus nemoribus consitus et pauperrimi erant reditus, nimirum centum circiter annuae libellae. Sed ipse vi suae industriae, adeo auxit reditus ut hodie octingenta libellae percipiantur. - Quo suae diligentiae aeterna extaret memoria et dignitas tum beneficii tum Capituli quo magis augeretur, expetiit Bonanni sub anno 1884 a S. C. C. ut eiusmodi praebenda ***eveheretur ad gradum Canonicatus Primiceriatus iis concessis privilegiis, quibus iste olim honestabatur*** in eodem Capitulo, atque ita constitueretur altera post Archidiaconum dignitas. Praeterea expostulavit,

praebendam ita auctam et privilegiis cumulatam, non amplius subiici ***optioni*** senioris, sed ***praevio concursu*** aut ***examine*** conferendam esse.

Haec petitio S. C. C. proposita fuit per ***summaria precum — die 20 Decemb. 1884*** — et quamvis Capitulum per ***suum votum*** precibus oratoris refragaretur, responsum prodiit « ***Pro gratia, facto verbo cum SSmo*** » Sanctissimus responsionem approbare et gratiam impertire dignatus est. - At Gubernio Civili haud arrisit eiusmodi decretum, quippe ipsum sibi arrogat ius patronatus in Ortonense Capitulum, proindeque Regium ***Placet*** denegavit litteris collationis concessis Can. Bonanni.

Primicerius Bonanni ***die 4 Sept. 1898*** fatum obiit supremum. Hodie vero Canonicus Decanus Aloysius Veniéri SSmum Patrem adprecatur, ut sibi, praevia dispensatione a concursu, tribuatur praedicta dignitas; tum quia iure optionis eamdem obtinere poterat, nisi elevata fuisset ad Primicerii honorem, tum quia per annos quamplurimos Ecclesiae servitio incumbit in diversis officiis.

Episcopus retulit, veritate niti historiam gestarum a supplicante favore et decore Ecclesiae aliasque adiecit animadversiones in propositum facientes.

Disceptatio Synoptica

Uti diserte patet, Oratoris instantia non contradicit iuri communi, ***sed iuri particulari,*** quod S. C. C. placuit constituere. Sed, re intimius perspecta, neque hoc ius particulare , saltem quoad suam intentionem, videtur admodum obstare quominus clementia et humanitas EE. PP. annuat Oratoris votis. Etenim rescriptum ***diei 20 Dec. 1884*** duas indulsit gratias, nimirum evexit praebendam a S. Sophia dictam ad gradum Canonicatus Primiceriatus : et praeterea statuit « ***che detto canonicato venga nella vacanza sottoposto a concorso od esame a beneplacito sempre del Superiore pro tempore ».*** In hoc rescripto potior pars videtur prima, eademque in perpetuum vigebit ob auctum gradum

canonicatus a S. Sophia. - Altera vera pars, ex ipso tenore precum quibus rescribere placuit BE'. PP., videtur magis obnoxia prudenti arbitrio collatoris, quam certae legi. Nam ea verba « ***a beneplacito sempre dei Superiore*** » quamvis se directe referant ad diversam formam aut ***concursus*** aut ***examinis,*** nihilominus denotant in una et alia ratione plurimum deferri prudenti arbitrio Superioris. Siquidem hoc expostulabat subiecta materia. Insuetum est enim constitutionibus capitularibus, ad primas dignitates viam patere per concursum : quum inde fieri possit ut clericus omnibus capitularibus iunior, ad examina tamen paratior et instructor ob recens emensum curriculum studiorum, quamvis ceteris neque doctior, neque prudentior, pertingere facile valeat ad primos locos in Capitulo Cathedrali.

Quamobrem pro suo arbitrio Superior vi rescripti, potest ***concursui*** substituere ***examen;*** seu potiusquam indicere concursum potest aliquem vocare eumdemque examini subiicere, ut ei conferat canonicatum, si dignum reperiat. Examinis autem forma, aeque remissa arbitrio Superioris, facile contineri valet in his terminis, ut respondeat ingenio viri vel aetate provectioris: nec non rationem habeat potissimam documentorum, quibus virtus et merita Sacerdotum comprobantur.

Ceterum quia nunc, prima vice, inchoanda est praxis quae sane in posterum revocabitur ad exemplum ; cum semper Decani Capituli, vacante Primiceriatu, optionis ius sibi arrogabunt vel saltem in medium afferent: non parvum facessit negotium, eam sequi viam, et rescripti intentioni magis consentaneam et bono Capituli accommodata, pro nunc et in posterum.

Hisce animadversis, quaesitum fuit quomodo essent preces dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 16 Decembris 1899 censuit respondere: ***Iuxta petita, praevio* tamen examine, arbitrio et conscientia Ordinarii.***

VÈRONEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 7 Aprilis 1900.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Clericus Athilius Cecco, Veronensis dioecesis, ut a quadam irregularitate contracta « ***eoo defectu corporis*** » benigne dispensetur, supplicem dedit libellum quem ad H. S. C. ***diei 6 Febr. 1900*** transmittens Ordinarius ita petitionem explicavit et commendavit.

« Il Chierico Cecco Attilio, di questa Diocesi, qualche anno fa venne colpito da sinovite fungosa al ginocchio sinistro, la quale, essendo degenerata in vera anchilosi, produsse l'inflessibilità perpetua del ginocchio medesimo. Sottoposto a speciale esperimento, fu osservato che egfi può benissimo reggersi in piedi e muoversi senza bisogno d'appoggio. Però, nel genuflettere, deve piegare in avanti il ginocchio destro e gettare all'indietro distesa la gamba sinistra, arrivando così a fare mezza genuflessione. Quanto poi all'inginocchiarsi, non può farlo se v'è un solo gradino; che se vi sono almeno due gradini, od almeno se v'è un appoggio dinnanzi, può piegare a terra il ginocchio detto, tenendo la gamba sinistra distesa all'indietro.

« Per questo io mi rivolgo umilmente alla Bñe V. supplicandola di voler concedergli la dispensa dall'irregolarità ex defectu corporis, desiderando ora il detto Chierico, già insignito degli Ordini Minori, di ricevere il Suddiaconato e poi gli altri Ordini Maggiori.

« Osservo che l'Umo Oratore ha già 27 anni d'età; sta per compiere l'ultimo anno di studi teologici, e si distingue per pietà, moralità e profitto nella scuola. È da sperare quindi che sia per riuscire un ottimo Sacerdote, utilissimo alla Chiesa ed in modo particolare alla Diocesi Veronese, la quale abbisogna di buoni e bravi preti ».

Disceptatio synoptica

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Quod in themate agatur de vera irregularitate ob corporis defectum in dubium revocari haud potest. Irregularitas enim semper habetur cum sacrae Missae caeremoniae fieri non valent quin negligantur sacri ritus et populi admiratio excitetur; siquidem ***cap. 2 De cleric. aegrot.*** statuit adesse irregularitatem ***«quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus*** ». Hac de causa S. C. C. gratiam non semel denegavit aut tantum in sacello privato vel hora, qua minus frequens concursus fieret celebrare permisit, ut in Abellinen: ***Irregularitatis 28 Iulii 1770*** confirmata ***4 maii 1774*** et in Geruntina ***28 maii 1788.*** Quae severitas in casu nostro eo magis videtur esse urgenda cum non de iam promoto, ut in allato exemplo, sed de promovendo agatur, cui difficilius S. C. C. dispensationem concedere solet.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. Verum favore Oratoris animadvertere praestat, non deesse exempla, durioris forsan speciei, in quibus dispensatum est cum clericis promovendis , praesertim cum concurrant boni mores Oratoris, cum sui Episcopi commendatione, et spes utilitatis Ecclesiae ex clerici promotione obventurae.

Ita in Cathacen. ***17 dec. 1859,*** dispensatus fuit Sacerd. Scalzo, quem adeo cruribus esse praepeditum referebat Episcopus, ut nonnisi manu super humerum assistentis posita ad infimum altaris gradum genuflectere valeret. Et in Asculana ***20 febr. 1808*** S. C. pari benignitate usa fuit erga clericum Salustri, propter renium debilitatem claudicantem, genuflexionem vix genu sinistro signaret : dexterumque genu vel utrumque simul flectere nullatenus absque alterius auxilio valebat : et in casu agebatur de clerico promovendo. Insuper in Comaclen. ***27 febr. 1864*** secundum obtinuit rescriptum quidam Fogli, qui (ut legitur in foliis) « anchilosi perfecta in genu dextero laborans, non potest illud

usque ad terram flectere, sed mediam tantum, ut ita dicam, genuflexionem commode exequitur ». Et in themate agebatur etiam de clerico duobus tantum minoribus ordinibus initiatus.

Demum in casu, eo magis videtur rigor temperandus, cum boni mores Oratoris ab Episcopo sint quammaxime commendati, et utilitatem inde capere Ecclesiam, sperat Ordinarius.

Nec illud videtur esse omittendum , quod cum Orator iam studia ecclesiastica compleverit et ad aetatem a. 27 iam pertigerit, durior etiam ex hac parte videretur dispensationis gratiae denegatio: cum ei non tam facile esset in posterum aliam inire viam vel aliis incumbere studiis , ne otiosus vir, vel de novo statu in sociali consortio in aevum pertaesus maneret.

Quibus animadversis quaesitum est quid precibus esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 7 Apri^ lis 1900, censuit respondere : ***Pro gratia dispensationis facto verbo cum SSmo.***

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

ROMANA

CREDITI

Die 15 Septembris 1899.

COMPENDIUM PACTI. Fratres Bianchetti pannorum pro vestibus conficiendis negotiatores Locami in Helvetia an. 1892 quantitatem huiusmodi mercium apud aedes Seminarii Pii in Urbe deposuerunt earumque venditio commissa fuit nonnullis alumnis, Rectore Seminarii assentiente. Anno 1895

cum dispunctis dati et accepti rationibus societas vulgo ***Ditta Bianchetti*** creditrix maneret nonnullarum millium libellarum, Seminario vadimonium dixit apud S. Congregationem Episcoporum et Regul. ut ab eo indemnis redderetur. Causa proposita fuit die Iulii 1898 sub dubio: ***A quo et quomodo Fratres Bianchetti negotiatores pannorum Locami in Helvetia indemnes fieri debent in casu;*** atque Emi Patres reformato dubio ut sequitur: ***An Seminarium eiusque Moderatores et administratores teneantur persolvere petitam summam Fratribus Bianchetti in casu;*** rescripserunt : ***Negative in omnibus.*** Huius causae discussio relata iam fuit in vol. 31, pag. 304.

Contra hanc decisionem actores Bianchetti expostularunt et obtinuerunt beneficium novae audientiae per decretum ***Reproponatur.*** Verum cum ipsi iam se composuerint cum ex alumnis Di Cecco et Cerroni, qui declararunt se respondere pro sua quota parte , Fratres Bianchetti nunc suam actionem coarctant tantum ad summam libellarum 600, quam sibi deberi dicunt a Rectore Seminarii tunc temporis R. P. D. Canestrari.

Disceptatio Synoptica.

FAVORE FRATRUM BIANCHETTI. Fratres Bianchetti praeter argumenta allata in prima causae propositione, dicunt obligationem ex Rectoris Canestrari in casu exurgere ex sequentibus articulis Codicis civilis Italici. In art. 1151 statuitur : ***Quodcumque hominis factum alteri damnosum obligat illum ex cuius culpa id obtigit, ad damnum resarciendum.*** Item in art. 1152: ***Unusquisque tenetur de damno allato non solum ex facto proprio sed etiam ex propria negligentia seu imprudentia;*** et tandem in art. 1153: ***Unusquisque pariter tenetur non solum de damno*** *allato* ***ex facto proprio sed etiam de damno allato ex facto personarum de quibus respondere debet aut ex rebus quas habet in custodia. Dater et eius defectu mater tenentur de damnis al-***

latis ah eorum filiis minoribus cum ipsis degentibus; ***iun****iores de damnis allatis ab eorum administratis cum ipsis degentibus : domini et committentes de damnis allatis ab eorum domesticis et commissis in exercitio demandatorum munerum. Praeceptores et artifices de damnis allatis ab eorum alumnis et apprehendentibus, tempore quo extant sub ipsorum, vigilantia. Dicta obligatio desinit quoties parentes tutores, praeceptores et artifices, probent se non potuisse impedire factum de quo respondere debuissent.*

Atqui, subdunt fratres Bianchetti, damnum ab ipsis expertum, allatum fuit ex facto alumnorum degentium in Seminario, in quo merces regulariter depositae fuerunt cum licentia et assensu ipsius ex-Rectoris Canestrari. Ergo ipse tenetur ad damnum resarciendum ad tramites suprascriptorum articulorum, iuxta quos aliquis teneri potest nedum de damno allato ex propria negligentia, sed etiam de damno allato a personis sub sua vigilantia positis.

Ad pleniorem huius argumenti intelligentiam Rmus advocatus summista nonnullas adiecit observationes ex officio quas breviter summare operae pretium est. Actores Bianchetti ad suam intentionem probandam appellant ad obligationis theoriam ex facto alieno ex citatis Codicis Italici articulis erutam. Sane ambigi non potest iuxta textum *cap.* ***1*** *de novi operis nunciatione* èt doctrinam Bened. XIV de Synodo dioeces, lib. 9, cap. 14 quod ubi silet ius canonicum recurrendum sit ad dispositiones iuris civilis: perbelle id explicat clar. D'Annibale in sua Summula Theol. Mor. I. 201 : *quod iuri canonico deest suppletur ex iure civili, non quidem romano quod olim viguit, sed eo quod nunc viget, praeter quam si agatur de his legibus quae in ius canonicum translatae sint, quippe quae non amplius leges, sed canones dicendi sunt.* Hoc praemisso obligatio ex facto alieno dupliciter concipi potest nempe *ex culpa in eligendo* et *ex culpa in vigilando.* Legislatio romana ex iure praetorio duobus tantum casibus praesumebat culpam in damnis ex facto alieno, nempe in patre familias ob res

i aetas ex fenestris suae habitationis et in dominis navis, eauponae aut stabuli ob damna allata ab eorum dependentibus in mercibus viatorum et in praeponente) us ob maleficia institorum *leg. 6 § 2* et *leg. 1 lib. 9 tit. 3 Digesti Voet ad Pandectas lib. 14 tit. 3, 4.* Praeter hos duos casus in antiquo iure romanorum habebantur *actiones noxales* patremfamilias et dominum ob damna allata a filiisfamilias et servis.

Serius, mutata conditione societatis huiusmodi actiones abolitae sunt; sed modernis legum Moribus visum est maxime aequitatis naturali congruere in determinatis casibus admittere legales praesumptiones culpae in nonnullis personis ob eorum defectum sive in *eligendo* sive in *vigilando* eorum dependentes. Huiusmodi praesumptiones duplicis sunt cathegoriae, nempe simplices *iuris* praesumptiones, et *iuris de iure,* quae probationem in contrarium respuunt. Hae praesumptiones sunt taxativae, et ultra casus a lege expressos extendi nequeunt. Sed praeter casus a lege designatos adesse possunt alii casus cum ipsis quamdam analogiam et similitudinem habentes: in his iudex non impeditur admittere seu praesupponere culpam ex facto alieno et haec praesumptio dicitur *hominis* praesumptio. Haec doctrina fundatur in hoc principio quod ut quis obligetur de damno ex facto alieno sufficit, ut debuerit et potuerit id impedire et non fecerit, seu ut *passivam* cooperationem praestiterit ut docet Giorgi in suo libro *theoria de obligationibus* § 251 et probat exemplis.

Inter casus designatos a Codice civili Italico uti legalis praesumptio culpae elidi potest per probationem in contrarium, est casus praeceptorum et artificum art. 1153 relate ad damnum inlatum ab eorum dependentibus. Sane doctores conveniunt quod nomine praeceptoris non tantum intelligitur simplex magister seu institutor in arte et doctrina, sed etiam ille cui alumnorum educatio est commissa, quia etiam in hac parte substituit auctoritatem paternam. Itaque stando allegatis iuris principiis videtur quod Rectoribus Semina-

riorum applicari possit citata paragraphus art. 1153 Codicis Italici. Hi enim pervigilant educationi suorum alumnorum et paternam auctoritatem repraesentant: proinde obligari possunt ex facto suorum dependentium, excepto casu in quo probent se impedire non potuisse factum culposum. Super hac iuridica theoria Fratres Bianchetti innituntur, quando contendunt ex Rectorem Canestrari teneri ad reparandum damnum allatum ex culpa nonnullorum alumnorum Seminarii Pii.

FAVORE EX-RECTORIS CANESTRARI. B contra huius Defensor sustinet quod ex-Rector Canestrari permitiendo actoribus 'Bianchetti, ut apud aedes Seminarii deponerent panna ad vestes conficiendas nullam intendit assumere obligationem erga ipsos, sed tantum in via disciplinari licentiam dedit uni ex Praefectis Instituti iam sacerdoti accipiendi depositum mercium a Fratribus Bianchetti, quin ullo modo in hoc negotio suum vicarium constitueret. Ceterum praesupposita ex-Rectoris obligatio nulla declaratione sive orali sive scripta constat, neque per aequipollens probari potest. Verum quidem est quod fratres Bianchetti agendo cum praefato alumno putarunt agere cum Seminarii Oeconomo, sed prout talis numquam a Canestrari est designatus, unde, subdit defensor, Fratres Bianchetti sibi imputent si in hoc erraverint; quod eo magis valet, cum ex-Rector Canestrari nullam epistolarem relationem habuerit cum dictis Bianchetti aut eorum vicesgerente et numquam ab eo redditio rationum expetita fuerit aut in proposito oblatus recursus.

Quoad autem oppositum art. 1153 Codicis civilis Italici Defensor ex-Rectoris Canestrari respondet in casu eum applicari non posse , cum in praefato articulo sermo sit de obligationibus scatentibus ex delictis vel quasi delictis, uti patet ex intestatione *sectionis **2** tit. **4** de obligationibus libri **3** citati Codicis.* Aliunde notum est quod pro obligatione strictissimi iuris constituenda, uti praesens censeri debet iuxta defensorem, requiruntur probationes perfectae et concludentes et non ideales et aequivocae, uti docet *Card. De*

Luca de iud: diseurs. 2, N. 17, 18 et pluribus hinc inde colluctantibus probationibus potior est causa rei, pro quo in dubio est iudicandum. Concludit defensor suam allegationem notando quod ex-Rector Canestrari exiit e Seminario die 1 Aprilis 1896 atque ex epistola alumni Bargagnati (quae in prima causae propositione fuit exhibita) constat quod tam ipse quam alumnus Cerroni interesse habentes cum Fratribus Bianchetti eodem anno aderant in Seminario: quare ipsi respondere deberent de residuo debito.

Hisce utrimque delibatis propositum fuit resolvendum sequens

Dubium

An R. P. D. Ca?iestrari ex-Rector Pontificii Seminarii Pii 'teneatur persolvere Fratribus Bianchetti petitam summam libellarum 600 in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episc, et Regul. re mature discussa die 15 septembris 1899 respondit: *In decisis et ad mentem. La mente è che essendo sommamente conforme a tutte le convenienze , che i Sigg. Bianchetti non abbiano a perdere la somma loro dovuta e da essi reclamata, s'inviti VEmo Sig. Cardinal Vicario ad instituiré %m accurata inchiesta sull'argomento allo scopo di definire a quale degli alunni del Sem. Pio incomba V obbligo di resarcire la reclamata somma, comunicando all'Eminenza Sua tutte le facoltà necessarie ed opportune per citare innanzi alV ufficialità del suo Vicariato anche i sacerdoti di altre diocesi.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

SINARUM Beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilis Servi Dei Ioannis a Triora sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci.

SUPER DUBIO

An constet de Martyrio, causa Martyrii, signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.

Invicta martyrum acies, quae saeviente in Sinis finitimisque regionibus persecutionis aestu, sub huius initium saeculi, testimonium sanguinis Christo reddidit, italici etiam nominis gloria non caret, apostolicum virum exhibens, qui non dubitavit « *bonus pastor animam suam ponere pro ovibus suis* ». Praeclarum hoc decus Minorum Franciscanum Familiae, de Religione ac Societate tam bene meritae, fuit Venerabilis Ioannes Lantrua, nuncupatus a Triora eius natali oppido in Liguria. Anno aetatis suae xvn inter Fratres Minores S. Francisci Assisiensis adlectus, emensusque studiorum curriculum, in Apostolicum ministerium totus incubuit. Prudentiae laude probatissimus Veliterno coenobio regendo praefectus est; quo in munere quum desiderio flagraret sacras missiones obeundi, a Sacro Consilio Christiano Nomini propagando impetravit ut ad Sinenses proficisceretur. Itaque anno 1798 Roma discedens Olysipponem contendit, ut in Sinarum regiones inde traiiceret. Verum, quum navigandi in ea loca opportunitatem nactus esset nullam, in illa urbe moratus annum est; quo elapso ad Macaum appulit post varia discrimina. Inde Sinas, in provinciam Hunanensem profectus est; quas regiones, nec laboribus fractus, nec periculis , deterritus peragravit, multos ex ethnicis ad Christum adducens, ex christianis plurimos remissius fidem' profitentes excitans atque confirmans.

Vigebant per ea tempora edicta contra christianum nomen severissima; eoque acrius inquirebatur, quo maior cura magistratus extimulabat perduellis cuiusdam capiendi, qui adscitis sibi sociis eam provinciam commovebat. Inter haec, Ioannes ingenio ut erat impavido animoque ad omnia parato pro

Christi Religione tuenda, vitae suae minus cavens, delatorum astum non effugit, raptusque in ius est sub ea criminatione quod leges violaret et imperialibus edictis non pareret. Neque tamen strenuus miles deserendam sibi stationem duxit, praesertim quum nemo praeter ipsum esset in vasta illa provincia sacerdos. Qdio itaque christiani nominis acti satellites, impetu facto, sacram aediculam, quam Venerabilis Dei Servus extruxerat, igne absumunt omnemque supellectilem sacram, assertae ac propagatae religionis argumentum, deferunt ad Praefectum urbis Lui-jan-sien. Cui interroganti se sistens Ioannes, responsa dedit plane digna veterum martyrum lingua; donec catenis vinctus mittitur ad urbem Heu-cou-fou. Quo in itinere singularis eius enituit caritas in ceteros qui cum ipso capti ducebantur, quibus impetravit ut lecticis deferrentur. Inde ad Cian-sa urbem provinciae principem deductus, septem prope menses egit in carcere supra modum durissimo : collum, manus pedes ferréis vinculis impeditus, tractusque per vim supra Crucem, ut ipsam calcarei Tandem, cum fortissimi athletae constantiam nulli adversi conatus fregissent, capitalis in ipsum sententia lata est.

Stato die ad supplicii locum quum venisset, spatium orandi petit. Tum vero, pro christianorum Sinensium instituto, quinta prostratione Deum adora vit, ut intelligerent omnes qui aderant, se vita exeuntem publice Fidem profiteri. Cum vero damnatarum vestes lege attribuerentur camitici, de pudore magis quam de instante morte sollicitus, quod pecuniae tantillum supererai obtulit, rogans ne internis vestibus exueretur. Quo vix impetrato, ad satellites conversus iussit eos imperata facere; alligatusque ad feralem machinam, eliso per laqueum gutture, migravit in caelum die 7 mensis Februarii anni 1816.

Gloriosi huic martyrii fama late diffusa, inquisitiones rite sunt institutae, quibus a Sacra Rituum Congregatione diligenter expensis, Summus Pontifex Gregorius XVI commissionem introductionis Causae propria manu signavit. SSmus autem Dominus Noster Leo PP. XIII decreto lato undecimo calendas Februarii volventis anni benigne indulsit ut dubium de Martyrio, causa Martyrii, Signis seu Miraculis Martyrium ipsum confirmantibus in particulari Coetu Sacrae Rituum Congregationis proponeretur cum voto etiam Praesulum Officialium memoratae Congregationis. Itaque, in Conventu ad Vaticanum ha-

bito Idibus volventis mensis a Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella Causae Relatore proposito dubio: « *An constet de Martyrio, causa Martyrii, signis seu miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur»;* Rmi Cardinales et Praesules Officiales, latis suffragiis, constare censuerunt. Sanctissimus autem Dominus Noster, post auditam a S. RR. Congregationis Secretario de omnibus relationem, iudicio abstinuit remque distulit in alium diem, ut opportuni consilii gratiam a Patre luminum impensius flagitaret.

Hac autem die, Magnae Virgini ab Angelo salutatae sacra idem SSmus D. N., sacris in domestico Sacello pientissime perlitatis, in Vaticanam nobiliorem aulam ad Se accivit Revmum Cardinalem Camillum Mazzella, Episcopum Praenestinum, Sacrae RR. Congregationis Praefectum, et Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella, Causae Relatorem, nec non Ioannem Baptistam Lugari S. Fidei Promotorem, meque infrascriptum a Secretis, iisque adstantibus solemniter et rite sanxit : « *Ita constare de Martyrio et de eausa Martyrii, de Signis seu Miraculis Ven. Servi Dei Ioannis a Triora, ut procedi possit ad ulteriora ».*

Hoc autem decretum in vulgus edi et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis inseri mandavit octavo calendas Aprilis .anno 1900.

C. CARD. MAZZELLA, *S. B. C. Praefectus.*

L. S S.

DIOMEDES PANICI, *S. B. C. Secretarius.*

VICEN. dubia quoad Missas lectas de requie.

Ad quandam controversiam tollendam circa interpretationem decretorum 3903 *Aucto* 8 Iunii 1896 et 3944 *Bomana* 12 Ianuarii 1897 quoad Missas lectas de Requie, hodiernus Caeremoniarum magister Basilicae Cathedralis Vicensis in Hispania, de consensu sui Rmi Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime exposuit; nimirum:

I. Utrum ex enunciatis decretis Missae lectae, quae a Sacerdotibus celebrantur in Ecclesiis et Oratoriis civitatis pro defuncto, cadavere insepulto vel sepulto non ultra biduum a die obitus seu depositionis, celebrari valeant de *Requie*, dummodo in parochiali Ecclesia fiat funus cum Missa exequiali; an hoc privilegium sit proprium tantummodo Ecclesiae, in qua funus peragitur cum sua Missa exequiali?

II. Utrum quilibet Sacerdos possit unam tantum Missam de Requie celebrare, vel plures, diversis diebus, dummodo cadaver sit insepultum non ultra biduum?

III. Utrum pro defuncto, qui morabatur in civitate et obierit extra civitatem, possint etiam in ipsa civitate praedictae Missae lectae de Requie celebrari?

IV. Quomodo intelligenda sit praesentia physica vel moralis requisita in decretis suprarelatis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad II. Stetur Decretis.

Ad III. et IV. Provisum in praecedentibus; et Missae privatae de Requie nonnisi in Ecclesia vel Oratorio publico permittuntur ubi fit funus cum Missa exequiali: in Oratoriis autem privatis Missae, quae ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie, praesente cadavere in domo; servatis ceteris clausulis et conditionibus.

Atque ita rescripsit. Die 3 Aprilis 1900.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

VICEN. dubia quoad habitum choralem Magistri caeremoniarum.

Hodiernus Caeremoniarum magister Basilicae Cathedralis Vicensis in Hispania, praehabito consensu sui Rmi Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur pro opportuna declaratione reverenter exposuit, nimirum: cum orator accepit possessionem Beneficii, cui officium magistri caeremoniarum est adnexum, vigebat in Basilica Cathedrali Vicensi consuetudo, qua magister caeremoniarum habitu chorali seu Beneficiarii proprio utebatur in munere caeremoniarii exercendo. Hac consuetudine deposita iuxta decretum 3840 Granaten. 14 Decembris 1894, alia invecta est praxis consentiente Rmo Capitulo eiusdem Basilicae Cathedralis; videlicet: magister caeremoniarum vestem violaceam adhibet cum superpelliceo, quotiescumque officio suo fungitur sive in altari sive in choro, exceptis casibus, in quibus Vesperae, *Te Deum*, et Laudes tantum solemniter in eadem Basilica canuntur, ne ipsemet discedere a choro debeat in principio Completorii et in fine Matutini ob habitus mutationem. Hisce positis, idem Orator ut supradicta praxis concordet cum Caeremoniali Episcoporum et Decretis, expostulavit:

I. Utrum in Pontificalibus functionibus Episcopi Ordinarii •sive in Cathedrali, sive extra ipsam, in propria tamen Dioecesi, magister caeremoniarum veste violacea uti debeat?

II. Utrum etiam in Pontificalibus ab alio Episcopo, de consensu tamen Ordinarii Dioeceseos celebratis, eandem vestem adhibere valeat?

III. Utrum tali veste uti possit vel debeat quando celebrat Capitulum Cathedrale, sive in ipsa Basilica sive extra, tam praesente quam absente Episcopo?

IV. Utrum etiam eandem vestem induere valeat in Vesperis, Completorio, Matutino et Laudibus solemnibus?

V. Quo habitu uti debeat cum solemniter tantum Vesperae, *Te Deum* et Laudes canuntur; et an e choro exire debeat tempore opportuno ad mutandum habitum?

Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, •exquisito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad IL Affirmative, si Capitulum Cathedralis Ecclesiae intersit.

Ad III. Serventur Decreta 2310 Aquilana 22 Ianuarii ad 3^ et 2621 Dubiorum 17 Septembris 1822 ad 12.

Ad IV. Affirmative, sed ad normam Decretorum ut supra in dubio III.

Ad V. Quoad primam partem provisum in praecedentibus: quoad alteram servari potest praxis praesertim Basilicarum Urbis.

Atque ita rescripsit, die 3 Aprilis 1900.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S. R. C. Pro-Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius-*

DECRETUM respiciens scapulare proprie dictum sacri Cordis Iesu.

RITUS ET FORMULA

BENEDICTIONIS ATQUE IMPOSITIONIS SCAPULARIS SACRI CORDIS IESU.

Suscepturus Scapulare Sacri Cordis Iesu genufleetat, et sacerdos apostolica facultate pollens, stola alba indutus capite detecto dicat:

f. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
R). Qui fecit coelum et terram.
f. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
R). Et salutare tuum da nobis.
***j*.** Domine exaudi orationem meam.
4- Et clamor meus ad te veniat.
f. Dominus vobiscum.
R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Iesu, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae sponsae tuae singulari dilectionis beneficio aperuisti: hoc scapulare eiusdem Cordis tui emblemate decora tum benedicere digneris; ut quicumque illud devote gestaverit, intercedente Beata et Clementissima Genitrice tua Maria, virtutibus et donis coelestibus ditari mereatur: Qui vivis et regnas etc.

Postea Sacerdos Seapulare aspergit aqua benedicta illudque imponit, dicens:

Accipe, frater, hoc seapulare Sacri Cordis Iesu, quo ornatus in honorem et memoriam amoris et passionis eius, per intercessionem Beatae Mariae Virginis, Matris Misericordiae, divinae gratiae largitatem et aeternae gloriae fructum consequi merearis. Per eumdem Christum Dominum nostrum (1).

Deinde una vice cum adscripto dicat sive latino sive vernáculo idiomate sequentes preces iaeulatorias :

Iesu mitis et humilis corde, fac cor nostrum sicut cor tuum.

Maria mater gratiae, mater misericordiae, Tu nos ab hoste protege, et mortis hora suscipe.

DECRETUM

Quo caritas Dei per Spiritum Sanctum diffusa constanter maneat et regnet in cordibus hominum, mirabiliter confluunt divina sacramenta et religiosae celebritates.

Inter has accensenda est solemnitas in honorem Sacri Cordis Iesu ab Ecclesia instituta, per quam .non modo Cor Filii Dei et hominis adorandum et glorificandum proponitur, sed etiam symbolice renovatur memoria illius divini amoris, quo idem Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebuit hominibus exempla virtutum, seque ostendit mitem et humilem corde. Verum stu-

(1) Si seapulare mulieri imponatur, dicatur : ***Accipe Soror*** **etc. Si vero pluribus, tum omnia plurali numero dicantur.**

diosa fidelium pietas alios invexit modos, quibus ad eundem finem devotio erga Amantissimum Cor Iesu iucundis uberibusque fructibus ferax propagatur. Penes quamplurimis Christifideles pia ac laudabilis viguit ac viget consuetudo gestandi supra pectus emblema ipsius S. Cordis Iesu, ad instar scapularis, quae consuetudo a Beata Margarita Alacoque quodam coelesti lumine illustrata originem duxit, et ab Apostolica Sede partialibus indulgentiis locupletata est. Quum vero similis devotio foveatur et maiora in dies capiat incrementa praesertim in Gallus finitimisque regionibus; humiles enixaeque preces SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII porrectae sunt, ut ad maiorem Regni Christi eiusque divini amoris propagationem et gloriam provehendam, scapulare proprie dictum Sacri Cordis Iesu, cum apposito ritu et formula benedictionis atque impositionis approbare dignaretur. Hoc scapulare conficitur ex binis de more partibus laneis albi coloris, per duplicem chordulam seu vittam coniunctis, quarum una habet emblema Sacri Cordis Iesu, prouti pingi solet, altera autem refert imaginem B. Mariae V. sub titulo *Mater Misericordiae.* Sanctitas porro Sua, has preces peramanter excipiens, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, scapulare suprad escriptum benedicendum atque 'imponendum ritu et formula, quae huic praeiacent decreto, ab iis tantum quibus facultas ab Apostolica Sede concessa fuerit, approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 4 Aprilis 1900.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S. R. C. Pro-Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarias.*

DECRETUM de scapulari Sacri Cordis Iesu in agonia facti, et amantissimi Cordis Mariae perdolentis.

RITUS ET FORMULA

BENEDICTIONIS ATQUE IMPOSITIONIS SCAPULARIS SACRORUM CORDIUM IESU ET MARIAE.

Suscepturus Seapulare Sacrorum Cordium Iesu et Mariae qenußectat, et Sacerdos apostolica facultate pollens; stola alba indutus, capite detecto, dicat:

f. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
R). Qui fecit coelum et terram.
f. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
R). Et salutare tuum da nobis.
f. Domine exaudi orationem meam.
R). Et clamor meus ad te veniat.
f. Dominus vobiscum.
R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Glementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium Cor Filii tui Iesu Christi caritate et misericordia plenum et Cor Beatae Mariae Virginis eidem simillimum esse voluisti, hoc seapulare in honorem et memoriam eorumdem Sacrorum Cordium gestandum bene>£(dicere digneris, ut hic famulus indutus meritis et intercessione ipsius Deiparae Virginis secundum Cor Iesu inveniri mereatur. Per eumdem Christum Dominum Nostrum. Amen.

Postea Sacerdos Seapulare asperga aqua benedicta illudque imponit, dicens:

Accipe, Frater, Seapulare Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, ut sub eius protectione et custodia, utriusque Sacratissimi Cordis virtutes recolendo et imitando, resurrectionis gloriae dignus efficiaris. Per eumdem Christum Dominum Nostrum (1). Amen.

(1) Si seapulare mulieri imponatur, dicatur: *haec famula,* etc. *Accipe Soror* etc. Si vero pluribus, tum omnia plurali numero dicantur.

Deinde una vice cum adscripto dicat sive latino sive vernáculo idiomate sequentes preces iaculatorias :

Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis.
Cor Mariae Immaculatam, ora pro nobis.

DECRETUM

Quum postremo hoc tempore per acta Sacrorum Rituum Congregationis, Sanctissimus Dominus ; Noster Leo Papa XIII ad cultum ac pietatem erga Divinum Cor Iesu atque Purissiffium Cor Deiparae Virginis Christifidelium animos magis magisque excitare atque infiammare studuerit, Rmus Dnus Ioannes Ludovicus Robert, Massiliensis Episcopus, tempus opportunum atque utile advenisse censuit ad ipsum Beatissimum Patrem accedendi enixeque rogandi,.tum suo tum Antistitae ac filiorum Cordis Iesu nomine, ut scapulare eiusdem Sacri Cordis Iesu in agonia facti, necnon Amantissimi Cordis Mariae perdolentis, speciali ritu et formula benedicendum atque imponendum approbare dignaretur. Hoc autem scapulare ex privata fidelium devotione iamdiu adhibitum, constat ex duabus de more partibus laneis albi coloris per chordulam seu vittam coniunctis, quarum una praefert emblemata duorum cordium, Iesu nempe iis insignibus ornati, quibus repraesentari solet, et Immaculatae Matris Mariae gladio perforati, subiectis utrique instrumentis Dominicae Passionis; altera vero pars exhibet sanctam crucem ex panno rubri coloris. Sanctitas porro Sua, exquisita Sacrorum Rituum Congregationis sententia, supradescriptum scapulare una cum proprio ritu ac formula benedictionis et impositionis adhibendis ab aliis tantum Sacerdotibus quibus ab Apostolica Sede facultas facta fuerit, approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 4 Aprilis 1900.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S. R. C. Pro-Praef.*

L. © S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

ORDINIS *Minorum s. Francisci.* Dubia proposita a redactor* Kalendarii ordinis eiusdem.

ORDINIS

MINORUM S. FRANCISCI.

Rev. Fr. Marianus Méndez Sacerdos Ordinis Minorum S. Francisci qui Kalendarium seu Directorium pro Divino Officio persolvendo in Provincia S. Gregorii Magni in Hispania munus conficiendi habet, ad pedes S. V. humiliter provolutus quae sequuntur dubia solvenda reverenter exponit:

Pius Papa IX fel. rec, decreto ***Ab expositis,*** die 29 Aprilis 1858 edito, omnibus Religiosis Minoriticae familiae praecepit omnino conformari Kalendario generali perpetuo typis mandato anno 1857, omissis aliis Dioecesis Officiis, praeter illa Patroni principalis loci, Titularis ac Dedicationis Ecclesiae Cathedralis celebranda ritu a rubricis decretisque pro Regularibus praescripto, nec non alia particularia officia a S. Sede .praeceptive concessa ecclesiasticis utriusque Cleri. Item, iuxta auctores de liturgia tractantes et Decretum S. R. Congregationis die 28 Aprilis 1866, ***Patavina,*** 4, Regulares recitare tenentur de omnibus dioecesanis festis, quae annexam habent obligationem audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus.

Porro Fratres Minores Provinciae S. Gregorii Magni in Hispania iamdudum officium recitant Patroni principalis loci, cuius dies non est festivus pro populo, ritu duplici primae classis absque octava; verum, ex sententia eorumdem scriptorum et ex decretis S. R. Congregationis, uti in Calaguritana n. 1095 die 28 Septembris, officium Patroni Dioecesis recitari non licet illis in locis Patronum canonice electum habentibus ; quaeritur :

I. An praedicti Fratres Minores teneantur officium recitare Patroni Dioeceseos, cuius dies est de praecepto festivus in tota Dioecesi, ritu pro Regularibus praescripto duplici primae classis sine octava ; vel id praetermittere debeant eo quod non sit expressum in citato decreto ***Ab expositis,*** et quia, sicut dictum est, iam recitant officium Patroni principalis loci?

Insuper Religiosi suprascriptae Provinciae consuetudinem habent, ab immemorabili tempore, non recitandi officium Titularis Ecclesiae Cathedralis; quaeritur:

II. An eiusmodi consuetudinem continuare valeant: vel potius debeant Officium Titularis Ecclesiae Cathedralis recitare,

ritu pro Regularibus praescripto, nempe duplici primae, classis sine octava?

Item: Rubricae Missalis et auctores de liturgia pertractantes pro hora in qua Missa conventualis celebrari debeat praeflnienda, non aperte exprimunt, an praedicta Missa sequi debeat immediate post Horam canonicam assignatam ab ipsis rubricis, vel si separari liceat enuntiatam Missam ab Hora canonica, ita ut inter Missam et Horam breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit; hinc quaeritur:

III. Utrum Missa conventualis debeat celebrari immediate post canonicam Horam a rubrica et decretis designatam; vel eas separare liceat, ita ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit? Et quatenas affirmative ad primam partem, quaeritur:

IV. Utrum idem sit tenendum de Missa solemni vel cantata quae officio diei non est conformis, cum in rubricis et decretis praescribitur ut post aliquam Horam canonicam celebretur?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad IV. *Negative* et celebretur post Nonam.

Atque ita rescripsit, die 9 Aprilis 1900.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat. S. R. C. Pro-Praef*

L. % S.

DIOMEDES PANICI S. *R. C. Secretarius.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

PßO ANNO SANCTO

DECLARATIO quoad ultimam operam iniunctam.

In *Monitis eœeerptis ex Constit. Benediieti XIV* ad numerum XIV legitur: « Si quis post Confessionem peractam, in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera ad Iubilaeum lucrandum iniuncta expleverit, Confessionem denuo praemittere debebit, priusquam ultimum saltem ex illis iniunctis operibus expleat, ut Indulgentiam Iubilaeo adnexam consequatur ».

Quaeritur : An in hoc casu pro ultimo opere sufficiat Sacra Communio?

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, adprobante ssiîio D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII, respondet: *Affirmative* (1).

Datum Romae in S. Poenit. die 20 Februarii 1900.

DECLARATIO quoad commutationem visitationum ad Basilicas.

In *Monitisj* de quibus supra, num. XIX legitur: « Qui-semel illarum gratiarum particeps factus est prima vice, qua Iubilaeum consecutus est, seu qua omnia praescripta opera implevit, iterum earum particeps fieri non poterit, si post primam Iubilaei acquisitionem iterum in censuras incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel novis votorum dispensationibus indigeat».

Quaeritur : An inter gratias, quarum secunda vice particeps quis fieri non potest pro acquisitione Iubilaei, recenseri debeat etiam commutatio visitationum Basilicarum, ita ut qui prima vice iam fruitus est, secunda vice illius commutationis particeps fieri non possit?

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, approbante SSiîio D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII, respondet: *Affirmative.*

Datum Romae in S. Poenit. die 20 Februarii 1900.

(1) Confer Vol. XXXII, 528.

DECLARATIO quoad iterationem visitationum eadem die.

In praedictis ***Monitis,*** num. XXIV legitur: « Visitatio quatuor Basilicarum in uno die fieri debet, vel nimirum ab una ad alteram mediam noctem, vel a vesperis diei praecedentis usque ad subsequentis vespertina crepuscula ».

Quaeritur pro secura praxi fidelium : utrum ille, qui ex. gr. post horam diei civilis decimam quartam explevit visitationem quatuor Basilicarum, sive tenuerit computationem diei naturalis, sive ecclesiastici, possit denuo ingredi postremam Basilicam et ibi utiliter iterare statim novam visitationem cum animo perficiendi reliquas visitationes die sequenti?

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, approbante SSmo D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII, respondet:

Praecisione facta a definitione temporis, quo vesperae incipiunt, qua de re consulat probatos Auctores; quoad cetera, affirmative.

Datum Romae in S. Poenit. die 20 Februarii 1900.

DECLARATIO quoad iterationem onerum iniunctorum pro lucrando Iubilaeo.

Il sottoscritto Gaetano M. Sergio Barnabita supplica umilmente la S. Penitenzieria per le opportune dichiarazioni intorno ai seguenti quesiti:

I. Se la presente concessione di lucrare il S. Giubileo fino a due volte per chi ripeta le opere ingiunte, possa ritenersi estensibile ad un numero maggiore di volte, o anche ***toties quoties,*** posta la ripetizione delle medesime opere.

II. Se le persone notate nella Bolla, come le claustrali o simili, che non andando a Roma possono nondimeno in questo anno guadagnare l'Indulgenza del Giubileo, potranno fruirne anche nell'anno venturo quando sia esteso fuori di Roma.

III. Si domanda il medesimo per chi, recatosi a Roma quest'anno vi guadagni il Giubileo, se cioè potrà fruirne di nuovo quando sia estesa la grazia fuori di Roma, ripetendo le opere ingiunte.

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, respondet:

Ad I. Extra Urbem illi, quibus ex Bulla Aeterni Pastoris *licet consequi Iubilaeum, bis tantum illud, iteratis operibus iniunctioniSj intra Anni Saneti decursum, consequi possunt. In Urbe vero, toties quoties.*

Ad II. et III. Affirmative.

Datum Romae in S. Poenit. die 17 Martii 1900.

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM: An sanari possit in radice unio concubinaria, deinde civilis, in quo sponsus ante actum civilem, impotens effectus fuerit.

Beatissime Pater,

Berta catholica Archidioeceseos M. soluta, cum Titio acatholico pariter soluto, ex quinque circiter annis in concubinatu fide praestita et cum affectu maritali vivens, novissime, nempe die mensis septembris anni 1898, cum eo matrimonium, quod vocant civile, coram magistratu civili iniit. Ex ista coniunctione duae proles exortae sunt, quarum altera die 29 m. septembris 1894 nata, catholice et baptizata est et educata, altera, die 29 m. martii 1896 nata, paucis septimanis post nativitatem decessit.

Parocho dictae Bertae vehementer allaborante ut ad validum et licitum matrimonium adducatur, tandem res in eo est ut dispensationi super religionis mixtae impedimentum, praemissis debitis cautionibus, iam locus per se esse posset, nisi impedimentum perpetuae impotentiae intercessisset, ex eo proveniens, quod dictus Titius mense iunio 1896 (i. e. duobus annis ante celebrationem matrimonii civilis) operatione chirurgica utroque teste privatus existit. Restare solum videtur, ut ad dispensationem in radice coniunctionis petendam confugiatur. Revera intentio, seu consensus matrimonialis non defuit, nec saltem post contractum civile matrimonium extrinseca species matrimonii deest, adeo ut dictae partes pro coniugibus commu-

niter habeantur. Cum per sanationem saluti animae resipiscentis et legitimitati prolis superstitis provideatur, denegata vero sanatione separatio minime fieri posset et gravissima scandala pertimescenda forent, ideo preces mulieris catholicae pro obtinenda gratia enixe commendamus.

*Feria V loco IV**., 8 Martii 1900.*

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum generalibus Inquisitoribus habita, propositis supradictis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, omnibus rite diligenterque perpensis, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt :

In casu exposito sanationem in radice concedi non posse; et ad mentem. Mens est quod cum matrimonium revalidan nequeat, putati coniuges illico separari deberent. Si vero hoc moraliter impossibile sit, saltem adhibitis cautelis sub eodem tecto cohabitent uti frater et soror. Quod vero ad canonicam prolis legitimationem, eam per rescriptum Principis rite expediendum concedi posse.

Sequenti vero feria VI, die 9 eiusdem mensis et anni, per facultates Emo ac Rmo Dno Cardinali S. Officii Secretario concessas, SSmus D. N. Leo Div. prov. Pp. XIII, resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. Inquisii. Notarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NEAPOLITANA

MATRIMONII

Die 29 Aprilis 1899.

Sess. 24 c. 1. De ref. mat.

COMPENDIUM FACTI. Mense septembris die 19 an. 1897, Neapoli Ianuarius et Amalia eiusdem civitatis, praemissis civilibus solemnitatibus, coram proprio parocho rite matrimonium inierunt, in aetate 31 annorum ille, haec 21 annorum circiter constituti.

Solemniis nuptiis celebratis sponsi, nuptiali itineri sese commiserunt et Romam primum, mox vero Florentiam petierunt; at hoc coniugium, quod fausto omine videbatur initum, statim haud felicem exitum habuit. Etenim sponsi a prima nuptiarum nocte communione thalami usi sunt, ac pluries matrimonium consummare tentarunt; sed, prout actrix asserit, toto cohabitationis tempore, irrito conatu vas eius penetrare frustra vir conatus sit. Quod et vir affirmat; at is ex frigiditate quadam ac formidine erga mulierem accidisse asserit, dum uxor absolutae impotentiae viri hoc adscribit.

Brevi post sponsi, expleto nuptiali itinere, Neapolim redeunt et una cum matre Amaliae in villa familiae rusticandi gratia, profecti sunf. Tunc Ianuarius peritos in arte medica consuluit, salutaris artis curam adhibuit, atque balneis et ***electrotherapia*** ad se excitandum usus est; sed licet repetitis vicibus sponsi coniugalem copulam tentaverint, tamen dicunt fuisse inanes conatus. Hac de re familia sponsae, quae impatienter exitum matrimonii expectabat, haec facta aegro animo apprehendit; quapropter post fere quadraginta dies mutuae cohabitationis Amaliae parentes, familia sponsi non renuente, filiam secum deduxerunt eamque interim in collegio quodam apud moniales collocarunt.

Interea vir incoepta salutaris artis remedia persecutus est, novos celebrioresque medicos, instante Amaliae patre, consuluit; sed omnis spes reconciliationis inter coniuges evanuit, quando iudicio doctoris Cardarelli familia sponsi edocta fuit, virum tali impotentia laborare, ut nulla spes adesset matrimonii consummandi. Idcirco paulo post, viro consentiente, mulier ad Supremum Principem se confugit, petens solutionem matrimonii, quod ratum tantum fuit, quia, ut ipsa ait in supplici libello « sventuratamente non è ben riuscito, mentre suo marito non ha potuto consumarlo ».

Hoc accepto libello, Curiae Neapolitanae rescribendum censuit « pro voto et informatione », et iudex Neapolitanus postquam depositionem viri excepit, S. C. litteras misit, quibus aliquod dubium de viri potentia patefaciebat.

Hisce habitis, Ordinario Neapolitano rescriptum fuit, ut processum conficeret, tam super nullitate, quam super asserta inconsummatione et causis ad dispensandum. Reque vera Curia Neapolitana per iudicem delegatum, sueta solertia ac peritia, processum instituit; excussit primum sub iuramento coniuges plerosque testes sive septimae manus, sive ex officio accitos, nec non Amaliam physico virginitatis experimento submisit per iudicium quatuor obstetricum ac duorum medicorum. Percontati etiam fuerunt medici, numero septem, qui virum inspexerunt et curandum habuerunt, atque circa eius viripotentiam accurate proprium iudicium panderunt. Verum illud singulare est in hoc processu, quod unus est perillustris doctor Cardarelli, qui physicam absolutam impotentiam viri affirmat; dum ceteri medici, in Neapolitana clinica antecessores, potius matrimonii non consummationem psychicae viri impotentiae tribuunt.

Mulier vero, dum in supplici libello dispensationem matrimonii petierat, nunc vero per suum patronum asserit praeter inconsummationem, nullitatem matrimonii ob viri impotentiam absolutam, vel sin minus relativam. Reus conventus et ipse non consummationem matrimonii vindicat, sed per suum advocatum a probrosa physica impotentia se

defendit: uterque vero coniux ad propriam sententiam roborandam votum medicorum porrexit.

Disceptatio synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Qui actricis iura tuetur totis viribus probare contendit matrimonium in casu non solum non fuisse consummatum, sed nullum esse ob viri impotentiam absolutam, vel sin minus relativam. Et in primis quoad hanc rem iuridica principia recolens notat, translatitii iuris esse matrimonium initum, sed tamen non consummatum ex capite physicae impotentiae tum absolutae, tum relativae ipso iure irritum esse.

Etenim, ait orator, illud certum exploratumque in iure est, ex naturae officio eo maximopere matrimonium spectare ut ex coniunctione maris et foeminae liberi procreentur. Unde praeclarum quod Catechismus Romanus declarat: « Matrimonium ab eo dicitur quod femina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat : vel quia prolem concipere , parere , educare, matris munus est. Coniugium quoque a coniungendo appellatur, quod legitima mulier cum viro quasi uno iugo adstringatur. Atque etiam : « Matrimonium est viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae consetudinem continens ».

Ex hoc orator deducit, partem matrimonii potissimam eam esse, ut quis aptus idoneusque sit copulae, sine qua finis essentialis matrimonii consistere non potest. Idcirco iure a matrimonio contrahendo removentur omnes ii, qui vel ob defectum aetatis, vel ob physicum defectum minus apti sunt ad coeundum. Hac de re, ait Devoti ***(lib.** II, **Sent.** IX, **§ 129) :*** « Omnes generatim nuptias propter corporis impedimentum inire prohibentur, quibus vel aetate tenera, vel imbecille natura, vitiumque corporis cum coniuge liberis operam dare non sinit... Vitium corporis procul a matrimonio esse iubet adultos, qui vel natura vel morbo ita sunt comparati, ut suum cum femina corpus nequeant commiscere : prae-

terea mulieres quae ita habent obstructam viam ut viriles conatus excludant. Quisquis tali hoc laborat vitio modo perpetuum sit et contractum ante matrimonium, frustra inire conatur nuptias, quae iure ipso naturae irritae sunt ».

Enucleatis insuper diversis speciebus impotentiae , parum refert, ait, utrum impotentia sit naturalis vel proveniens ex maleficio, vel utrum sit absoluta, vel tantummodo relativa, quia semper matrimonium dirimit, semper enim adversatur fini primario coniugii. Nam ex tradito a ***Decr, Greg. IX lib. IV, cap. VI, tit. XV,*** impotentia sive naturalis sive extrinseca, sive sit absoluta, sive relativa, modo sit perpetua et antecedens, semper dirimit matrimonium.

Ulterius recolit impotentiam antecedentem atque perpetuam matrimonium dirimere iure ipso naturali, sive sit absoluta, sive relativa; sed impotentia absoluta dirimit matrimonium cum omnibus personis ; relativa cum coniuge et similibus tantum. Ita expresse in ***cap. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7,, Tit. Vii*** « Sane, ait Oasparri ***(Tract, de matr. Vol. I, n. 526.)*** in casu impossibile est ius coeundi, quod est obiectum formale et essentiale contractus matrimonialis: atqui contractus sine obiecto formali, essentiali, ne intelligi quidem potest iure naturae. Ad rem D. Thomas (4 dist. 54 qu. un. a. 1) in matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum : unde sicut aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere, ita non est conveniens matrimonii contractus si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non possit ».

Exinde praefatus auctor deducit matrimonium ex capite impotentiae, dummodo antecedens probetur, nullum esse in sequentibus casibus : « Si quis membro virili penetrare potest vaginam mulieris, sed verum semen non emittit.... Si vir membrum virile adeo flaccidum habet, ut capax erectionis saltem sufficientis non sit. Rebus sic stantibus, immissio membri in vaginam est impossibilis et semen deest omnino, vel sine ulla vi emittitur ita ut penetratio spermatis,,

de qua in praecedentibus (casibus a scriptore enumeratis) sit adhuc improbabilior. Proinde si hoc vitium nuptias antecedit et est perpetuum, matrimonium irritat. Si est ingenitum, plerumque est perpetuum seu incurabile ac antecedens. Signa quae a medicis adducuntur sunt: omnimoda carentia vel paucitas pilorum, praesertim in inguinibus ac -etiam in barba, penis flacciditas et inexcitabilis mollities , penis tantisper erecti minima temporis permanentia in erectione, penis exiguus, aversio quaedam naturalis a re venerea, absentia caloris a pudendis et a semine emisso ». (F. ***JZacchia, Quaestiones medico-Legales, Tomo II, lib. IX, Tit. III, Quaest. 2, n. 1).***

Hisce in iure positis, patronus ad facta descendens, totis viribus probare contendit, matrimonium in casu fuisse ratum tantum et non consummatum propter physicam atque absolutam impotentiam viri ad coeundum, aut sin minus relativam: ergo nullum irritumque esse.

Sed in primis nonnulla praemittit de ipsis coniugum personis, ut facile intelligi possit, ut ipse ait, quanta sit virtus unicuique tribuenda, quanta fides eorum dictis praestanda. Quoad suam clientem Amaliam advertit orator, eam virtute ac religione praestantem praeclarissimi testes renuntiant.

Sed non idem, iuxta patronum, dici potest de Ianuario; nam, dum ille in prima depositione, quam ante instructionem processus coram ecclesiastico iudice fecit, iuratus affirmavit quod Amalia : « era la prima donna che io avvicinava in vita mia » ; versa vice coram eodem iudice in altera depositione, item iuratus, affirmare non dubitavit, se ante matrimonium viduam mulierem cognovisse.

Neque bona fide Ianuarium in hoc negotio egisse affirmat advocatus; quandoquidem vir de sua impotentia iam prius conscientiam habuit ; hoc revera iuxta oratorem , testantur medelarum usus ad venerem excitandam, quas ipse adhibere incoeperat prius quam inirentur nuptiae atque in ipso nuptiae itinere iisdem uti numquam cessavit.

Hoc posito, ad suam thesim probandam accedit, et quod matrimonium consummatum non fuerit, primum probat ex. iurata coniugum depositione. « Non mai il matrimonio fu consumato » iuramento praestito, testatur Amalia. Et vir item iuratus affirmat: « Sono sicuro di non aver rotto il velo verginale,... La non consummazione del matrimonio- porto uno sgomento nelle due famiglie ».

Viro autem matrimonii non consummationem affirmanti credendum esse, dicit orator, quia secus contra se ipsum ille testatus esset; etenim, cum Ianuarii maxime interesset probrosam impotentiae maculam ab se propulsare, omnem dubitationem uno verbo ipse dissipasset, si potuisset affirmare matrimonium se consummavisse.

Has insuper coniugum affirmationes adamussim confirmant periti, qui ex Tribunalis mandato et iuxta S. C. praescripta corporalem mulieris inspectionem peregerunt.

Huc perducta oratione, patronus sibi quaerit qua de causa matrimonium non fuisse consummatum, ac nullum esse dubium ait, hoc accidisse ob viri impotentiam absolutam, antecedentem atque perpetuam, vel sin minus relativam.

Hoc revera in primis probat ex testimonio doct. Cardarelli, cui maxime confidit orator.

Hoc iudicium doct. Cardarelli orator confirmat ex factis, quae matrimonium praecesserunt ac subsequuta sunt. Nam, ait, iam multo ante quam matrimonium initum est, quantum a copula Ianuarius abhorreret, illud certum documentum habetur, quod quum acrius ferverei iuventa « non mostrava nessuno di quegli istinti giovanili comuni a tutti » ideoque « la madre di lui non voleva farlo accasare ».

Imo, urget advocatus, matrimonio inito, ipse Ianuarius- suam physicam impotentiam fassus est.

Nec satis : maiora sunt praesto advocato. Etenim Ianuarius apud Tribunal Neapolitanae Ecclesiasticae Curiae testatus est, se medicamina adhibuisse ad libidinem excitandam,, sed frustra.

Haec omnia rerum adiuncta omnino congruunt cum iis, quae testata est Amalia.

Non diffitetur patrocinator, quod ceteri medici, qui viri corpus inspexerant, coram iudice affirmarunt impotentiam eiusdem, potiusquam ***physicam psychicam*** esse ; at, iuxta oratorem, horum medicorum iudicium veritati minus consentaneum est. Etenim, ait, falluntur et vehementer errant qui dicunt virilia Ianuarii perfecta esse, idque rationem probabilem fore cur aliquando generationi idoneus fìat, veluti medici quidam, ipsi nimis aperte indulgentes , probare conantur. Verum argumenta illorum funditus eiicit orator ex uno doct. Cardarelli testimonio.

Imo, pergit Amaliae defensor, ipsi medici, quos Ianuarius induxit, dicunt aliquid eius virilibus contineri, quod a naturae legibus abhorret. Nempe affirmant Ianuarii hastam exiguam esse pro reliqua virilium organorum parte. Quae morbi indicia si ceteris illis adiungas, quae Doct. Cardarelli descripsit, praecipue « alla flaccidità dei corpi cavernosi della verga e alla mancanza di pulsazione di arteria » impotentiam absolutam demonstrant.

Insuper confirmant Doctoris Cardarelli iudicium irriti conatus, ad copulam ineundam. Iam vero quadraginta circiter dies coniuges simul commorati sunt, quod spatium, iuxta oratorem , satis temporis est, quo idoneitatem suam rite Ianuarius explicare valuisset.

Idipsum comprobant medicamina incassum a Ianuario adhibita, quae nullam vim habuerunt, ut inertem virgam iacentemque diu, ad sua munera excitarent.

Quinam vero fuerunt adhibitae curae eventus ? Patronus respondet afferens verba ipsius Ianuarii, qui testatur : « Tentando in quel tempo di copularmi a mia moglie nessuna volta riuscii ad intromettere profondamente la mia asta nei suoi organi sessuali ». Quae omnia, iuxta oratorem, aperte declarant quantum cum ventate discrepent testimonia Doct. Hannibalis de Iacomo affirmantis : « tali cure produssero a « Gennaro un benefico effetto ». Dum versa vice Doct. Ra-

phael Iennaco ait : « conchiudo che per effetto della cura, anche con le eccitazioni, poco abbia guadagnato ». Et Doct. Cardarelli affirmat : « Io non ho prescritto alcuna cura perchè l'ho creduta perfettamente inutile ».

Ulterius, si matrimonium consummatum non fuerit unice ob psychicam viri impotentiam, hoc accidisse dicendum est, quia Ianuarius suo muneri satisfacere non potuit propter perturbatum commotumque animum atque ab Amalia maxime alienatum. At hoc actum non esse affirmat orator; etenim nulla umquam accesserat probabilis causa, cur ab Amalia Ianuarii animus disiungeretur. Semper inter eos mutua animorum consensio fuit.

Quare, deducit advocatus, non ex animorum alienatione, sed ex ingenito naturae vitio, quo hasta virilis perpetuo impeditur quominus officio fungatur suo, matrimonium consummatum non fuit.

Tandem orator demonstrare conatur Ianuarium non modo ad venerem exercendam cum Amalia ineptum fuisse, sed etiam cum aliis feminis quibuscumque. Revera, ait, certum est ipsum, postquam ab Amalia seiunctus fuerat, ex medicorum consiliis res venéreas cum probrosis mulieribus fuisse conatum ; at doct. Iennaco qui huic exprobando experimento interfuit, testatur perperam actum fuisse.

Quod si vir iactet se in hoc meritricio agone palmam tulisse, nullam fidem ei adhibendam esse dicit patronus, ob maximam incohaerentiam rerum qua Ianuarius apud Sacrum Tribunal facta descripsit. Quum enim antea iurisiurandi formula obligatus illud asseruisset: « (Amalia) era la prima donna che io avvicinavo in mia vita », dein vero, altero iuramento nulla religione edito, affirmare non dubitavit: « Nella mia prima deposizione tacqui per pudore l'esperimento da me fatto con una vedova prima del matrimonio ».

Ad rem affert litteras excmi Carbonelli, tunc temporis Neapolitanae dioecesis. Vicarii Capitularis, qui ante instructionem processus a S. C. C. pro voto et informatione requisitus, haec scripsit: « Il giovane Gennaro ha confessato

di non aver migliorato finora dallo stato in cui si trovava; e da qualche informazione secreta si è saputa che non è riuscito neppure in qualche accoppiamento con persona già deflorata e fattala venire per eccitare la sua sensualità ».

Unde deducit non psychica, sed physica impotentia Ianuarium laborare, eoque magis quum pericula ab eo inita cum aliis mulieribus iuxta Card. De Luca sententiam etiam corruptis magisque facilibus, ut sunt meretrices ***Disc. IX de Matrimonio,*** nullum felicem veneris exitum pepererunt.

Quod si fieret hypotesis, quam uti non veram reiicit orator, quod nempe physica impotentia, qua laborat Ianuarius. . . . ., sit tantum relativa, iuxta ea quae supra memorata sunt, concludit defensor, ex iuris doctrina matrimonium ipsum nullum irritumque haberetur.

DEFENSIO VIRI. Advocatus, qui viri patrocinium assumpsit, declarat primum se nequaquam obstare quominus concedatur dispensatio super matrimonio rato et non consummato. Matrimonium enim, iuxta oratorem, consummatum non fuisse in propatulo est. Quo posito , orationem suam in tria capita dispertitur : ostendens in primo, matrimonium irritum ex capite impotentiae declarari non posse, nisi virum esse perpetuo et insanabiliter impotentem adeo constet, ut ne minimum quidem dubium in contrarium concipi queat. Quod dicit declaratum in cap. ***Fraternitas 6 de frig. et male f. :*** et omnium auctorum sententia confirmatum. Et merito ; nam possidet matrimonium, et in dubio pro eius valore standum est. Et quamvis ad contrarium comprobandum auctoritas Coscii ***de sep. tor. lib. 3, cap. 2, n. 386,*** aliquando afferatur : patet tamen, advertit orator , huius auctoris verba ita esse accipienda , ut posita impotentiae existentia, eam coniugio praecessisse arguatur: non autem ut stetur pro impotentia, si haec dubia maneat. Quod comprobat disciplina S. C. C. quae constans numquam, si quid dubii supersit, matrimonium renunciat irritum , sed tantummodo dissolvendum censet ut ratum et non consummatum. Et denique experientia confirmat : si quando enim im-

potentia, licet plene non probata, renunciata est, gravissima ex hac imprudentia incommoda Auxerunt. Nam evenit, ut vir impotens iudicatus, rem habens cum alia femina, generaret: et uxor, quae, obtenta libertate, alii viro se iunxerat, ad priora, relicta prole, connubia redire cogeretur. Quod recens in causa ***Varsavien, diei 22 feb. 1890 et IO sept. 1898,*** et praecipue in ***Csanadien. diei 23 feb. 1895*** evenisse non latet. In quibus vel temporalis , vel aeterna coniugibus ruina imminebat, nisi Pontifex , matrimonium dispensando, tot malis ob venisset.

Haud negat advocatus aliquando, si impotentia sit dubia, licet nequeat connubium irritum declarari, illud coniugi interdici, ut alias nuptias contrahat, inconsulta S. Congregatione. Id tamen, iuxta advocatum, Congregatio non statuit, nisi duae concurrant conditiones nempe : I° ut adsit haud quodcumque dubium de impotentia, sed ita grave, ut quamdam persuasionis speciem induere videatur. Nam si dubium non sit adeo grave, non est libertas coarctanda : ne vir forte, quum nuptias nequeat contrahere, illicitis amoribus se dedat.- 2° Ut spes adsit, fore ut legitimis probationibus, genitalium inspectione, hoc dubium diluatur. Nam, si omnes sint adhibitae probationes et dubium persistat, aliarum nuptiarum facultas in dubio deneganda non est.

Quod prima conditio requiratur, ostendit advocatus disciplina S. C. C. quae saepe licet dubia esset impotentia, novas nuptias non vetuit : quia hoc dubium non adeo grave videbatur. Plures affert causas a S. C. C. iudicatas : inter quas recolit ***Bononien. diei 8 maii 1896,*** in qua vir per quindecim annos matrimonium frustra consummare contenderat, et a tribus, qui illum inspexerant, medicis, coeundo impar renunciabatur. ***Annecien. diei 14 dec. 1895,*** in qua coniuges septem annos convixerant et vir se coeundo parem non esse, apertissime confìtebatur. ***Parisien, diei 21 augasti 1897 :*** iu qua clarius idem vir suam impotentiam agnoscebat : « j'affirme que le mariage n'a pas été consommé. Cette responsabilité retombe sur moi : mais elle est atténuée

par mon état morbide caractérisé par des signes extérieurs que j'ai indiqués au médecin », morbus nervicus et hernia umbilicaris. ***Mechlinien., diei 28 martii 1896 :*** in qua tanta aderant impotentiae indicia, ut theologus, novas nuptias inhibendas esse, non obscure autumaret. ***Parisien, diei 18 martii 1899 :*** in qua Archiepiscopalis Curia virum esse impotentem arbitrabatur, « Virum credimus impotentem ». ***Baionen., diei 11 sept. 1897. Rhemen., diei 29 febr. 1896. Vallis Vidonis diei 2 maii 1896. Parisien., diei 28 martii 1896 etc.***

Quod requiratur secunda conditio orator probat ex auctoritate Emi D'Annibale, qui in summ, theol. mor. ***vol. 3, n. 317,*** haec habet: « Si impotentia dubia sit, et dubium facti vertat____quaestio haec in his tantum impedimentis refert, quae divini iuris sunt.... idest in impedimento ligaminis, cognationis et impotentiae... In tertio, scilicet in dubio de impotentia, matrimonium inire divortiis obnoxium et matrimonio aliquem prohibere, utrumque publice perniciosum est ; sed hoc posterius longe perniciosius, tum per se, tum quia divortiorum pericula tenuantur ubi proles exulat : ideo sequor sententiam matrimonium contrahi posse ».

Hisce in iure positis, pergit advocatus in altero orationis capite ad quaestionem facti, et tenet in praesenti casu nec impotentiam probari, nec illius non modo grave, sed ne minimum dubium adesse. Allegat sententiam sex medicorum, qui ab Inquisitore interrogati sunt : et de statu genitalium, quae inspexerant, iudicium fecerunt. Qui omnes medici nempe Gubitosi, Di Giacomo, Iennaco, Gallozzi, Piccinino, Bianchi, uno ore retulerunt, Ianuarium eum esse, ut nulla impotentiae suspicio subesse queat. Exhibet insuper votum trium archiatrum, Topai nempe, Postempscki et Bertini, qui nuper in Urbe Ianuarii genitalia explorarunt ac idem prorsus senserunt. Ex quo patet non modo nullum matrimonium declarari non posse : sed ne alias quidem nuptias, hisce diremptis, Ianuarii vetari. Nam impotentiae, ex medicorum sententia, nullum est dubium : et medicis in re medica ere-

dendum est. Quod, pergit defensor, si fieret absurda hypothesis haud certam, sed dubiam potentiam medicos habuisse: nihilominus facultas Ianuario alius contrahendi coniugii denegari non posset. Enimvero post tot inspectiones nulla alia ad dubium diluendum aperitur via : quo casu, ex sententia Emi D'Hannibale, superius recitata, matrimonium inhibendum non est.

Obiectiones advocatus praevidet et refellere conatur. Et primum loquitur de menstrua condonatione, ex qua, cum Ianuarius non coiverit, impotentiam pater Amaliae eruere praesumit. Et asserit quod Ianuarius non coiverit, id sane non impotentiae tribuendum esse ; sed illi temporariae frigiditate quam psychicam impotentiam appellant : quippe ex morali causa aut ex quadam phantasiae excitatione ortum ducat. - De hac psychica frigiditate omnes disserunt auctores : et tradunt iam extemptio evanescere, cessante causa morali, quae illam generat, aut sedata phantasiae superexcitatione.

Quod autem hae morales causae exstiterint, tam aperte, iuxta patronum, ex processus tabulis erumpit, ut de illis fuse disputare supervacaneum videatur. Constat equidem fere veneris ignarum ad thalamum Ianuarium ivisse. Constat filii ingenuam timiditatem patris opera adauctam fuisse : quippe qui, dum remedia suppeditabat ad venerem excitandam, Ianuarium de sua potentia dubitantem hoc ipso efficiebat. Insuper haud latet oratorem, non amore impulsam, sed conditionis commoditatem Amaliam oblatum virum aequo animo accepisse. Qua de re, ait, cessantibus amoris stimulis, eo fortius stimulis verecundiae puella a coeundo detinebatur. In memoriam orator revocat schedulae lacerationem, in qua dos promittebatur ; ex quo factum esse dicit, si quadam die, dum coniuges Romae commorabantur, matrimonium consummatum non fuerit. Recolit insuper factum illud quod nempe tum uxor, tum parentes, tum socer Ianuarium divexabant; instabant enim importunis sollicitationibus, ut uxori coiret; ni coivisset, divortium invitabantur. Ex quo fiebat, ut eo

magis difficultas, augescente nervositate, succresceret ; quo magis inconsulto Ianuarius ad coeundum impelleretur. Accedit quod, fere per mensem ita socrus cum coniugibus convixit, ut illis die noctuque adesset, invigilans, an matrimonium consummaretur. Unde, deducit, nil mirum si in talibus adiunctis, vir suae uxori coire non potuisset.

Hac de re, prosequitur patronus, iure ac merito omnes medici, qui physice potentem Ianuarium renunciarunt, hanc fuisse inconsummationis causam aperte testantur.

Quibus concinunt medici Gubitosi, Gallozzi et Iennaco; et praesertim tres archiatri qui Romae Ianuarii genitalia explorarunt. Etenim Urbis medici suam relationem hisce verbis concludunt : « Che il fatto di non consumazione del matrimonio colla Sig. Amalia si spiega considerando le condizioni subbiettive e le estrinseche, nelle quali ebbe a trovarsi Gennaro, e che produssero impotenza psichica, occasionale, relativa, transitoria ».

Quorum sententiae eo magis advocatus putat accedendum esse : quia saepius huiusmodi casus hoc in foro occurrerunt. Et memorat quamplures causas ; in quibus non modo unum per mensem, sed plures annos vir uxori convixit : nec tamen morales ob causas, quamvis potens esset, matrimonium consummare non valuit. Quod dicit iudicatum in causa ***Patavina die 14 maii 1898,*** in qua coniugalis conversatio septem annos duravit. Et in ***Lucana*** in quo vir per duos annos matrimonium consummare connisus fuerat ; sed frustra « cuius phoenomeni explicatio hauriebatur ex modestia sponsae, ultra modum rigida, ex viri timiditate, ex turbatione animi, quam ipsa difficultas exitus ingerebat ». In quibus S. C. matrimonium censuit dispensandum : sed viro nullo pacto vetuit, ut alias nuptias celebraret.

Mox pergit advocatus ad aliam obiectionem depromptam ex iudicio unius medici, qui Ianuarium impotentem praedicavit, medici nempe Antonii Cardarelli. Et contendit hoc iudicium corruere, si expendatur, quo fundamento nitatur. Et revera tria affert argumenta Cardarellius ad impotentiam

demonstrandam, quamvis concedat de hac impotentia ex forma et structura geni talium nullum vestigium apparere. Primum locat in quodam interrogatorio, quod dicit se Ianuario proposuisse. At notat defensor si medico in re medica credendum, haud idem dicendum, quum non medici sed iudicis partis sibi asserere praesumit. Locat alterum in menstrua condormitione : sed orator iam demonstravit, quo pacto inconsummatio explicari queat. Ponit tertium in defectu pulsationis, illius arteriae quam dorsalem appellant. Hanc tamen romani archiatri pulsationem in venerunt : et adnotarunt, quamvis forte deesse, nullum prorsus ex huiusmodi defectu impotentiae iudicium erui posse. Qua de re Cardarelli iudicium, iudicium novem illustrium medicorum, qui contrarium affirmant, nullo pacto destruere. Et putat cum romanis archiatris illud esse concludendum, quod sentit hac de re Cardarellius, extra fidem esse.

Hoc caput absolvit orator observans Ianuarium, meretriciis, post separationem ab uxore, induisisse amplexibus et perfecte coire potuisse. Id affirmat Ianuarius, cuius dictis fides est habenda : quippe qui religiosus et fide dignus a spectatissimis sacerdotibus existimetur. Qua de re si quod dubium superesset, evanescere arbitratur orator : frustra enim quaeritur, an id fieri possit, quod revera factum est.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS SACRI VINCULI. EX adverso sacri vinculi defensor in primis probare contendit violentissimam in casu adesse praesumptionem, quod matrimonium consummatum fuerit. Etenim, ait, ex factis constat, ita coniuges animo ad invicem fuisse comparatos ut omnibus nervis, quoad usque una simul habitarunt, maritali genio indulserint.

Insuper defensor recolit extraordinaria subsidia, quibus vir se munivit ut coitus perficeret : quod ingenue Ianuarius fatetur.

Hisce positis, orator dilemma conficit: coniuges, Ianuarius et Amalia aut matrimonium per quadraginta duos illos cohabitationis dies certo certius consummarunt, aut clarius enitet omnimoda utriusque, sin minus alterutrius coniugum

impotentia. Iam vero viripotentia ex parte Amaliae extra omnem prorsus dubitationis aleam posita est.

Quoad Ianuarium vinculi defensor non diffitetur, medicum Cardarelli illum omnino ineptum ad coniugale opus proclamasse ; at, advertit a studio partium immune minime in iure censetur testimonium periti Cardarelli, quia patrem Amaliae ipse arcta amicitia complectitur. Praeterea testimonium illud pugnat cum testimonio aliorum, qui Ianuarii corpus explorarunt, medentium.

Haud oratorem latent medici, qui physicam Ianuario non audentes appingere, eum psychica impotentia affectum, seu consternatione et examinatione perculsum fuisse arbitrantur. At quaerit defensor, quis metus ei iniecit ? Non certo Amalia, coniux amantissima, quae sub sacramenti religione affirmat sese viro auxilium praebuisse, ut explere valeret copulam.

Sed, quidquid sit de viri potentia, vel impotentia, ad virginitatis experimentum deinde de veniens defensor, refert praesenti in causa normas a S. C. C. praescriptas ad virginitatem agnoscendam pessundatas fuisse.

Porro in Instructione die 22 augusti 1840 edita § ***Procedendum etiam.*** Amplissimus Vester Senatus mandat ut exploranda mulier traducatur ad domum honestae matronae a iudice eligendae. At Amaliae sua ipsa in domo corpus recognitum est. Eodem modo cavetur : « Immergenda (exploranda mulier) erit in balneo aquae tepentis a peritis prius recognoscendae, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit ». Sed Amalia « è rimasta nel bagno circa 15 minuti ».

Item in citata Instructione mandatum est : « Ad corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit ». Videlicet altera obstetrix cubiculum in quo manet exploranda mulier, non ingrediatur antequam obstetrix altera, exploratione expleta, ex eodem cubiculo exierit. Sed neque prüden tissimo huic praecepto satisfactum est nostra in causa. Illi actorum moderatores contenti fuerunt iubere, ne obstetrices sententiam quaeque suam ad invicem aperirent. - Rur-

sum : ex praescripto saepedictae Instructionis obstetrices debebant primum scriptam edere peractae explorationis relationem : deinde orale coram iudice subire examen, seu respondere ad quaestiones, quas sacramenti vindex, perlectis memoratis relationibus per ¡obstetrices Uteris consignatis, proponet ut quaequae obstetrix plenius sententiam suam definiat. Ast neapolitani actorum moderatores relationem scriptam obstetricibus in mandatis minime dederunt. Hinc incompletae necessario sunt quaestiones a tutore sacramenti obstetricibus propositae ; quia, dum quaestiones concinnavit, ignorabat circumstantias, quas obstetrices planius explicare debebant. Hinc testimonium obstetricum nedum incompletum et ipsum mansit, verum etiam minus genuinum.

Deinde perpendens depositiones obstetricum, observat, eas violati claustri virginalis argumenta in Amalia deprehendisse.

Hac de re peritus Antonius D'Amato Amaliae suffragari pertentans, deperditae virginitatis argumenta tum ab Adele Aulicino, tum a Iesumina Lombardi, tum ab Iulia Antonelli commemorata in leves auras se amandare autumat.

Sed haud miratur orator, si praefatus medicus D'Amato in hanc descendent sententiam. Ipse enim ignorabat Ianuarii veretrum magnitudine haud ordinaria pollere, sed esse ita subtile ut muliebria penetrare queat, quin ea disrumpat aut dilatet.

Hisce positis vinculi defensor non praetermittit notare, quantum sit discorde iudicium medicorum, qui Ianuarii corpus, recognoverunt, ita ut nihil ex eo concludi possit.

Revera Archiatri, quorum votum exquirit Amalia, Ianuarium physica impotentia affectum uno ore proclamant.

Idipsum affirmat excellentissimus doctor Lapponi, a quo pater Amaliae votum medicum exquisivit.

E contra Ianuarius, cui percommoda est psychica impotentia, quippe quae necessaria est ad matrimonii suadendam inconsummationem ; quam maxime vero incommoda est impotentia physica, quia per hanc arcetur a novis nuptiis, in

consilium adhibet archiatrorum phalangem ; et hi, Ianuarii perlustrato corpore, omnes, nemine excepto, Ianuarium purgant a ***physica*** et ei ***psychicam*** impotentiam ascribunt.

Hisce non contentus, Ianuarius Romam venit, adiit consilii causa peritos Franciscum Topai, Paulum Postempski et Leopoldum Bertini, qui eius corpus perlustrant et uno ore testantur : haud sequendam esse medici Cardarelli sententiam , sed admittendum esse in casu agi de impotentia psychica.

Quocirca matrimonii defensor, dum videt praeclarissimos istos viros alia sentire ac velle omnia, quam velint non minus praeclari archiatri Ioseph Lapponi et Antonius Cardarelli, et tum illos cum istos iudicare pro vel contra Ianuarium, prout adhibiti sunt ab ipso Ianuario vel a parte eidem adversa, concludit medicam scientiam carere praesidiis, quibus praesens controversia dirimi absque gravissima errandi formidine queat. Neque orator dubitat quin praesto sint sexcenti medicae artis proceres, qui, si a matrimonii vindice, prouti de iure inducantur, vel si ita placeat Ianuario, inter aegrae somnia mentis aman daturi forent decantatam physicam psychicamque impotentiam.

Hisce praemonitis, submissa fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An constet de nullitate matrimonii in casu.***

Et quatenus ***Negative:***

II. ***An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.***

RESOLUTIO. Sacra S. C. re disceptata sub die 29 Aprilis 1899, censuit respondere : ***Ad I providebitur in II. Ad II Affirmative.***

FOROLIVIBN. ET CAESENATEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 29 Aprilis 1899.

Sess. 21 cap. 3. DeTref.

COMPENDIUM FACTI. Nobilis vir Ioseph, militiae maritimae addictus, aetate annorum circiter 26, ***die 26 Novembris 1892*** in parochiali ecclesia S. Blasii, ad formam Sacrosancti Concilii Tridentini matrimonium iniit cum Iulia, 22 circiter annos tunc nata, civilibus praescriptionibus praemissis.

Celebratis nuptiarum solemniis, neoconiuges individuam vitae consuetudinem statim ducere coeperunt et communione thalami usi sunt; at non sub eodem auspicio, sub quo incoeperant, pacificae nuptiae perdurarunt.

Nam, duobus elapsis mensibus a celebratione nuptiarum, vir ex inutilibus forte conatibus ad explendam consummationem matrimonii, et ex difficultate experta integre perficiendi coniugalem copulam videtur timere coepisse de ineptitudine uxoris ad perfecte coeundum. Hac de re sponsi peritos in arte medica consuluerunt ac remedia artis adhibita fuerunt : attamen vir per tempus, sat diuturnum uxorem apud se retinuit, sperans in futurum mulierem habiliorem fieri posse manu experta in arte chirurgica.

Verum post viginti duos circiter menses a contracto matrimonio factum accidit, quo conturbata fuit pax domestica. Etenim Iosephus suam uxorem infidelem reputavit, quia haec nimia familiaritate, quam decebat, agere visa est cum quodam milite, quocum exinde Iosephus duello conflixit ; quapropter eam infidelem reputans ab se divertere et paternam domum repetere coegit.

Post aliquod tempus interim Ioseph coram tribunali civili sistit, petens declarationem nullitatis matrimonii ob mulieris impotentiam ; et laicus iudex post peractam peritiam in corpore mulieris, matrimonium nullum declaravit

•ob eiusdem impotentiam absolutam, perpetuam atque matrimonium antecedentem. Subinde ipsemet vir ad S. O. C. recursum habuit ad solutionem obtinendam etiam in foro ecclesiastico.

Hac de re, postquam habitae sunt litterae informatoriae tam ab Ordinario Foroliviensi, quam ab Episcopo Caesenafensi, in cuius dioecesi originem habet Ioseph, oblatae preces ad Curiam Foroliviensem remissae fuerunt cum mandato processum instruendi super asserta nullitate matrimonii et cum facultate delegandi usque ad sententiae proclamationem. Cum timeretur mulieris contumacia, eodem modo rescriptum fuit, quod, si mulier recusaret sui corporis inspectionem subire, uteretur quoad peritiam medicam illa quae habita est in iudicio civili.

Reque vera iudex Foroliviensis, ab Episcopo delegatus, processum instituit : percontatus fuit Ioseph per Subdelegationen! Tarenti, ubi ipse sua officia obibat; auditi etiam fuerunt testes septimae manus et ex officio vocati partim Forolivii et partim per delegationem Caesaenae : omnes isti non solum circa viri honestatem atque veracitatem, sed ot circa mulieris impotentiam testati sunt. Etiam Iulia iudicialiter aceita fuit, sed haec in iudicio sistere et iudiciali inspectioni se subiicere perfraete post trinam citationem renuit. De ea tamen habetur aliqua extraiudicialis depositio coram iudice Foroliviensi ante processus instructionem peracta ex mandato S. C. C, sed, licet a iudice aceita ad hanc depositionem iuramento firmandam, hoc facere recusavit. Praeterea interrogati fuerunt medici, qui ex iudicis civilis mandato inspectionem mulieris peregerunt ; hi autem postquam edixerunt impedimentum mulieris ad carnalem copulam perpetuum esse, documentum authenticum ipsis oblatum de peracta inspectione coram iudice ecclesiastico suo iuramento firmarunt.

Quibus omnibus ad finem productis, iudex Foroliviensis, audito vinculi matrimonialis vindice, sententiam tulit pro nullitate matrimonii ex capite impotentiae mulieris:

Disceptatio Synoptica.

VOTUM CANONISTAE. Animadvertit consultor, Curiam Foroliviensem, omnibus ad exitum perductis, sententiam tulisse pro nullitate matrimonii ex capite impotentiae mulieris.

Hisce quoad facti speciem carptim perstrictis, inquirere oportet utrum sententia curiae episcopalis Forolivien. sit confirmanda vel infirmanda in casu? seu an constet de nullitate praefati matrimonii ex capite impotentiae mulieris. Quamvis depositio Iuliae plane adversetur perpetuitati impotentiae, neque difficultatem exinde ortam penitus diluere licuerit propter contumaciam, qua ipsa novae inspectioni sese subiicere obfirmate abnuit, nihilominus, tabulis processualibus pro rei gravitate accurate perpensis, censerem quaestionem affirmativa solutione esse dimittendam.

Etsi nuptias non concubitus, sed consensus faciat, indubium tamen est impotentiam coeundi antecedentem atque perpetuam nullum irritumque reddere matrimonium, non. modo iure ecclesiastico ut patet ex tot. tit. De frig. et malef., verum ipso quoque iure naturali, quia « in matrimonio, docente D. Thoma, 4 dist. XXXIV, quaest. I, art. IL est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum : unde sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere ; ita non est conveniens matrimonii contractus, si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit ». Quia « quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad hoc est de essentia eius; quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpore alterius respectu carnalis copulae » ibid. ad. 1. Censetur autem perpetua haec coeundi impotentia quotiescumque per nulla media licita citra miraculum et vitae discrimen removeri potest cap. ***Fraternitatis*** 6, De frig. et malef.

His positis, audiendae sunt in primis depositiones partium. Actor Iosephus deponit sub fide iurisiurandi coram iudice ecclesiastico se pluries et continuo omnibusque, quibus liceret modis, conatum fuisse vas mulieris penetrare, sed semper partium aditum penitus occlusum adinvenisse, atque testatur causam, quae obstitit consummationi matrimonii, non fuisse dolorem nimium mulieris, neque defectum aetatis seu debitae evolutionis corporis, sed tantummodo « una vera e pura causa fìsica e meccanica da attribuirsi al vizio delle parti genitali, il quale vizio, come mi fu poi spiegato da periti medici e chirurgi, era congenito, e perciò preesistente all'epoca del matrimonio ». ludici quaerenti: « Utrum aliquis in arte medica vel chirurgica peritus adhibitus sit, et an eiusdem mulieris sit instituta curatio post compertam physicam ipsius imperfectionem ; et quatenus affirmative, quodnam fuit iudicium peritorum, et an ex remediis adhibitis spes aliqua affulserit habilitationis eiusdem mulieris ad consummationem perficiendam » ; respondet: « Furono adibiti parecchi, medico-chirurgi al suddetto scopo, laonde la signora fu inviata ad una casa di salute in Padova perchè si sottomettesse ad una cura speciale per rimuovere la sua fìsica imperfezione; ed ho piena certezza •che siffatta cura di ripetuta ispezione agli organi genitali fu compiuta, perchè io in parte ho presenziato al relativo accesso dei chirurgi, e questi hanno sempre espresso il giudizio che era impossibile qualsiasi operazione chirurgica per abilitare la donna alla consumazione dell'atto fisico matrimoniale. Aggiungo inoltre che di tempo in tempo la Signora Giulia fu sottoposta ad altre ispezioni e consulte chirurgiche, ma sempre i periti emisero il loro giudizio negativo a qualsiasi probabilità del desiderato successo ».

Dicente itaque actore, matrimonium nec consummatum fuit, nec potuit consummari ob impotentiam mulieris ad coeundum cum viro, et quidem antecedentem atque, iudicantibus peritis, qui adhibiti fuerunt, immedicabilem ideoque perpetuam. Periti tamen, qui tempore cohabitationis

partium inspexerant corpus Iuliae, non fuerunt interrogati a iudice, ceu monet Instructio S. Congregationis, § ***Si querela,*** neque eorumdem testimonia prostant in actis.

Mulier, licet ante matrimonium ignoraverit propriam coeundi impotentiam, fatetur tamen notam sibi aliisque fuisse perpetuam generandi impotentiam seu sterilitatem.

Ad ipsam vero consummationem matrimonii quod spectat, censet matrimonium fuisse consummatum, quamquam non perfecte ob quamdam impotentiam relativam, qua tunc temporis laborabat. Causam vero huius impotentiae seu impedimenti adscribere videtur defectui perfectae evolutionis muliebrium.

Depositiones igitur partium, ut ex dictis liquet, haud plene inter se concordant cum quoad non consummationem matrimonii, tum et praecipue quoad perpetuitatem impotentiae. Ex duabus ergo depositionibus utra pluris aestimanda erit in casu?

Recepta sententia est generatim mulieri matrimonii consummationem affirmanti potius quam viro neganti habendam esse fidem. « Cuius rei triplicem rationem reddunt auctores, aiente Thoma Sánchez, lib. VII. disput. CIX. n. 9. Prima est, quia stat pro matrimonio, cuius maximus est favor. Secunda, quia non est verisimile eam velle cum impotente ad reddendum ei debitum habitare ; eo vel maxime quod .stimulis carnis frequenter agitentur feminae. Tertia, quia cum femina sit rea, absolvenda est, dum vir non probaverit contrarium. Et ita docent D. Thom. D. Bonavent. Durando, etc. » Verum subiungit idem Sánchez : « Quod bene tempérant Hostiens. Ioan. de Friburg. Supplementum Pisanae, Rosei. Sylvest. n. 6 allegati, nisi vir convincat eam per aspectum corporis esse virginem, idipsum dicendum, si eam impotentem esse convincat, prout in casu contingere videtur, tunc enim potius viro est fides habenda. Sicut num. 6 diximus feminae neganti copulam, viro vero affirmanti potius illi quam huic credendum, si illa per aspectum se virginem probet ».

Deinde mulier, cuius depositio, utpote non iurata, nullam meretur fidem contra iuratas viri assertiones, excludit plenam matrimonii consummationem atque suam ad coeundum impotentiam agnovit, non solum perdurante cohabitatione, quum sese medicorum inspectioni saepius subiecit, verum etiam post discessum a viro, quum scilicet causa deferebatur ad tribunal civile « credendomi cioè in allora inabile al matrimonio » nullamque affert rationem, qua probet se processu aetatis viripotentem evasisse, quin ullam subierit operationem chirurgicam, quod sane a vero abhorrere videtur cum agatur de muliere, ad coeundum impotente, usque ad vigesimum quintum aetatis suae annum.

Praeterea si Iulia consensum praebere nequit, pro conficiendo processu canonico super nullitate matrimonii, quia, ipsamet asserente, propriae potentiae ac proinde validitatis matrimonii conscia est, qua de causa nuntium misit defensioni, tum sui iuris, tum matrimonii, atque perfracte delectavit novam sui corporis inspectionem, ex qua veritas depositionis elucescere potuisset ? Hac profecto agendi ratione mulier, quae non cupit matrimonium dissolutum, id unum intendere videtur ut Iosephum sibi perpetuo alligatum retineat.

Ad haec, testimonium, quod vocant septimae manus favet potius viro quam mulieri. Verum equidem est testes a viro productos nihil audivisse, tempore cohabitationis coniugum, de impotentia Iuliae praeter unum. Verumtamen testes septimae manus a viro inducti, de quorum probitate et credibilitate fidem faciunt parochi, uno ore laudant honestatem, religionem ac veracitatem actoris eiusdemque depositioni plenam fidem habendam censent, atque omnes fere testes ex utroque latere arbitrantur, Iosephum ex impotentia potissimum Iuliae adductum fuisse, ut dissolutionem matrimonii peteret.

Testes autem ex latere mulieris, quorum honestatem, religionem atque veracitatem commendat Rmus Pro-Vicarius Generalis, etsi Iuliam mendacem non pronuntient, nihilominus eam, uno al tero ve excepto, feminam levem, nec

valde religiosam iudicant, et plures testes certiores facti sunt ante separationem partium de impotentia aut saltem de physica imperfectione genitalium mulieris.

Neque vero testes suffragantur mulieris depositioni, circa iudicium latum a medicis, qui inspectionem peregerant. Nullam autem operationem chirurgicam subiisse videtur mulier, qua apta redderetur ad consummandum matrimonium. Confessio insuper ipsius luliae aperte excludit huiuscemodi operationem: Testes denique septimae manus explodunt assertionem mulieris, dicentis se processu temporis absque ulla operatione chirurgica idoneam effectam fuisse matrimonio consummando.

Quae cum ita se habeant, arbitror confessionem viri iure meritoque anteferendam esse in casu mulieris confessioni, quamvis affirmare non liceat depositionem Iosephi, etsi confirmatam testimonio septimae manus, certam atque indubiam reddere antecedentem ac perpetuam mulieris impotentiam. Verum rem plane conficere videtur testimonium medicorum, qui corpus luliae inspexerunt. At probationem namque impotentiae quod attinet, « si aliter de corporis defectu constare non possit, adhibenda erit inspectio corporum, masculini quidem per medicos et chirurgus, feminin! autem per obstetrices aliasque matronas **C. *fraternitatis*** 6. et c. fin. hoc tit. iuncto c. ***proposuisti*** 4. et c. ***causam*** 14 de probat. Quod verum est regulariter : nam si qwaestio sit de qualitate alia altiore feminae notitiam superante, v. gr. an mulier arcta per incisionem absque periculo vitae apta possit reddi ad copulam, etiam pro inspicienda femina chirurgi et medici adhiberi debent. Sánchez lib. 7 de matrim, disp. 113 n. 21. Reiffenstuel etc. » Schmalzgrueber lib. IV part. III tit. XV n. 75. Quod « si peritorum iudicio habeantur indicia et signa impotentiae omnino certa et evidentia physice, v. g. quod mas virilibus vel utroque teste careat, aut femina propter nimiam altitudinem ad omnem coitum indubitato inepta appareat, matrimonium sine mora, aliave probatione, aut solemnitate

dissolvendum est; neque opus erit eo casu coniugibus deferri iuramentum, sed sufficiet quod id delatum sit, et praestitum a medicis et aliis, qui eiusmodi signa adesse testantur. Glossa in cap. 6. hoc tit. etc. etc. Ratio est, quia tali casu certa est matrimonii nullitas, qua comperta, iuri naturali adversatur carnale commercium loc. cit. n. 78 ».

Iam vero tres medici in arte sua peritissimi uno ore testantur adesse in corpore Iuliae, quod inspexerant, indicia et signa certa et evidentia antecedentis atque perpetuae impotentiae. Minime sane mirum si hi tres medici, qui corpus mulieris iniussu ecclesiastici iudicis explorarunt, neglexerint, cum in ipsa inspectione, tum in relatione subinde exarata, leges hac super re ab Ecclesia sancitas ; attamen medici ea ratione inspectionem peregisse videntur, ut veritatem plane cognoscere potuerint super statu genitalium mulieris ; siquidem praelaudati medici adstante matre Iuliae, commode, libere, sedulo, servatisque regulis, quas ars medica praefìnit, inspectionem perfecerunt, qua peracta, ab ipsa veritatis evidentia coacti omnes periti, nemine discrepante, in unam eamdemque concessere sententiam, absque ulla prorsus dubitatione, ita ut omnino supervacaneam iudicent novam inspectionem genitalium mulieris, propterea quod ex inspectione iam peracta penitus perspecta atque explorata habeatur ipsius impotentia, suamque relationem iureiurando confirmarunt non tantum in iudicio civili, verum etiam coram iudice ecclesiastico, et quamvis ex actis processualibus non constet peritos religionem catholicam profiteri, nihilominus eorumdem peritia in arte medendi, honestas atque veracitas comprobantur authentico testimonio ecclesiasticae auctoritatis: unde fides habenda videtur testimonio peritorum. Quod si in casu desideratur inspectio ad normam iuris canonici exacta, id vitio vertendum est tantummodo mulieri, quae licet in iudicio civili, si ipsius dictis fides adiungenda est, sine ulla repugnantia sese inspectioni subiecerit, prorsus tamen detrectavit omnem inspectionem in iudicio ecclesiastico.

Laudati itaque medici, peracta inspectione, insequentem relationem scriptam exhibuerunt iudici laico, eamque iuramento firmarunt coram ecclesiastico iudice.

Explorati iuris est nullum infectumque esse matrimonium quoties una ex partibus contrahentibus laborat antecedenti atque perpetua impotentia ad perficiendam eam copulam, qua coniuges una caro fiant. Porro mulier, quae vagina destituta est, laborat impotentia ad perficiendam copulam, qua coniuges una caro fiant; cum haec copula atque exinde coniunctio coniugum in unam carnem perficiantur per immissionem virilis seminis et receptionem in vas debitum seu vaginam mulieris. Iam vero Iulia peritorum iudicio, cui standum videtur in casu, vagina prorsus caret, proindeque matrimonium, de quo agitur, nullum est ex capite impotentiae mulieris; quandoquidem haec impotentia, utpote ab ipsa natura contracta et mulieri congenita - determinata, cioè, da arresto di sviluppo delle parti genitali, durante la vita intrauterina - est certo antecedens matrimonium, praeterquamquod vel in dubio matrimonium praecessisse praesumitur ea impotentia, quae a vitio naturali originem ducit, maxime si statim post matrimonialem contractum dubium exortum est, quemadmodum in casu contigit, quia qualitas, quae a natura inest, evanuisse non praesumitur, eoque minus praesumendum est a potentia, quam quis a natura habuit, ad impotentiam adeo brevi tempore redactum fuisse. Sánchez de matr. lib. VII. disp. CUI. n. 4. Schmier Iurisprudentia canonico civilis libr. IV tract. III cap. II n. 93. Reiffenstuel lib. IV tit. XV n. 28. Schmalzgrueber lib. IV part. III tit. XV n. 11. etc.

Sed et perpetua videtur haec impotentia. Omnes in primis periti asserunt sub iuramenti sanctitate, Iuliam ita esse natura comparatam, ut numquam convenerit neque ullo pacto convenire potuerit cum suo viro, imo nec quocumque alio. Neque vero vitium hoc naturale corrigi posse videtur ulla arte quin in discrimen adducatur vita mulieris. In relatione iudici laico exhibita affirmant periti vaginam artifi-

cialem, si tamen effingi potest, efformari nequire absque periculo.

De congenita vaginae occlusione sermonem instituit Zacchias Quaest. Medie, legal, lib. IX. tit. III. quaest. V. ubi haec habet n. 4 : « Membrana igitur, loquor autem'semper hic de membrana praeternaturali non de hymene, aut erit tenuis, aut crassa et carnosa, aut erit perforata, aut non ; aut erit posita interius versus internum uteri osculum, aut in medio colli uterini, aut prope os externum : nam hae omnes differentiae multum faciunt ad determinandum, quaenam occlusio curabilis sit, quae vero incurabilis ; item quae facile, quae difficulter, et non sine aliquo vitae discrimine possit curari.... Igitur quo crassior haec membrana est, quo altius posita, quo magis clausa, et nullo foramine praedita, eo magis incurabilis, imo nullo modo curabilis. Quo tenuior ergo est, quo inferius posita, quo magis pervia, eo facilius et minori cum periculo curabilis; quae vero medio modo se habet, mediocriter etiam periculo et curationis difficultati est obnoxia ». Eadem fere tradit laudatus Zacchias lib. III. tit. I. quaest. VII. n. 29. In opere inscripto : « Dictionnaire des dictionnaires » auctore Guérin, verb. ***atrésie*** legitur: « Mais l'atrésie peut porter sur les conduits plus internes, sur le vagin et même sur le col de l'utérus ; dans ces cas, le plus souvent, on se trouve en face des plus grandes difficultés et l'ont doit se comporter avec une extrême prudence pour rétablir les voies restées jusque-là imperforées ». Iam vero, referentibus medicis, qui corpus luliae inspexerunt, non agitur in themate de aliqua tenui membrana, aut perforata, aut posita solummodo interius versus internum uteri osculum, aut in medio colli uterini, aut prope os externum tantum, sed de plena atque omnimoda atresia seu de obstáculo, quocumque tandem nomine vocetur, vehementer resistente, prorsus clauso nulloque foramine praedito, quod distenditur ob ore externo vaginae usque ad collum uteri. Cum igitur vitium in corpore luliae a medicis compertum longe gravius sit,

a fortiori nullo modo curabile censendum est. Addendum quod iuxta sententiam Thomae Sánchez lib. VII disp. XCIII n. 15. vel dubitantibus medicis de periculo vitae ex incisione vasis muliebris matrimonium iudicandum sit nullum. « Quod si medici dubitent, inquit, an immineat mortis periculum ex incisione illa, tunc subesse mortis periculum iudicatur. Sicut medicis iudicantibus an cibus aliquis lethalis sit, peccaret mortaliter eo utens, utpote qui vere periculo mortis expositus est. Et ideo dubius an res aliqua sit culpa mortalis, nec illam vitans, delinquit mortaliter; quia vero rei mortalis periculo exponitur. Similiter ergo, quando dubitatur de periculo mortis ex incisione, vere nequit femina incisionem illam pati, quin mortis periculo subdatur : ac subinde id impedimentum auferri non poterit absque mortis discrimine. Et sic matrimonium erit nullum ».

Impotentia itaque coeundi antecedens atque perpetua probatur in themate 1. ex confessione viri honesti atque veracis, qui, quamvis saepissime conatus fuerit, numquam tamen claustrum mulieris penetrare potuit ; neque obstare videtur quod actor haud protinus certo cognoverit impotentiam physicam, antecedentem et perpetuam mulieris, quia coniuges, etsi certo deprehendant se non posse consummare matrimonium, plerumque nesciunt an ipsa impotentia sit perpetua vel temporalis seu sanabilis saltem per artem chirurgicam sine periculo partis impotentia ; 2. ex universa agendi ratione Iuliae in iudicio ecclesiastico ; 3. ex depositionibus plurium testium septimae manus quo ad vulgatam opinionem, tum de physica imperfectione, tum de impotentia Iuliae, nec non de iudicio medicorum, qui perdurante partium cohabitatione, mulierem matrimonio consummando imparem renuntiarunt ; 4. et praesertim ex relatione atque depositionibus iuratis trium peritorum, qui, inspecto corpore mulieris, declarant atque affirmant absque ulla prorsus dubitatione, Iuliam certo laborare impotentia coeundi intrinseca, congenita, antecedenti, perpetua atque absoluta. Quamobrem respondendum censerem, constare in casu

de nullitate matrimonii ex capite impotentiae mulieris seu confirmandam esse sententiam curiae episcopalis foroliviensis, vetito mulieri transitu ad novas nuptias; quamquam fateri oporteat tutius transigi potuisse hoc negotium per dispensationem a matrimonio rato et non consummato, si vir huiuscemodi dispensationem petiisset, cum satis certa appareat non consummatio matrimonii, atque subesse videantur causae legitimae ad dispensandum requisitae.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONI EX OFFICIO. Laicus magistratus, ad quem Ioseph confugit, die 11 Decembris 1895 civile vinculum dissolvit innixus testimonio trium medentium, qui renuntiant :

« I° I genitali della Signora Giulia, per viziosa conformazione anatomica, per mancanza, cioè, completa della vagina, che è l'organo muliebre principale per l'accoppiamento sessuale, non sono assolutamente atti alle funzioni genitali».

« 2° Questa impotenza della Signora alle funzioni genitali, è manifesta e perpetua ».

« 3° Diciamo perpetua, giacché se pure fosse possibile, con ardita e grave operazione chirurgica, non scevra di pericoli, ricostruire una vagina artificiale, si avrebbe una vagina di troppo più piccola di una normale, perchè potesse servire bene alla copula ».

« 4° Questa impotenza genitale della Signora è originaria, (determinata, cioè, da arresto di sviluppo delle parti genitali, durante la vita intrauterina); è dunque, senza bisogno di dirlo, anteriore al giorno 26 Novembre 1892, giorno delle nozze della Signora Giulia col Signor Conte Giuseppe ».

Matrimonium quoque die 18 Maii 1898 cassavit ecclesiastica Forolivii curia. Foroliviensi curiae sententiam calculum album facile adiicit lectissimus consultor canonista. Qui tamen assertam matrimonii nullitatem haud explora tam omnino certamque habere videtur, concludens : « Quamquam fateri oporteat tutius transigi potuisse hoc negotium per dispensationem a matrimonio rato et non consummato

si vir huiuscemodi dispensationem petiisset, cum satis appareat non consummatio matrimonii ».

Meum est advertere, ait defensor, nec nullitatem matrimonii in probatis esse, nec inconsummationem. Reque vera Instructio a S. C. C. die 22 Augusti 1840 edita cavet : « Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt ». Et Iulia profitetur: « Ho subito due o tre volte l'ispezione chirurgica oculare di medici periti ». Iuliae mater ait : « So pure che il prof. Ruggi medico chirurgo alla clinica di Bologna ispezionò mia figlia un anno circa dopo il matrimonio ». Iam vero nemo ex his medicis cognitoribus auditus est.

Huc accedit ut unus ex tribus peritis, qui corpus Iuliae recognoverunt iussu civilis iudicis, in perditis ac desperatis non habeat assertae impotentiae curationem.

Imo Iulia abscisse negat tum nullitatem matrimonii, cum inconsummationem.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit confirmanda vel infirmanda sententia Curiae Foroliviensis in casu.

RESOLUTIO Sacra C. C. re disceptata sub die 29 Aprilis 1899 censuit respondere : ***Sententiam esse confirmandam.***

IANUEN.

ANNUAE PRAESTATIONIS

Die 17 Ianaarii 1900.-

Sess 22 cap. 6 De Reform.

COMPENDIUM PACTI. Christiana charitas in omne pietatis opus effusa persuasit Francisco Spinula, e civitate Ianuensi viro patricio, ut ex bonis quae post mortem esset relicturus suppetias ferret iis qui in carceribus vel in triremibus sua crimina expiantes poenarum pondere premuntur. Quamobrem Ianuense Collegium Sacerdotum ***Missionariorum Sub-***

urbanorum seu Ruralium nuncupatum tabulis testamentarius conditis ***die 14 Oct. 1834*** vocavit heredem ita significans suam voluntatem : « Istituisco e nomino erede per 3[a] parte la Congregazione dei Missionarii Suburbani così detti quali prego (i Missionarii Suburbani) di estendere il loro zelo e carità verso tutti quelli che gemono sotto il peso dell' umana giustizia : dico tutti, ma specialmente quelli che portano la catena militare e la criminale, procurando col reddito di detta terza parte di soccorrerli e renderli docili colle loro istruzioni, e farci più frequente l'uso dei sacramenti e soffrire con pazienza le loro pene. Esecutori di questo mio testamento costituisco e nomino i due Superiori, ossia il Superiore e l'anziano di detta Congregazione dei missionarii suburbani, e per il terzo il Presidente del Reverendissimo Magistrato di Misericordia, a' quali tre che ho nominato miei esecutori testamentarii raccommando la piena esecuzione di questo mio testamento ». At has tabulas rescidit ***die 17 Februarii 1835*** quod ad heredis institutionem ; et legatum confecit, in eumdem scopum Missionariis Suburbanis summa lib. 25,000 relicta ; haec praecipiens : « Vario il suddetto mio testamento, ed annullo la detta istituzione di erede e lascio a titolo di legato alla detta Congregazione Lire 25,000, per una volta tanto, da darlesi da miei eredi entro un anno dalla mia morte coli' obbligo però sempre alla detta Congregazione di adempiere in tutto e per tutto alii stessi oneri da me indicati nel detto mio testamento, che voglio s'intendano qui ripetuti ».

Testator fatum obiit supremum ***die 19 Martii 1836;*** et Suburbani Missionarii legatam summam ab haeredibus non ante diem ***12 Dec. 1838*** obtinuerunt; nimirum postquam nonnullae legatarios inter et heredes exortae lites compositae fuerint. - At cum de legati executione actum est, Missionarii dubiis moveri coeperunt quoad genuinam testatoris voluntatem. Siquidem mente revolvebant Missionarii verba testatoris supremam huius voluntatem exprimentia, ea potissimum: « ***Istituisco,., per la terza parte la Congr.***

dei Missionarii Suburbani... quali prego di estendere il loro zelo e carità verso quelli... » Exinde dubitabant Sacerdotes Missionarii an integram legatam summam in carcere damnatos erogare deberent ; an dumtaxat aliquam partem ; et hoc sane videbatur magis consentaneum et legatariae Congregationis instituto scilicet sacras faciendi missiones ad populos ruriculos quod probe sciebat testator et ipsius testatoris agendi rationi qui dum viveret et per manus Missionariorum tum uni, tum alteri scopo summas erogabat. Ad omnem summovendam dubitationem Patres Missionarii ad S. C. C. sub a. 1841 recursum habuerunt, haec postulantes.

« Super quae omnia in testamento et codicillo expressa, nonnulla consideranda veniunt, et 1. Illmus Testator praedictus non ignorabat, neque ignorare poterat Congregationem Missionariorum Ruralium numquam aliquod spirituale officium praestitisse iis qui quomodolibet per sententiam damnati delictorum suorum poenam luunt ».

« 2° Testator ipse pluries dictae Congregationis alicui Confratri temporalis alicuius subsidii largitionem commisit triremibus damnatis faciendam, et maxime triremibus damnata cuidam quem de sacro fonte levaverat, cuique in d. suo testamento centum viginti pedemontanas libellas legavit ».

« 3° Idem Testator Illmus exquisivit num Congregatio d. pro Missionibus in penuensi, aliisque dioecesibus fieri solitis per annum, sufficientes haberet redditus ».

« 4° Eidem Congregationi a Testatore non leve imponitur onus ea scilicet fideliter exsequendi, quae in testamento ipsi praescribuntur, eo maxime cum de haereditate loquatur pupillis debita ».

« 5° Tandem Congregatio legatum una cum oneribus acceptavit, tanquam utile sibi, animo quidem aliquid ut supra per Sententiam damnatis quotannis elargiendi ; reliquum vero in Missionibus expendendi : quod duobus ab hinc annis et fecit, damnatis praedictis biscentum pedemontanas libel-

las distribuendo, et reliquum fere totum in Missionibus absolvendis ».

« Hisce positis Superior, et Assistentes dictae Congregationis, nomine etiam ceterorum confratrum suorum, ut conscientiae suae consulant, humiliter pro responsione precantur ad sequentia quaesita :

« I° An teneantur supradicti legati fructus in temporale subsidium expendere eorum omnium, de quibus in Testamento? »

« 2° Et quatenus affirmative, ad quam partem fructuum steneantur? »

« **3°** Utrum in fructibus iam perceptis, et ut supra impensis, tuti sint in conscientia ? »

Ordinarius Ianuensis pro suo voto haec referebat :

« Qua de re si S. C, cui merito praeest Emtia Vestra, quid ego sentiam accipere luberet, in eam sententiam me esse sciat Emtia Vestra, ut prorsus existimem, non iam singulos fructus Legati, de quo in precibus ipsis, erogandos esse in temporale subsidium damnatorum, de quibus in testamento D. Francisci Spinula, bene vero aliquam tantummodo portionem eorumdem, quae tertiam ex. gr. partem adaequet, vel alteram, quam praestituere velit Sacra ipsa Congregatio. Mihi enim persuasum magis cordi fuisse praefato Testatori maiorem Missionum per universam dioecesim frequentiam, quam temporale levamen damnatorum eorumdem ; quod ulterius prae oculis habuisse constat ex verbis ipsis, ut ei quidem prospici rogaret, non vero prorsus praeciperet, interea non ignorans per alteram Congregationem Missionariorum scilicet Urbanorum spiritualibus ipsorum necessitatibus sedulo consuli ».

« Id vero adderem maxime expedire, ut per Missionarios ipsos Urbanos praestitutam eleemosynarum erogationem, Missionarii Rurales fieri curent, ut earumdem ope ad maiorem spiritualem utilitatem damnatos eosdem allicere valeant ».

S. C. C. adhaerens Ordinarii voto ita rescripsit ***die 5 Iulii 1841 :*** « Die 5. Iulii Sacra Congregatio Emorum

S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attenta attestatione Emi D. Cardinalis Archiepiscopi Ianuen, benigne commisit eidem Emo Archiepiscopo, ut, veris existentibus narratis, ac praevia sanatione quoad praeteritum, enunciatam praestationem favore damnatorum ad tertiam partem redituum legati cum onere eamdem tertiam partem tradendi Congregationi Missionariorum Urbanorum, qui eam erogent iuxta Testatoris voluntatem, pro suo arbitrio, prudentia et iuxta superius descriptum eius votum, gratis reducere ac moderari possit et valeat : Ita tamen, ut Oratores de fideli traditione memoratae tertiae partis coram eodem Emo Archiepiscopo, vel Ordinario pro tempore, quotannis docere teneantur ».

Vi Decreti S. C. C. Missionarii Suburbani summam 333,33 annuam Congregationi Missionariorum Urbanorum solverunt usque ad a. 1894 ; at deinceps idem praestare detrectarunt, aientes se dicta obligatione non amplius adstringi postquam carceribus et triremibus damnati Ianuae non detinebantur ; sed alio translati fuerant ab a. 1887. - Non acquieverunt Missionarii Urbani et hac de re disceptatum est apud Curiam Ianuen, quin tamen certa fieret controversiae definitio.

Exinde Missionarii Rurales ad S. C. C. recursum habuerunt ***sub die 24 Maii 1897*** expetentes declarari, ipsos non amplius adstringi, ***mutatis rerum adiunctis,*** ad annuam praestationem favore Missionariorum Urbanorum vi rescripti ***5 Iulii 1841;*** ipsis praeterea veniam fieri posthac insumendi eamdem summam in sacris missionibus faciendis. Haec advertebant Missionarii Suburbani in dicto libello:

« Cosi combinate le cose i Missionarii Suburbani versarono annualmente nelle mani, degli Urbani le L. 333,33 fino al 1 Gennaio 1894, senza avvertire che i galeotti a cui dovevano essere distribuite, fino dal 1887 erano stati trasferiti all'isola Palmaria, donde poi furono trasportati alla Spezia ove si trovano tuttora. Gli Urbani alla loro volta ricevevano il danaro colla stessa inavvertenza ritenendo che fosse loro dovuto per altre ragioni.

« Solamente al principio del 1895 i Suburbani avvedutisi del fatto sospesero un tale versamento.

« Volendo ora regolarizzare la loro condizione i Missionarii Suburbani chiedono in I° luogo che cosa devono fare rispetto al passato, dopo che, non essendo piti in Genova i galeotti, gli Urbani non hanno più potuto distribuire ai medesimi le somme che a questo scopo venivano loro consegnate, ed ove ne sia il caso supplicano per una sanatoria in quanto riguarda la loro Congregazione.

« In 2° luogo rispetto all' avvenire, mancando da Genova i galeotti, ed essendo i detenuti nelle prigioni communi già convenientemente assistiti dalla Ven. Compagnia di Carità, i Missionarii Suburbani supplicano Sua Santità a concedere loro di devolvere a vantaggio delle loro Missioni l'annua somma di cui è parola, compreso quel tanto che potesse essere loro rimborsato dai RR. Urbani sui versamenti passati ; e ciò atteso il gran bene che, la Dio mercè, si ottiene anche nella tristezza dei tempi, colle dette Missioni, fatte di regola ordinaria a tutte spese della Congregazione, meno i viaggi quando si va fuori Diocesi ; attese le molte domande che vanno sempre crescendo dalle diverse Diocesi della Liguria e dell'Alta Italia, e la relativa scarsità di mezzi della Congregazione, la quale per questa ragione deve più di una volta respingere le istanze che le vengono presentate ».

Archiepiscopus de informatione et voto percontatus, die *22 Iulii 1898* haec retulit :

« In risposta alla nota del 28 Maggio 1897, sono lieto anzitutto di potere asserire come l'esposto da'RR. Missionarii Suburbani sia conforme a verità. La somma poi di L. it. 333,33, che i detti Missionarii fino all' anno 1894 passarono fedelmente, a norma del Rescritto di co testa S.C. 5 Luglio 1841, nelle mani de'Missionarii Urbani allo scopo che si spendessero in sollievo de' condannati alla catena, veniva dagli stessi Missionarii Urbani, come candidamente confessano, per un errore di fatto, considerata quale altro

de' loro proventi, da spendersi nelle Missioni che predicano in questa ed altre Diocesi, e nella conservazione d'una cospicua Biblioteca, che tengono al pubblico in questa città. I Suburbani poi dal 1895 (epoca in cui cessarono di passare agli Urbani la detta somma) l'impiegarono nelle spese delle loro Missioni.

«Causa della petizione de'Suburbani umiliata a cotesta S. C. è la tranquillità di lor coscienza, e la scarsezza dei redditi insufficienti a soddisfare tutte le domande di Missioni, che vengono loro fatte. Si aggiunge non esservi più. in Genova i condannati alla catena, in pro de' quali doveano erogare quella somma,. e l'essere dalla Compagnia della Misericordia, per quanto il consentono le vigenti leggi, provveduto a'bisogni degli altri prigionieri.

« Essendomi chiesto da V. Emza Ma il mio parere lo espongo candidamente; ed è, che parmi sarebbe assai bene, se la S.' C sanando tutto il passato per ambidue le Congregazioni de'Missionarii, accogliesse per l'avvenire le domande de' Suburbani, che, in ossequio a' suoi ordini, le ritorno »,

Quoad ea quae asserit Archiepiscopus de erogatione summae; nimirum ***«veniva dagli stessi Missionari Urbani come candidamente confessano per un errore di fatto considerata quale altro de' loro proventi da spendersi nelle Missioni che predicano in questa ed altre diocesi o nella conservazione di una cospicua Biblioteca etc., »*** si quaeratur a quonam tempore initium sumpserit hic error, ex documentis in fasciculo actorum contentis explicari non potest; ceterum progressu temporis, tum Missionarii Suburbani, tum Urbani in ignorantiam inciderunt quoad titulum annuae praestationis adeo ut controversum rescriptum a latebris Archivii in lucem vindicatum fuerit, postquam lis exorta est ob intermissam annuae praestationis solutionem. - Revera ipsi Urbani Missionarii in supplici libello dato ad Archiepiscopum ***die 19 Martii .1896*** fatentur: « Se i Suburbani erano all' oscuro circa la natura dei loro rapporti cogli Urbani, non si può

dire che gli Urbani ne fossero al chiaro. - Essi avevano dinanzi un fatto rinnovantesi regolarmente e sempre invariato da più di cinquanta anni e potevano quindi con ragione ritenerlo come procedente da un principio giuridico e •stabile, nel che non andavano punto errati. Ma qual era questo principio? noi sapevano o non sapendolo imitarono i Suburbani e lavorarono di fantasia ».

Iterum sciscitatus Archiepiscopus ut referret ***an aliquo modo voluntas pii fundatoris adimpleri possit auxilia spiritualia subministrando iis qui Ianuae in carcere detenti sunt, vel aliquod subsidium, quo vere indigeant, iisdem impertiendo aut etiam instructionem christianam impendendo pueris puellisque, quae in domibus correctionis degunt vel alia ratione quae fini a testatore designato magis proxima sit, litteris diei 7 martii 1899,*** ad rem haec habet : « Ora come già fu esposto a codesta sacra Congregazione da più anni, più non sono a Genova i condannati alla catena, nè vi sono case di correzione pe' fanciulli a pro de' quali si potesse rivolgere una parte de' frutti del legato ; vi sono sì le Carceri; ma a queste viene provveduto dalla Compagnia di Misericordia se non quanto si potrebbe desiderare, almeno quanto è permesso dalle presenti leggi governative rispetto a que'luoghi. Onde per questo potrebbero essere accolte le preci de' Missionarii dirette ad ottenere di giovarsi in tutto de' frutti di quel legato per le loro Missioni. Dissi ***potrebbero essere accolte*** perchè non posso nascondere a V. Emza Riha che i Missionarii Urbani ai quali, secondo il Rescritto di cotesta S. Congregazione, in data 5 luglio 1841, venivano passate le lire 333 perchè le adoperassero in pro de' condannati alla catena (il che, come già altra volta fu esposto, non si faceva) intendono d'avere acquistato un diritto, al quale non sembrano disposti a rinunziare e che anzi reclamano ».

Verum ipsi Missionarii Urbani in libello supplici dato ad Archiepiscopum ***die 5 decemb. 1895*** suam agendi rationem, ita comprobant : « Quindi ancorché attualmente non

esista più il Bagno in Genova, e non si possa da essi piti esercitare i soliti Uffizii di carità verso i condannati, non devono essere privati del loro diritto alla partecipaziene del legato nel modo stabilito e per oltre cinquant'anni eseguito.

« D'altronde trasportato il Bagno alla Spezia, restarono, fino a pochi anni addietro, due stabilimenti di pena ai forti di S. Giuliano e del Castellacelo, in ambi i quali tutti gli anni i Missionarii Urbani esercitarono il loro zelo e carità..

« N è per essere soppresse queste due case di pena, manca T occasione di poter giovare coloro che gemono sotto il peso dell'umana giustizia. Esistono in Genova le carceri giudiziarie ove la Ven. Compagnia di Misericordia già addimostrò il desiderio di chiamare a fare esercizi o Missioni i Missionari Urbani ; quindi questi alla opportunità sono sempre in grado di prestare l'opera loro secondo l'intenzione del fu M.se Spinola ».

Denique Pro-Vicarius Generalis Ianuensis litteris diei ***6 Nov. 1899*** haec testabatur : « Letta la domanda del M. R. Signor D. Danese Cesare, Presidente della Missione Urbana di S. Carlo in Genova :

« Visti ed esaminati i libri dei conti e dei verbali della predetta Congregazione:

« Si dichiara ed attesta pienamente constare che la Congregazione della Missione Urbana di S. Carlo in Genova fin dal secolo scorso ebbe il servizio spirituale dei bagni delle Galere anche fuori Città alla Foce, a S. Giuliano d'Albaro, al Castellacelo e lo continuò fino al 1890 nel quale anno il R. Governo tolse dalla Città e vicinanze di Genova ogni reclusorio, lasciando le Carceri Giudiziarie.

« Dal sopra esposto appare che quando venne incaricata, la Congregazione della Missione Urbana di adempiere al Legato Spinola non poteva intendersi limitatamente al servizio spirituale dei Condannati esistenti nella Darsena, (in Città)' ma del servizio anche fuori Città, come infatti venne continuato fino al corr. 1899 prestandosi pei detenuti del-

l'Isola di Capraia, di Savona, di Alessandria, di Oneglia ed altri luoghi ».

Cum res formiter apud S. C. C. definienda esset-, hae dubitandi formulae propositae sunt a procuratore Missionariorum Urbanorum, easdemque acceptandas decrevi quum nemo contradiceret ex parte Missionariorum Suburbanorum : sunt sequentis tenoris: - /. ***An Congregationi Missionariorum Urbanorum debeatur a Congregatione Missionariorum Rur alium annua praestatio libellarum 333,33 ex reditu pii legati Spinula ad tramitem rescripti S. C. C. diei 5 Iulii 1841 in casu Ì*** - Et quatenus affirmative : - ***II. An eidem Congregationi Missionariorum Urbanorum debeantur fructus annui non soluti ab anno 1894 in casu?***

De hisce propositis dubiis cum notitia pervenerit ad Missionarios Suburbanos, hi, litteris ***diei 7 decemb. 1899,*** expetebant ut primo dubio ***adderetur*** propositio « ***etiam mutatis circumstantiis in voto Archiepiscopi expressis*** » , sed hoc subintelligi necessario visum est in ipsa enunciatione quaestionis, proindeque huiusmodi additionem inserendam non esse arbitratum est ; ad hoc etiam instante adverso procuratore. — At praeterea iidem missionarii Rurales tertium dubium proponebant ita conceptum « ***Quatenus negative*** ad 1. Dubium — 3. ***An ipsa Cong. Urban. Missionariorum debeat restituere Congregationi Miss. Rur. fructus ab hac indebite solutos in casu*** » quod dubium acceptandum esse ratum est, et de re admonitus adversus procurator non contra dixit.

Disceptatio Synoptica.

MISSIONARIORUM URBANORUM DEFENSIO. Horum advocatus contendit ***primo*** Missionariis Ruralibus veniam faciendam non esse erogandi controversam summam ***in sacras missiones; secundo*** istam missionariis urbanis intactam relinquendam esse.

Exinde orator quum recoluerit verba supremi elogii testatoris, ait, haec sane adeo esse perspicua, ut non egeant

interpretatione. Est enim iurisconsultis in proverbio: perspicua interpretari est nefas. « In claris non est opus disputatione ». Mascardus, ***de prob, conci. 96, § 18, vol. I, pag. 65.*** Aug. Taur. 1597. « Verba clara et manifesta qui interpretari velit, ferendus non est ». Iasonius ad 1. ***Quidquid astring.*** At obiiciunt adversarii, non imperasse testatorem sed tantummodo rogasse, ut in carceres reclusis subveniatur : « prego di estendere la carità e lo zelo verso tutti quelli cbe gemono sotto il peso dell'umana giustizia ». Sed respondet orator, eos non ***consilio,*** sed ***praecepto*** teneri. Nam ipse testator codicillum addens testamento ait : « con obbligo però sempre a detta Congregazione di adempiere in tutto agli oneri dà me indicati nel detto testamento che voglio s'intendano qui ripetuti ». Quamobrem S. C. C. gratiose concessit, ut pars reditus missionibus destinaretur « praevia sanatione quoad praeteritum, enunciatam praestationem favore damnatorum ad tertiam partem redituum legati, cum onere eamdem tertiam partem tradendi Congregationi Missionariorum Urbanorum... reducere et moderari possit et valeat ».

Hoc posito, pergit orator, clarae defunctorum voluntates studiose sunt custodiendae; et cavendum, ne, heredum in lucrum, inconsulte evertantur. « Quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium converti » Clement. 2. ***Quia contingit,*** de rei. dom. III, 11. Quod si Pontifex potestatem habet easdem immutandi, hoc non praestat nisi causa legitima, eaque vehemens, allegetur. « Res ista difficillima est.... Commutationes enim voluntatum defunctorum male audiuntur, quia sunt contrariae non solum iuri positivo, sed etiam aequitati naturali ideoque horrori et abominationi habentur ». ***Pignatellus consult, can. vol. IV, cons, 148, § 15, pag. 235.*** Qua de re illud statuit Tridentina Synodus ut ad commutationes concedendas ea causa, quae esset iusta ac necessaria, legitima censeretur. « Commutationes ultimarum voluntatum, nonnisi ex iusta et necessaria causa, fieri debent » ***"sess. 22,***

cap. 6, de reform. Idem docent iuris scriptores ; et addunt tunc restrictius id praecipi, quum sit aliquis, cuius intersit ut tabulis religiosissime stetur. « In iis quae ad privatam hominum utilitatem emanarunt, id quod ut plurimum accidit, requiritur causa omnino obstans illorum executioni, quae nullo modo possunt adimpleri » ***Moneta de commut. ultim. volunt. Lugduni 1624 cap. VI. § 61, pag. 369;*** « et ideo a Sede Apostolica commutatio concedi non solet, nisi quando aliter voluntas impleri non potest » ***Pignatellus cons. can. loc. cit. n. 12. — S. Rota in Hispalen. coram Card. Ubaldo iun. diei 19 dec. 1631 inter suas, p. III, dec. 182, § 2, pag. 112, et in Syracusana diei 12 decembris 1613 dec. 167 n. 3 pag. 191.***

Idem firmat, instat patronus, S. C. disciplina, quae defunctorum voluntates sexcenties, quia id necessitas non flagitabat, immutare recusavit. Re sane vera quaesitum est num reditu extenuato, in rem aliam eumdem impendere liceret. Responsum : potius onera minuantur, quam reditus rem in aliam conferantur. « An sit locus diminùtioni onerum vel potius commutationi voluntatis in casu ? - affirmative ad primam partem iuxta modum negative ad secundam ». ***Camerinen.*** seu ***Fabrianen.*** Legati, diei 20 Ian. 1770 - ***Lucana*** comm. vol. die 30 martii 1737 - Et denique ne cui fieret iniuria, tam sedulo vigilatum, ut publico interdum bono unius utilitas antihaberetur. Et iussum consuli monasterio, a testatore designato, quod ab uno tantum monacho habitabatur, quamvis Episcopus Presbyterorum collegio consulendum censeret ; ***Syracusana*** die 18 sept. 1751. Unde infert orator, nullum argumentum cogere, nullum persuadere, ut ratio non habeatur iuris a carcere damnatis quaesiti ; cum istorum indigentiis occurrere adhuc facile possit. Ea igitur de adversariis dicenda quae de monachis, idem prorsus expostulantibus, superiore saeculo, dicta sunt, urget orator, nempe : « Ponderabatur quod inexsecutio dispositionis testatoris non a re ipsa promanabat, nec ab alia causa extrinseca, quae effectum impediret ; sed solum a voluntate

patrum, qui optabant hereditatem impendi in alium usum, quam optavit voluitque munificentia testatoris, ex rei. secr. in causa ***Taurinen,*** comm. volunt, diei 2 dec. 1719.

At opponunt adversarii, ad triremes damnatos hodie Ianuae non asservari; propterea, hodie voluntati testatoris satisfieri non posse. Ast respondet patronus, quacumque poena damnatos, nec eos tantum qui Ianuae asservarentur testatorem complexum esse « tutti quelli che gemono sotto il peso dell' umana giustizia, dico tutti, ma specialmente quelli che portano la catena militare e criminale ». - Nec sane minus late patet, notat orator, S. C. decretum, quo praescriptum ut pars tertia reditus hunc in finem erogaretur. Quod voluit testatoris mandata sarta et tecta servari « praestationem favore damnatorum ad tertiam reddituum legati, cum onere eamdem tradendi congregationi missionariorum Urbanorum, qui eam erogeni iuxta testatoris voluntatem, reducere et moderari possit et valeat ».

Deinde patronus gradum faciens ad alteram orationis partem, asserit Rurales Missionarios iam expertos esse clementiam S. O. C. quum ad tertiam partem redacta est summa in crimine damnatos eroganda; hanc vero impendendam esse per Congregationem Missionariorum Urbanorum; siquidem Rescriptum S. C. C. iussit reducendam ***enunciatam praestationem favore damnatorum ad tertiam partem redituum legati, cum onere eamdem tertiam partem tradendi congregationi Missionariorum Urbanorum, qui erogeni iuxta testatoris voluntatem.,, ita tamen ut oratores de fideli memoratae tertiae partis traditione coram eodem Archiepiscopo vel Ordinario pro tempore quotannis docere teneantur.*** Quocirca Urbanis missionariis, de iis implendis, quae praestituit testator, totam curam decretum istud concredidit. Hos iussit acceptam pecuniam, Ruralibus inauditis, dispertire. Hos Episcopum quot annis certiorem facere, se rite dispertiisse. Onus igitur est in Urbanos translatum, quod testator Ruralibus imposuerat, concludit procurator.

Praeterea obiiciunt Rurales missionarii, ab hoc onere

se liberos existimasse, quare narrant, in singulos annos de pecunia Urbanis tradenda, suffragia tulisse. Ideo vero tot annis.tradidisse, quia semper id suffragiis est approbatum. Sed respondet advocatus, ita iniuria existimasse et egisse Missionarios Rurales ; siquidem perspecta erat voluntas Decreti S. C. C. nempe imponendi *onus;* unde in errore versati sunt Missionarii taliter opinantes. Neque hodie, instat orator, possunt ipsi denegare oneris solutionem quasi eius satisfactio evaserit impossibilis ; quum triremibus damnati amplius Ianuae non detineantur; nam in propositum Pro-Vicarius Ianuensis testatur: « Si dichiara pienamente constare che la Congregazione delia Missione Urbana di S. Carlo in Genova fin dal secolo scorso ebbe il servizio dei bagni, delle Galere, anche fuori città, alla Foce, a S. Giuliano d'jAlbaro, al Castellacelo e lo continuò fino al 1890, nel quale anno il R. Governo tolse dalla città e vicinanze di Genova ogni reclusorio lasciando le Carceri giudiziarie.... il servizio venne continuato fino al corr. anno 1899 prestandosi pei detenuti della Isola di Capraia, di Savona, di Alessandria, di Oneglia ed altri luoghi ». Denique urget orator, nullimode fas est adversariis ita interpretari Rescriptum S. C. C. ut asserant, Missionarios Urbanos fuisse delegatos ad munus explendum, nomine Ruralium, quousque crimine damnati Ianuae asservarentur ; nam contendit patronus, tum rescriptum S. C. C. tum executorias litteras Archiepiscopi adamussim inhaesisse voluntati testatoris, ab eaque ne latum quidem unguem discedere permissum esse ; siquidem in Rescripto munus committitur *Urbanis, « qui eam erogeni iuxta testatoris voluntatem ».*

DEFENSIO MISSIONARIORUM SUBURBANORUM. EX adverso aliquid animadversum fuit in favorem Miss. Suburbanorum. Iamvero quomodo res se haberent quando editum est controversum Rescriptum S. C. C. ita candide fassi sunt Miss. Urbani in libello dato ad Curiam Archiepiscopalem sub ipso litis exordio *die 5 Decemb. 1895.*

« I Missionarii Urbani sostenevano essere volontà del

testatore chiamare al conseguimento del legato quella Congregazione che poteva estendere il suo zelo e carità verso quelli che gemono etc., e specialmente che portano la catena militare e criminale.

« Tali notoriamente erano i Missionarii Urbani che ab immemorabili facevano tutte le domeniche il catechismo nel bagno penale, le visite settimanali agli infermi del loro Ospedale, soccorrendoli col fornire loro latte, aranci e tutte quelle cose che valevano ad alleggerire le loro pene, con cui cercavano di renderli docili alle loro instruzioni e all'uso frequente dei Sagramenti.

« Tali cose non usano fare i Missionarii Suburbani nè potevano farle perchè tale incarico era affidato ai Missionarii Urbani dalla Autorità ecclesiastica e civile, la quale anche loro forniva qualche sussidio onde alleviare le forti spese, cui soggiacevano nel compiere quelli stessi uffizi di carità ingiunti dal Marchese Spinola nei suoi testamenti.

« D'altronde le predicazioni in città erano affidate e riservate ai Missionarii Urbani, appunto così denominati pel luogo principale ove si estendeva l'esercizio del loro zelo e carità, mentre i Suburbani avevano per campo del loro zelo i suburbi e le ville, esclusa sempre la città, ove essendo il bagno penale non potevano in esso esercitare la loro opera caritatevole ».

Inde liquet, suam provinciam habuisse tunc temporis Miss. Urbanos, uti non obscure praedicat ipsum nomen, quoad loca omnino distinctam a provincia Miss. Suburbanis concredita : et hoc maxima prudentia factum fuisse nemo est qui non videat. Hodie certe ab antiquo statu res mutatae sunt ; quum ad portum Ianuae internum, vulgo ***Darsena,*** triremibus damnati amplius non asserventur. Quamobrem facile intelligitur, tunc temporis adeo fuisse assuetos et veluti continuos Miss. Urbanos in auxiliis corporalibus et spiritualibus praestandis iis qui ad trirèmes fuerant damnati, ut sensim sine sensu e memoria exciderit origo et intentio illius praestationis quam ipsis exsolvebant Miss. Rurales.

Quo factum est, mutatis rerum adiunctis, Miss. Urbanis nullum visum fuisse piaculum, eosdem reditus in pias missiones vel in alium finem aeque sanctum impendere.

In themate iam ab initio haud facile fuit percipere quaenam fuerit voluntas testatoris, quia hic ex una parte probe noverat institutum Missionariorum Ruralium; seu sciebat, hos sacras conciones et catecheses fuisse solitos habere ad eos qui ad triremes damnati essent; ex alia vero parte absque ambagibus in tabulis testamentariis eosdem adhortatur « *di estendere il loro zelo e carità verso tutti quelli che gemono sotto il peso dell'umana giustizia* ». Quapropter ad conciliandam testatoris voluntatem cum suo Instituto, Miss. Rurales in litteris datis ad Curiam Ianuen, die *29 Ian. 1896* rem ita explicant: « *Nella fattispecie però non si tratta di alcuna predicazione di Missioni od esercizi ma di caritatevoli soccorsi uniti a religiosi conforti, amorevoli istruzioni e pii eccitamenti che si potevano compiere in modo affatto privato come usano fare i confratelli della Società di S. Vincenzo de* Paoli verso le famiglie da essi visitate ».* Revera narrabant ipsi Missionarii Rurales in libello dato ad S. C. C. a. 1841 : « 2° *Testator ipse pluries dictae Congregationis alicui confratri temporalis alicuius subsidii largitionem commisit triremibus damnatis faciendam* etc. ». Cum vero ad legati executionem ventum est ob sollicitudinem quam iampridem exercebant in compeditos Missionarii Urbani, Archiepiscopus in suo voto significare potuit. *« Id vero adderem maxime expedire ut per Missionarios ipsos Urbanos praestitutam eleemosynarum elargitionem Missionarii Rurales fieri curent ».*

Quocirca Missionarii Urbani reipsa constituti sunt mandatarii ad commodius *praestitutam eleemosynarum elargitionem* faciendam, nomine missionariorum Ruralium. Inquam - *commodius* - ob rationem iam allatam ab ipsis Miss. Urbanis; quia ipsis erant concredita loca urbana et hinc carceres et triremes ad portum Ianuense internum ; aliis Miss, loca suburbana. In mandato autem *non censen-*

tur comprehendi illae facultates quas in specie quis non esset verosimiliter concessurus ; iuxta notam iuris regulam.

Atqui a tempore constitutae concessionis res a pristino statu adeo mutatae sunt, ut hodie munus elargiendi legatas eleemosynas sane non transferretur a Miss. Suburbanis ad Urbanos. Nam Ianuae intra moenia, prouti antea, non amplius asservantur triremibus damnati : hisce vero et aliis id genus damnatis alibi asservatis hodie non minus Rurales quam Urbani Missionarii parati sunt ut opem ferant.

Quare hodie Archiepiscopus Ianuensis votum edidit quod adhaeret petitioni Miss. Ruralium et fatetur candide mandatum antea concessum Miss. Urbanis adeo esse remo tum et alienum ab hodiernis moribus, ut in desuetudinem abierit et istius origo et causa lateret hodie ipsos Urbanos Missionarios. Hoc sub aspectu votum hodierni Archiepiscopi contradicit, et iure merito, voto Card. Tadini.

Praeterea adverti etiam debet, quod innuit hodiernus Archiepiscopus in suo voto, hodie carceres et triremes longissime distare ab iis, quae olim tantum horrorem incutiebant piis et honestis civibus; et tam graves poenas, seu cuiusque generis privationes et angustias inferebant reis condemnatis. — Illa verba quae testator humanissimus adhibuit ad exprimendum dolorem quo altius in corde afficiebatur erga triremibus damnatos ; erga eos nempe « *che gemono sotto il peso dell'umana giustizia... che portano la catena militare e la criminale____»* verba hodie censentur *tribunicia,* nata et idonea ad turbas in viliori plebe commovendas, et ad risum et contemptum in sensatis viris excitandum. Hodie poenae adeo sunt mites, hodie morbida quaedam humanitas adeo prosequitur criminosos, ut sane non ultima causa ingravescentium et crebrescentium criminum sit ipsa poenarum nimia lenitas. - Ob oculos habeo - *il regolamento generale per gli stabilimenti camerarii e pei riformatomi governativi del Regno - 1. Febbraio 1.891* - et legislatoris sollicitudo eo in primis spectat, ut poenae luitio compeditorum et damnatorum valetudinem non reddat

deteriorem ; ciborum quantitas, qualitas et distributio eadem pene ordinantur mensura quae in nosocomiis adhiberi solet ; carcerum, custodiarum in primis curatur nitor et salubritas ; omnia demum procedunt in luce et conspectu oratorum populi, qui nihil antiquius habent quam damnatorum defendere causam in publicis comitiis. Ob tantam Reipublicae sollicitudinem in carcere condemnatos, ob tantos inde nummos erogatos, gravioribus vectigalibus ab honestis civibus haustos, lex non sinit, regula generaliori, victualia deferri condemnatis ab iis qui eos invisent et dumtaxat exceptionis ad instar, et speciali expetita venia a carcerum Moderatoribus hoc aliquando permittitur. Exoptat vero et enixius expostulat lex, sodalitates constitui a ***charitate*** vel a ***misericordia*** vel a ***patronatu reorum*** dictas quae vel defensionem curent condemnatorum et maxime moralem institutionem. - Haec attulisse iuvat, ut explanentur ab Archiepiscopo breviter relata in suis litteris ad instantiam S. C. C. et quo melius pateat quantum rerum status ab illo sit mutatus quum Spinola Marchio, illa pientissima promebat ab imo corde verba.

Unde hodie recolendum est prudentissimum consilium quod pandebat S. C. C, investigans piam testatoris voluntatem, ipse Card. Tadini : aiebat enim: ***«Mihi enim persuasum magis cordi fuisse praefato testatori maiorem missionum per universam dioecesim frequentiam quam*** temporale levamen ***damnatorum eorumdem ; quod ulterius prae oculis habuisse constat ex verbis ipsis ut ei quidem pro spici*** rogaret ***non vero prorsus*** praeciperet etc. ». Revera ***magis rogasse*** quam ***praecepisse*** dicendus est testator qui non privatum civem, sed Congregationem Religiosam alloquebatur, quae non pro suo arbitrio potest sibi mutare institutiones et scopum, sed pluribus attentis et consideratis adiunctis hoc praestat aliquando, et maxime intercedente venia, et arbitrio Sacrorum Antistitum. Quare ***ex ipsa subiecta materia*** testator intelligendus est rogasse non praecepisse; eo magis quia ipse probe perspectum habebat institutum Con-

gregationis Miss. Suburbanorum. - S. O. C. autem iussit omnia fieri - *iuxta testatoris voluntatem ;* - et impertiit *sanationem quoad praeteritum,* quia hanc expostulaverant oratores - *ut tuti sint in conscientia.* - Si codicillus urget legatorum executionem, quia ista relinquit « *coir obbligo* però sempre... *di adempiere in tutto* e per tutto *alii stessi oneri* - adverti debet plura onera in testamento contineri, uti referebant oratores in libello primum dato a. 1841 ad S. C. C.

Quamobrem quaestio hodie huc reducitur, utrum onus commissum Miss. Urbanis, nomine Suburbanorum adimplendum et respondens adiunctis temporum et locorum hodie non amplius vigentibus, adhuc servari debeat. - Adiuncta autem penitus fuisse mutata indubie docet ipsa ratio agendi Miss. Urbanorum qui iampridem alio converterant annuam praestitam summam. - Cum autem quaestio nostra eo tendat ut decernatur quod magis conforme et consentaneum est voluntati testatoris, hoc in probatis existit, testatorem suae voluntatis executores constituisse non Urbanos, sed Missionarios Suburbanos, ipsum ordinasse *temporale levamen* ad animas condemnatorum Christo lucrifaciendas, hodie vero hoc praestare posse et valere non minus Suburbanos quam Urbanos Missionarios , Missiones vero sacras *magis cordi fuisse testatori* sive in carceribus sive extra faciendas ; unde videretur iutentio Suburbanorom satius respondere voluntati testatoris quam Urbanorum instantia.

Hisce animadversis proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

I. *An Congregationi Missionariorum Urbanorum debeatur a Congregatione Missionariorum Ruralium annua praestatio libellarum 333,33 ex reditu pii legati Spinola ad tramitem rescripti S. C. C. diei 5 Iulii 1851 in casu?*

Et quatenus *affirmative:*

II. *An eidem Congregationi missionariorum Urbanorum debeantur fructus annui non soluti ab anno 1894 in casu?*

Et quatenus ***negative*** ad 1. An ipsa Congr. Miss. Urbanorum debeat restituere Cong. Miss. Ruralium fructus ab hac indebite solutos in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 27 Ianuarii 1900, censuit respondere: ***ad I negative, ad II provisum in I, ad III negative.***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM quo edicitur ***tuto*** proeedi posse ad honores decernendos beatorum duobus martyribus Dionysio a Nativitate et Redempto a Cruce.

LEO XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vastum sane atque uberem campum catholica Ecclesia nacta est in Indiis ad Orientem versis ubi operariorum suorum elaboraret industria, virtus excelleret, gloria eluceret, sed qui tali esset natura comparatus ut evangelicam non conciperet, comprehenderetque sementem nisi irrigatus esset sanguine Martyrum. Atque ideo eam etiam ob causam spe nimirum Martyrii sacrae ad Indos expeditiones a religiosis viris magnae animae prodigis libentissime susceptae sunt. Paucos enim post annos quam tota fere India fuit Francisci Xaverii fecundata sudoribus, strenui Christi administri sicut Dei gloriam atque aeternam multorum salutem ita eximiam meritorum laudem et Martyrii coronam sibi compararunt. Huic officio non defuit insignis ordo Karmeli, qui ex sodalibus suis par nobilissimum videt hodierno die gaudetque in Beatorum caelitum numerum recenseri. Hi sunt Dionysius a Nativitate et Redemptus a Cruce, quorum virtutes et res praeclare gestae afflant suavitatem quamdam atque in auspicium vigesimi saeculi salutaria subpeditant populo christiano ad imitandum exempla. Dionysius fuit ortus Huneflorii in Gallia anno christiano sexcentésimo supra millesimum Petro Berthelot et Florida Morina parentibus qui studium domesticae laudis in pietate et virtute ponebant. In sacro baptismate Patris nomen habuit et appellatus est Petrus. Puerulus bona spe et mirifica ad virtutem indole praeditus in pietatem excolendam mature animum appulit. Fama tenet Petrum necdum puerum se-

xennem clam parentes ad proximum templum piae exercitationis causa interdiu advolasse atque ibi provolutus in genua prece et obsecratione humili id navare et efficere ut Dei numen sibi propitiaret. Grandior natu factus sedulam dedit operam iis disciplinis, quibus aetas puerilis solet informari, deinde omnem suam curam et diligentiam mathesi rerumque nauticarum scientiae alacriter contulit. Hunc quoque curriculum summa cum laude emensus longos navigationis cursus confecit et negotiis cum praeesset suis versatus est in maritimis portusque celebérrimos Italiae, Hispaniae, Galliae, Angliae et Americae saepe tenuit. Quibus in pelagiis itineribus ad navis gubernaculum sedens sed animo et cogitatione semper in Deo defixus, ubi occasio opportuna se obtulit mores nautarum, remigum, gerulorum emendavit, eos de officiis christianis commonefecit, virtutumque quarum sermonibus praecepta docuit moribus suis edidit exempla. Praeterea nihil magis gravate tulit quam sanctissimum Dei nomen verborum impietate violari, aut obtrectari maledictis, et si atrociorem fando inaudiret vocem ille toto repente vultu exardescere atque adeo animadvertere in sontes, ut postea eo praesente ne hiscere quidem ac respirare auderent. Operam suam primum apud Batavos locavit, sed paullo post cum nollet se catholicum haereticis subiicere, stipendia meruit apud Lusitanos quibus praeclarum dedit specimen animi et ingenii. Ipsi brevi mora interposita ad Navarchi et Cosmographi gradum eum evexerunt et cum per id temporis magnam Lusitani aedificarent et ornarent classem, multis navibus Petrum praefecerunt. Cum iis ipse sedens in puppi clavum tenens maria non pauca peragravit et non semel congressus est cum Turcis, a quibus victor semper discessu Dux enim prudens, strenuus et idem vir catholicus suae fidei perstudiosus nihil praetermisit quod experientia, virtute, constantia poterat, nihil non periclitatus est ut acérrimos christiani nominis hostes deprimeret, exturbaret. Sed inter armorum strepitus plaususque victoriae non conticuit vox divinae gratiae Petrum ad se vocantis quae ad commentationem rerum coelestium, ad solitudinem, ad pacem eum semper invitavit. Quamobrem cum aliquando Goam in urbem Indiarum commodo instructam portu classem appulisset et ipse ad oppidum ventitaret, Patres Societatis Iesu ibi consistentes occulte convenit eis animum suum aperit, diuturno monasticae vitae desiderio se -teneri profitetur,

voluntatem Dei satis sibi cognitam dicit esse; orat ut se in sodalium numerum adsciscere ne graventur. At Praeses Societatis qui non ignorat Petrum Lusitaniae classi pro esse et Regium esse Cosmographum merito veretur si eum recipiat, ne Proregi faciat iniuriam. Propositi sui ille tenax ad Patres Karmelitas Excalceatos se confert apud quos idem beneficium quod a Societate Iesu frustra petierat non sine negotio tandem exorat. Id posteaquam Prorex resciit excanduit et graviter cum Coenobii Vicario, qui Petrum exciperat, conquestus est. Vicarius demisse respondet Petrum ortu et Civitate Gallum Lusitanorum lege esse solutum et eam posse quam petit tenere vitae rationem; ceterum eius nomine se de Petro spondere, si res postulet Lusitanis illius operam non defuturam. Huic responso Prorex adquievit, et Petrus voti compos Karmelitarum Excalceatorum vestem induit posuitque alacriter tirocinium. Sed paullo post Batavi Govensem portum classe maxima obsiderunt, et Prorex sponsionis memor Dionysii operam poposcit. Vicario Coenobii persuadente ut obsessam civitatem defendat Dionysius morem gerit atque operi illico se accingit. Quapropter milites tumultuarios colligit, accesse instruit, praelium committit, tres dies ipsos cum hoste in armis exercitu intrepide decertat. Non ille clypeo scutoque ad repellendos ictus non galea et lorica ad obtundendos utitur, sed lanea indutus veste Karmeli, nudato capite Crucemque Redemptoris Iesu pro gladio distringens in prima acie versari ubi confertissimi instant hostes accurrere, omnia providere, laborantibus subvenire, ignavos excitare verbo et exemplo. Tandem oppido ab obsidione liberato portum redimit, et dum civitas universa obviam Dionysio sese effundit, se ipse subducit et in coenobii claustra clanculum confugit. Ibi in amico silentio solitudinis, in tranquillitate pacis ad tirocinium suum belli causa intermissum acriori studio se refert. Eo post paucos menses absoluto solemnia vota emittit deinde Sacerdotio initiatus primitus singulari animi laetitia sacris operatur. Quum vero apud se reputans non amplius se sui iuris sed Dei proprium esse quasi mancipio ac nexu, incredibile fere est quanta voluntatis abdicatione totum Dei gloriae et familiae Karmelitae incolumitati et bono aeternaeque proximorum saluti se dediderit. Ea tempestate accidit ut. Prorex Goensis Achen ad urbem principem Sumatrae insulae Franciscum Soza de Castro legatum mitteret. Hic Dionysium habebat

plurimi utpote quem oceani peritissimum esse noverat, «unique pietatis magistrum et comitem sibi elegit. Dionysius delatum munus acceptum gratumque habuit et Praeses Coenobii ipsi adiutorem assignavit Redemptum a Cruce eiusdem coenobii Karmelitani. Redemptus natione Lusitanus in saeculo nominatus est Thomas Rodríguez de Cuencha de cuius vita et moribus pauGa admodum posteritati sunt tradita. Memoriae pro» ditum est iuvenili aetate Thomam militem classiarium stipendia meruisse in patria et longam suscepisse in Indiam navigationem. Deinde in Coenobium Tattae inter Karmelitas receptus a peregrinis laboribus requievit, et Ianitoris muliere egregie functus est. Postea vero a Goensis Coenobii Praeside Aedituus est renuntiatus, et nobiliori huic officio obeundo magnam adhibuit diligentiam et pietatem eximiamque sibi laudem comparavit. Homo summa humanitate, comitate, moribus suavissimis diligebatur ab omnibus ita ut quum Dionysio socius adiutor daretur reliqui obstiterint et causas sustinendi vel retardandi discessionem quaesiverint, sed Redemptus quem desiderium martyrii et spes eo magis incesserat, quo magis idoneus et opportunus videretur esse locus quem cum Dionysio aditurus erat, obeundi tempori praestolabatur. Eluxit tandem dies quo Dionysius et Redemptus parati ad omnia atque alacres cum Legato ad portum a coenobio sunt profecti. Lacrymantes socii socios lacrymantes complexi sunt et longum vale vale non redituris dixerunt. Ipsi navem quae iam in eo erat ut solveret conscendunt, atque ambo nautae experientes, assueti fluctibus iter anceps et longum alacriter ineunt. Post varios casus, post magna discrimina ex quibus Dionysius navem eripuit Achem tandem attingunt. Rex qui ad violandum ius gentium aliud simulat aliud agit cursores áulicos ad navem mittit qui venientibus nuncient invehantur libere in portum, ad regiam urbem accedant, honore quo par est Rex Legatum et hospites excepturus. Liberali invitatione deceptus Legatus Lusitanorum cum omni suo comitatu in fraudem deducitur, urbi succedit sed repente efferata e Turcarum manus eos circumveniunt vincula captis iniiciunt, in carcerem denique detrudunt. Deinde Regis iussu captivi omnes viris principibus regni distribuuntur singuli singulis: Dionysius in caraedio per quod sordes et immunditiae eluuntur coniicitur; Redemptus bubulis ducendis traditur -eidemque ne ervo quidem datur se posse vesci. Sic Dei fa-

muli vitam a egre trahentes ambo, interdum invisuntur ab administris Mahometi qui eis persuadere tentant ut a Fide Christiana desciscant ut ad vitam, ad libertatem, ad opulentiam, ad honores se revocent ne bona certa pro incertis permutent. Sed duo Karmelitae fortitudine summa, constantia pari illecebras et invitamenta deridentes respondent nolle se maximum Dei donum, fidem eiurare, bona aeterna pro fluxis et caducis amittere, immortalia coeli gaudia mortalibus tormentis et morti anteponere. Hoc responso Regi nunciato, Rex iubet omnes (excepto Legato et nonnullis e familia Legati) duos nempe Karmelitas et sexaginta circiter alios catholicos capite damnari. Data sententia Dionysius et Redemptus trahuntur ad supplicium prope maris litus quos praeconcepti spectaculi cupida turmatim sequitur populi multitudo. Martyres inedia confecti, squallidi, devincti catenis, aspectu miserabiles sed animo elati pedetentim progrediuntur. Simul utque ad lanienam ventum est ipsi in genua provoluti tendunt ad coelum palmas Deum orantes ut supremo in tempore sit praesens et opem ferat. Carnifices emissis eminus telis miserandum in modum multa corporibus vulnera infligunt. Redemptus a Cruce fame pene iam necatus gravi vulnere accepto, animam expirat : Dionysius a Nativitate Crucem distringens qua in certamine utebatur passionis nunc socios in fide confirmat, in extremo agone languentibus animum addit et demum saucius procumbit. Tunc miles quidam qui ex fide catholica desciverat in nudum caput Dionysii acinacem impingit, medium dividit. Sic héroes invicti filustre pro Christo Martyrium fecerunt nobis omnibus argumentum praebentes divinitatis Religionis pro qua sanguinem profuderunt. Eorum fama ex longinquis Asiae regionibus cito in Europam pervenit, et magna cum iam esset duorum Karmelitarum virtutum commendatio tum post eorum martyrium aucta magis est et latius diffusa. Quare ordinarii et Apostolicis inquisitionibus mature praemissis aliisque ad iuris normam peractis, denique de Martyrio, causa Martyrii, signis seu miraculis disceptari coeptum est. De hac quaestione diligenter est disputatum ac tum Cardinales tum adstantes ex officio Praesules sententiam suam dixerunt: illam tamen confirmare supremo Nostro iudicio distulimus, donec Patrem luminum impense precati essemus, ut in re tali mentem Nostram lucis suae radiis illustraret. Tandem octavo Kalendas Aprilis huius anni **MCM** decretum

vulgari iussimus de Martyrio et de causa Martyrii et de signis Martyrium confirmantibus. Denique ad actorum legitimam seriem perficiendam in generali sacrae rituum Congregationis conventu qui habitus est coram Nobis die vigesima septima mensis Martii propositum dubium fuit an stante approbatione martyrii eiusque causae, miraculorum seu signorum Martyrium illustrandum tuto procedi posset ad solemnem eorundem venerabilium Servorum Dei Beatificationem, et omnes unanimi consensione responderunt tuto id fieri posse. Nos tamen supremum Nostrum de re tanta iudicium non illico pronunciavimus, rati supernae opis gratiam esse interea implorandam. Die vero sexto Idus Aprilis eiusdem anni MCM NOS pacis Hostia perlitata decreto ediximus, tuto procedi posse ad honores Beatorum Caelitum duobus Martyribus decernendos. Quae cum ita sint moti precibus Ordinis Karmelitarum Excalceatorum Nos Apostolica Nostra auctoritate harum litterarum vi facultatem facimus ut Ven. Servi Dei Dionysius a Nativitate ac Redemptus a Cruce Beatorum nomine in posterum nuncupentur et publicae fidelium venerationi proponi valeant eorum imagines radiis decoratae. Dein eadem auctoritate Nostra concedimus ut de iis recitetur quotannis Officium et Missa de communi Martyrum cum orationibus propriis a Nobis probatis iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas: eiusdem vero officii recitationem et missae fieri concedimus in omnibus ecclesiis quibus uterque utitur ordo Karmelitarum Excalceatorum et Calceatorum ab omnibus qui horas canonicas recitare teneantur. Demum concedimus ut solemnia Beatificationis dictorum Servorum Dei in templis supradictis celebrentur cum officio et missa duplicis maioris ritus quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinario designanda intra primum annum postquam eadem solemnia in Patriarchali Basilica Vaticana celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus ut harum litterarum exemplis etiam impressis manu Secretarii supradictae Congregationis subscriptis et sigillo Praefecti munitis eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur quae Nostrae voluntatis significationis hisce litteris ostensis haberetur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV Maii MCM Pontificatus Nostri Anno xxin.

L. * S. . . . .

ALOIS. CARD. MACCHI.

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

RATIO recipiendi abiurationes haereticorum, qui ad fidem se convertuntur.

Per responsum S. Congregationis datum Episcopo Bituntino die 2 Ianuarii 1669 (quod Decretum iuxta responsum a S. Officio die 21 Dec. 1895 Episcopis-Borussiae datum adhuc viget) declaratum est: posse Episcopos auctoritate ***ordinaria*** haereticos sponte comparentes in exteriore foro absolvere « post ***abiurationem iuridice*** factam ».

Diversae ultimis annis erant in hisce regionibus opiniones de huiusce clausulae vigore. Nam alii opinabantur praedictam Episcoporum ordinariam facultatem tunc tantum executioni posse mandari, quando modo iudiciali Episcopus procedit; sic ex. gr. unus ex Germaniae Ordinariis, vir in iure canonico peritissimus, litteris ad hanc Curiam missis sententiam suam esse exposuit, quod Episcopus hac ordinaria facultate uti volens debeat haereticum inducere ad abiurationem ***coram Notario et duobus testibus*** pronuntiandam. Quae opinio habet aliquod fundamentum in citato S. Officii Decreto, quippe quod poscit praecedere absolutioni abiurationem ***iuridice*** factam.

Sed eiusmodi iudicialis aut iuridica abiuratio nusquam in Germania in usu est. In regionibus acatholicis, ubi conversiones ad fidem saepius fiunt, nulla est copia Notariorum catholicorum. Accedit quod valde consultum est ut haereticis conversis ***modus*** abiurandi ***facilis*** et commodus reddatur et ut conversiones nullum strepitum vel admirationem excitent, quod fieret, si iudiciales aut iuridicae formae adhiberentur.

Hinc ubique locorum usus est, ut abiuratio erroris et fidei catholicae professio perficiatur coram parocho et uno teste, vel, si necessitas ita expostulat, coram solo parocho, sed semper ita, ut abiuratio in exteriori foro compareat et probari valeat. Idcirco abiuratio non tam actus iudicialis aut ***iuridicus,*** sed magis actus ***pastoralis*** officii censeri debet, sed semper validus etiam pro exteriori foro.

Quae cum ita sint, subscriptus Episcopus N. N., ut sensus citati Decreti non ansam praebeat dubiis, a Sacra Inquisitionis

Congregatione humillime petit, ut declaretur, num possit Episcopus *ordinaria* sua facultate absolvendi haereticos etiam tunc uti, si non fiat abiuratio in stricto sensu *iuridica*, sed coram solo sacerdote ab Episcopo delegato, aut coram tali sacerdote et teste.

Feria IV, die 28 Martii 1900.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, ab Emi s ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, omnibus rite diligenterque perpensis, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Respondeatur Episcopo ad mentem. Mens est quod abiuratio fieri potest coram quopiam ab Episcopo delegato ut notario et aliquibus personis uti testibus; et detur instructio 8 Aprilis 1786 ad Episcopum Limerieen.

Praefata instructio sic se habet : « Non est necesse ut qui « a catholica fide defecerunt, ad eamque postmodum reverti « cupiunt, publicam abiurationem praemittant, sed satis est ut « privatim coram paucis abiurent, dummodo tamen promissa « servent, ac revera abstineant communicare cum haereticis in « spiritualibus aut quidquam facere quod haeresis protestati- « vum sit. Idem sentiendum de iis qui haeresim, in qua usque « ab initio educati fuere, privatim abiurent ».

Sequenti vero feria VI, die 30 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSmo D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus relatione, SSmus Dnus responsionem Emorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius.*

DECRETUM, quo declaratur Sacerdotem Paulum Miraglia eiusque complicem incurrisse iterum in maiorem excommunicationem.

Feria IV. ***die*** *13* ***lumi*** *1900.*

Sacerdotem Paulum Miraglia e dioecesi Pactensi, sed in Piacentina degentem, ob plura eademque gravissima crimina atque immania scandala, quibus, incredibili audacia, atque obstinatione, Placèntinam Ecclesiam diu contristavit, Decreto huius Supremae Congregationis S. Officii lato feria IV. die 15 Aprilis 1896, praevia monitione canonica, a fidelium communione remotum fuisse, compertum est.

Cum tamen nihil is exinde melior effectus, sed in deteriora in dies proruens, eousque temeritatis ac pervicaciae novissime devenerit, ut ab haeretico viro Iosepho-Renato Vilatte, episcopalem characterem iactante, hunc in finem Placentiam arcessito, in Episcopum consecrari sacrilego ausu attentaverit atque episcopales vestes et insignia, perinde ac si verus Episcopus censendus foret, publice deferre non dubitaverit; haec eadem Suprema S. Officii Congregatio, ne tantum facinus impunitum maneat ac ne ex legitimae auctoritatis silentio scandalum fideles ultra patiantur, ipsum sacerdotem Paulum Miraglia eiusque complicem Iosephum Renatum Vilatte maiorem excommunicationem, ad normam Constitutionis « Apostolicae Sedis » Summo Pontifici speciali modo reservatam, iterum iterumque multiplici ex causa incurrisse, praesenti Decreto expressim declarat; fideles insimul graviter admonens, ut eos omnino devitent.

Datum Romae ex Aedibus S. Officii die, mense et anno supradictis.

I. Can. MANCINI .S. *B.* ***et U.*** *1.* ***Notarius***

EX S. C. NEGOTIIS ECCLES. EXTRAORDIN. PRAEPOSITA

Postulatum Patrum Concilii Plenarii Americae Latinae Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII exhibitum per Sacrorum Rituum Congregationem.

Beatissime Pater,

Archiepiscopi et Episcopi Americae Latinae, in Concilio Plenario congregati, instantissime postulant: Vt Sanctitas Vestra indulgentiam septem annorum concedere dignetur fidelibus Americae Latinae vel in America Latina commorantibus, qui sequentem orationem in honorem B. M. V. *Immaculatae cum invocatione Sanctorum ei Beatorum eiusdem Americae Latinae, a Sacra Bituum Congregatione approbandam, recitaverint*

GRATIARUM ACTIO ET PETITIO

PRO FIDELIBUS ET POPULIS AMERICAE LATINAE.

Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto, in saecula saeculorum. Amen.

Te Deum Patrem Ingenitum, Te Filium Unigenitum, Te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde confitemur, laudamus atque benedicimus : Tibi gloria in saecula : Tibi gratias in aeternum : confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis: salva nos et populos nostros.

Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus : Ipsi gloria et honor in saecula.

Cor Iesu sacratissimum, o Cor, voluptas coelitum, Cor, fida spes mortalium, Tui sumus, Tui esse volumus, salva nos et populos nostros; reconde nos in dulcissimo habitáculo caritatis tuae. Suavis enim es, Domine, et in aeternum misericordia tua.

Parce igitur, o Cor Iesu suavissimum, parce civitatibus nostris, quae in fide Ecclesiae tuae enutritae, verae fidei thesau-

rum, Te auctore, mirabiliter servarunt et contra omnis generis insidias custodierunt.

Suscipe ergo, o Cor Iesu sacratissimum, gratiarum actiones cleri et populi civitatum Americae Latinae, quae in abundantia beneficiorum tuorum salvae factae sunt.

O Beatissima Virgo Maria, ab originali labe praeservata, peramantissima Americae nostrae Latinae Patrona potentissima, sit Tibi etiam laus perennis, veneratio sempiterna, gratiarum actio in Christo Iesu.

O immaculata Mater nostra, o benignissima Mater nostra, o dulcissima et augustissima Regina nostra, misericordias tuas grato animo decantamus. Sub tuum praesidium confugimus. O Domina, quae rapis corda hominum dulcore, Tu rapuisti cor nostrum, Tu rapuisti corda populorum nostrorum, Tu primitias fidei nostrae, benignissima praesentia tua, suavissima protectione tua in Guadalupano (1) aliisque pietatis tuae monumentis per universas regiones nostras obfirmasti, amplificasti et confirmasti. O Domina nostra, o Mater nostra, quae serpentis caput virgineo pede contrivisti, libera populos nostros a venenatis impiorum et haereticorum iaculis; Tuque, quae Nutrix fuisti atque Educatrix populorum nostrorum in fide dilectissimi Filii tui, Tutrix etiam, Vindex et Propugnaculum esto. Tui sumus, Tui esse volumus; monstra Te esse matrem et patronam nostram, custodi nos, salva nos potentissimis precibus tuis.

Ioseph sanctissime, Deiparae Sponse castissime, qui Americae Latinae Protector semper extitisti dilectissimus, Tibi laus et veneratio in Christo Iesu.

Virginum Custos, quem laeta celebrant agmina coelitum, quem cuncti resonant christiadum chori, intercede pro nobis, suscipe corda nostra, dulcissimo Cordi Sponsae tuae Immaculatae perpetua donatione dicanda, donanda, tradenda.

Vos etiam invocamus, o Sancti et Beati, qui regiones nostras sanctissimis operationibus illustratis. Memento nostri, tu praesertim Thuribi beatissime, Antistitum et Synodalium Americae Latinae exemplar et ornamentum splendidissimum. Respice super nos, o Protomartyr noster Sancte Philippe a Iesu, qui in cruce exaltatus et glorificatus, praeconum Crucis Christi magister et excitator factus es.

(1) Hic addi potest nomen sanctuarii mariani in natione vel dioecesi celebrioris.

Intercedite pro nobis, o Quadraginta Martyres invictissimi, qui duce Beato Ignatio de Acevedo, Brasilianam gentem proprio sanguine Deo dicastis et consecrastis.

Orate pro nobis, inclyti Martyres Christi, Beati Bartholomaeo Gutiérrez, Bartholomaeo Laurel, Petre Zuñiga et LudoviceFlorez, qui coronam pretiosissimam sanctitatis Ecclesiarum Americae Latinae purpuratis margaritis illustrastis.

Patrocinium vestrum similiter invocamus, o Sancti Franciséé Solane, Petre Cia ver et Ludo vice Beltran, Americae nostrae Apostoli et Protectores, necnon Beati Sebastiane de Aparicio, Martine de Porres et Ioannes Massias, qui apostolicis virtutibus populum nostrum mirabiliter ad Christum traxistis.

Respicite super nos et orate pro nobis, vos etiam Virgines Christi, Sancta Rosa Limana, Americae nostrae Patrona, et Beata Maria Anna a Iesu, lilia candidissima et fulgentissima, quae mirabili virtutum flagrantia totam Americam Latinam delectases et sanctiflcastis.

O Cor Iesu sacratissimum, salvas fac Respublicas nostras, earumque Supremos Magistratus, gentesque nostras universas. Fac etiam, Domine, ut sint unum in unitate fidei, in amore propriae patriae, in zelo decoris et incolumitatis communis stirpis, totius scilicet Americae nostrae Latinae. O Maria Immaculata, Patrona et Tutamen nostrum, protege nos, salva nos, coniunge gentes nostras in amore propriae incolumitatis, unitatis et communis integritatis, in solemni professione catholicae fidei. Amen.

Cum vero eadem Sacra Rituum Congregatio, die 23 Martii 1900, rescripserit: « ***Quoad Sanctos nihil obstat ; quoad Beatos vero, attentis peculiaribus rei adiunctis, de speciali gratia concedi potest»;*** Sanctitas Sua benigne annuit per sequens Breve:

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Inter subsidia religionis, quae Venerabiles Fratres Americae Latinae Antistites in plenario eorum consilio, in hac alma Urbe Nostra superiore anno habito, peropportune excogitarunt', ut Catholica Fides in ea nobilissima regione magis magisque augeretur in dies, principem sane obtinent locum preces ad Deum, ad Deiparam Im-

maculatam et ad beatos Coelites, eos praesertim, qui sanctitate sua Americam illustrarunt, effundendae, quibus divinum auxilium pro iis fidelibus populisque ardenter imploratur. Piae huiusmodi preces a Sacra Nostra Congregatione ritibus tuendis approbatae, et quarum exemplar in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservatur, titulum habent « Gratiarum actio et petitio pro fidelibus et populis Americae Latinae », verbis incipiunt « Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto in saecula saeculorum — Amen », ac desinunt « in solemni professione catholicae fidei — Amen ». Quo igitur earumdem precum recitatio longe lateque evulgetur, atque in uberius animarum bonum cedat, Venerabilium praedictorum Fratrum votis obsecundantes, preces ipsas coelestibus Ecclesiae thesauris libenti quidem animo ditamus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus Americae Latinae vel in America Latina commorantibus, qui corde saltem contrito easdem, quas supra memoravimus, preces devote recitaverint, quo die id egerint, septem annos de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migrarunt, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris, servato vero tenore nuperrimae Constitutionis Nostrae de suspensione indulgentiarum hoc anno Iubilaei. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III Aprilis MDCCCC, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo tertio.

Pro Dno Card. MACCHI

NICOLAUS MARINI, ***Substitutus.***

Postulatum Patrum Concilii Plenarii Americae latinae Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae Xill per Sacram Congregationem Concili exhibitum.

Beatissime Pater,

Archiepiscopi et Episcopi Americae Latinae in Concilio Plenario congregati, attentis necessitatibus suarum Dioecesium, postulant: I. Ut, stante difficultate celebrationis concursuum, omnes Paroeciae titulo amovibili conferri possint; II. Ut Episcopi conferre possint absque concursu omnes Canonicatus de officio, quoties expediré iudicaverint.

Die 4 Maii 1900. -r S. Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, vigore facultatum sibi a SSmo Dno Nostro Leone PP. XIII specialiter tributarum, ad praemissas preces rescribendum censuit, prout sequitur:

Ad I — Designatis, ubicumque fieri poterit, a singulis Ordinariis in propria dioecesi nonnullis paroeciis principalioribus, quae sacerdotibus maturae aetatis, probatae vitae, non communi scientia et pietate praeditis, in titulum ad tramitem iuris de regula ordinaria conferantur, - pro gratia ad decennium ut ceterae omnes paroeciae, imo et superius recensitae, si adiuncta (prudenti Ordinarii iudicio aestimanda) id exigant, conferri possint absque concursu et ad nutum, salvis tamen privilegiis ab Apostolica Sede concessis, et cauto ut facultate transferendi aut removendi paroeciarum rectores, Episcopi nonnisi moderate et iusta causa utantur; onerata super hoc eorumdem Episcoporum conscientia.

Ad II —- pro gratia iuxta petita, ad decennium.

A. CARD. DI PIETRO, *Praefectus.*

f B. ARCHIEPISCOPUS NAZIANZENUS, *Secretarius.*

INSTRUCTIO circa Conventus Episcoporum Americae Latinae.

Illfhe ac Revme Domine.

Quum ad optimum ecclesiasticarum provinciarum regimen et ad fidelium aedificationem plurimum conferre perspectum sit sanctam Antistitum concordiam mutuamque consuetudinem, RRmi Patres Plenarii Concilii Latino-Americani, nuper in Urbe feliciter absoluti, per articulos 208 et 288, utilitatem et necessitatem agnoverunt consessuum episcopalium, qui iam pro ! Brasilia, per epistolam diei 2 Iulii a. 1894, a SSmo Domino Nostro LEONE divina providentia PAPA XIII fuerunt maxime commendati.

Porro Beatissimus Pater, cui summopere cordi est, ut uberrimi firmaque fructus ex praedicto Plenario Concilio capiantur, ad ipsorum episcopalium congressuum rationem aptius determinandam, haec quae sequuntur decernere, et universis Americae Latinae locorum Ordinariis significari statuit, videlicet:

I. Tertio quoque anno, crebrius etiam pro necessitate vel opportunitate, Episcopi omnes uniuscuiusque Ecclesiasticae provinciae conveniant, de communibus Ecclesiarum suarum negotiis coniunctim acturi.

II. Sedem primi conventus Metropolita designet: in posterum ipse Episcoporum coetus pro qualibet insequenti vice.

III. Episcopalem consessum Metropolita convocet et moderetur, et, in eius defectu, senior in ecclesiastica hierarchia. - Secretarii munere fungatur is, quem Episcopi suo suffragio designaverint.

IV. Congressuris ad deliberandum maxime proponantur opportunae rationes, quibus efficaciter eliminentur difficultates et excusationes quae contra religiosam observantiam omnium decretorum Concilii Plenarii produci contigerit; nec non ad fortiter et suaviter corrigendas negligentias in eadem observantia. Speciatim vero totis viribus curandum erit, ut efficaciter ad praxim ubique deducantur, quae in Concilio Plenario decreta sunt de Indorum ad fidem conversione et eorum institutione in christianis praeceptis et morum urbanitate. Agendum pariter erit, tum de assiduo indigenarum idiomatum studio sacerdotibus urgendo, ut ad salutare missionum opus habiles reddan-

tur; tum de infausta dilatione baptismi parvulorum, ruri vel in locis ubi deficiunt sacerdotes, degentium; tum de corrigenda parochorum negligentia quoad infirmos praesertim ruricolas Sacra Eucharistia reficiendus; demum de aliis id genus argumentis, quae ad Dei gloriam et salutem animarum provehendam necessaria vel utilia Episcopis, pro eorum zelo ác prudentia, videantur.

V. Propositiones et sententiae coetus Episcoporum, maxime vero graves difficultates quae in executione et observantia unius vel alterius decreti Concilii Plenarii occurrere possunt, ad notitiam Sanctae Sedis, sicuti par est, accurate deferantur, servata norma praescripta in articulo 995 eiusdem Plenarii Concilii.

VI. Acta huiusmodi consessuum episcopalium breviori qua fieri poterit forma redigantur; et si quae resolutiones vel praescriptiones clero vel fidelibus communicandae videantur, id per literas circulares vel per Epistolam pastoralem communem, concisa pariter forma exaratam, fieri poterit.

Plurimum autem confidit Sanctitas Sua, per Episcoporum omnium Americae Latinae concordem voluntatem et sollicitudinem, fructus laetabiles ex hisce congressionibus religioni et civitati, Deo iuvante, fauste obventuros.

Quae iussa et optata Beatissimi Patris, dum pro muneris mei officio significo Amplitudini Tuae Illmae ac Rmae, felicia omnia ac prospera a Domino adprecor

Romae, e Secretaria Status, die I[a] maii 1900.

addictissimus

M. CARD. RAMPOLLA.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MUTILANA

IURISPATRONATUS.

Die 27 Ianuarii i 900.

Sess. 25 cap. 9 De ref.

COMPENDIUM FACTI. Iulianus Ghetti Mutilanensis in supremo suo voluntatis elogio nuncupative edito ***die 26 Ianuarii 1628*** septem instituit canonicatus in Ecclesia S. Stephano Papae et Martyri dicata, tunc temporis Collegiata Insigni, modo vero ad Cathedrae dignitatem evecta per Litteras a Pio IX f. r. datas ***die 7 Iulii .1850.*** — Institutos a se canonicatus iussit testator omnes subesse iuri patronatus; atque ***activum*** ius patronatus concessit ***Priori*** - pro tempore - dictae Ecclesiae (qui Prior hodie in Cathedrali Ecclesia primam obtinet dignitatem); ***passivum*** vero ius patronatus dumtaxat quoad ***unum*** ex canonicatibus a se erectis, quoad illum nempe quem speciali reditu auxerat et titulo ***Praepositurae*** (hodie secundae dignitatis in Capitulo cathedrali) reservavit descendentibus ex familiis Ghetti expresse vocatis, nonnullis adiectis conditionibus, prouti sequitur : « iussit et mandavit semper creari debere unum de familia illorum de Ghetti s, videlicet in primo loco de domo Iulii, postea quondam Francisci, deinde Ioannis Fratrum ad invicem et filiorum quondam Ghetti de Ghettis et casu. quo in eorum familiis aliquis non sit, mandavit eligi de domo et familia Alexandri quondam Annibalis de dictio Ghettis, declarando quod idoneitas intelligatur dummodo habeat legitimam aetatem consequendi ordines minores, cum facultate faciendi celebrare missas ad quas vigore huius testamenti erit obligatus per alium, qui quidem Canonicus sit de Ghettis : eligendus debeat consequi dignitatem praepositi

et pro suis introitibus et portione sua habere debeat omnia bona dicti Testamenti, etc. ».

Executio testamentariae voluntatis videtur pacifice processisse usque ad annum 1858; quo anno cum ***die 7 maii*** per obitum Praepositi vacaverit Praepositura, Prior suo usus iure patronatus ***activo*** vacanti beneficio praesentavit Angelum Savelli canonicum, e familia Ghetti originem nullimode trahentem. Quapropter Petrus et Felix Ghetti descendentes per lineam masculinam e Ioanne Ghetti de Ghettis, tertio, a testatore vocato, ad Curiam Mutilanen. recursum habuerunt pro suo vindicando iure patronatus ***passiv o.*** Quaestio, pro iudiciali ordinatione legitime, uti videtur, inibi tunc vigente, delata est ad tribunal civile loci - ***Rocca S. Cassiano.*** - Inde prodiit sententia (quae appellatione non impeti ta in rem transiit iudicatam) ius patronatus ***passivum*** adiudicans actoribus Ghetti, quippe pertinentibus ad familiam iure patronatus donatam adversus praesentatum can. Savelli, contumacem, cuius praesentatio proinde irrita et inanis edicta fuit. Quo factum est ut Praepositura collata sit Iosepho Ghetti, Felicis filio ; qui tamen cum ante susceptos ordines sacros matrimonium inierit, e beneficio decidit. - Vacantem Praeposituram tunc obtinuit Antonius Ghetti, filius Assumpti, fratris germani Felicis, nempe patris Iosephi qui Praeposituram ante assecutus erat.

Die 24 octobris 1897 Antonius Ghetti Praepositus diem obiit supremum ; quamobrem Prior, Patronus, Praesuli Mutilanen. praesentavit pro canonica institutione in vacantem dignitatem, Umbertum Ghetti clericum, Augusti Ghetti et Ginevrae Mazzotti filium, in aetate 24 annorum constitutum, nepotem ***ex fratre*** Praepositi, proxime defuncti. - At evulgata per edictum ad Ecclesiae valvas affixum, praesentatione dicti clerici Umberti, extemplo contradixit et excepit apud curiam Episcopalem Maria vidua Iosepho Ghetti quae in oppido - ***Rocca S. Cassiano*** - stabilem habet commorationem pro suo filio Alberto, cuius adhuc minoris, ***quinque*** et ***decem*** annos nati, tutelam agit. - Mater iam Patronum

TOgaverat, ut suum filium praesentare^ quippe non secus •ac Umbertum Ghetti a Ioanne Ghetti de Ghettis a testatore, tertio loco vocato, descendentem et in ea aetate constitu- "tutum, ut cavet testator, ***legitima ad consequendos ordines minores.*** Praeterea Albertus a stipite Ioanne Ghetti eodem -gradu distat ac Umbertus, clericus praesentatus, quippe avus Alberti, Félix, erat germanus frater Assumpti Ghetti; .avi nimirum Umberti Ghetti, qui a Patrono praesentatus fuit. - Mater sui filii idoneitatem asseruit ad beneficium vacans, proferens documenta quibus comprobantur illius docile ingenium, profectus in scholis et spectatissimi mores; asseruit autem mater pro filio ius ***passivum*** ad beneficium patronatum deducens sententiam prolatam a Tribunali loci ***- Rocca S. Cassiano - die 30 Iul. 1859,*** qua Ioseph Ghetti, pater Alberti, idem ***ius*** sibi asseruit adversus extraneum praesentatum, can. Savelli. Re sane vera haec sententia ad rem nostram non aliter spectat quam ad probandam originem contradictorum a communi stipite Ghetti, testatore; sed hodie alia agitatur quaestio, siquidem Albertus non agit adversus extraneum, sed suum consanguineum a beneficio patronato removere contendit, ut sibi fiat locus.

Curia Mutilanen. non reiecit Alberti instantiam, quandoquidem statui clericali habilem, imo valde idoneum reperiri Albertum eumdemque iuvenem optimae spei; sed potissimum quia dubitandi ratio suborta est circa voluntatem testatoris qui in themate videretur favere Alberto. - Etenim animadversum fuit, testatorem suis tabulis primo vocasse tres familias, usque iussit ***alternis*** vicibus iure patronatus ***passivo*** fruituras fore. Nam « ***iussit et mandavit semper creari debere unum de familia illorum de Ghettis, videlicet in primo loco de domo Iulii, postea quondam Francisci, deinde Ioannis Fratrum ad invicem et filiorum quondam Ghetti de Ghettis*** ». Quaesitum inde est, an haec ***alternativa*** vocatio servanda aeque sit in singulis familiis non aliter ac servanda erat inter Stirpes primo vocatas. - Si hoc admittatur, hac vice praesentatio ad Albertum specta-

ret, reiecto Umberto ; quum Antonius Ghetti, novissimus Praepositus, filius esset Assumpti Ghetti, avi Umberti clerici praesentati, quare modo ad familiam Felicis (fratris Assumpti) avi Alberti rediret fruitio iuris ***passivi*** patronatus.

Haec in ***meritum*** quaestionis. - In concreto autem Curia vehementer dubitat de idoneitate Umberti praesentati ad vacantem Praeposituram. Istum enim iam a pluribus annis habitu clericali et tonsura insignitum et viginti et quatuor annos iam natum esse dignum qui canonica institutione donetur ad beneficium obtinendum, secundam dignitatem in Capitulo cathedrali, dubitare videtur Curia.

Quocirca duo visa sunt esse proponenda dubia de hac controversia, quam ipsa curia omni sub aspectu remissam voluit prudentissimo iudicio S. C. C. Primo quaeritur « ***An alternativa a testatore praescripta quoad ius patronatus passivum inter tres familiarum stipites primo vocatos aeque servari debeat inter familias ortas ab uno stipite expresse vocato in casu*** ». Quatenus vero ***negative*** respondeatur ; ***secundo*** quaeritur « ***An praesentatio facta admittenda sit in, casu ».***

Quoad ***primam*** quaestionem advertendum est sane in. dubium vocari non posse tres fratres Ghetti a testatore ad ius ***passivum*** patronatus vocatos fuisse ordine ***alterno; iussit enim et mandavit semper creari debere unum de familia illorum de Ghettis, videlicet in primo loco de domo Iulii;-postea quondam Francisci, deinde Ioannis fratrum ad invicem*** ». Verba equidem sunt adeo clara et perspicua ut nulla indigeant interpretatione iuxta effatum quod per ora volitat pragmaticorum « ***verba clara non admittunt interpretationem, nec voluntatis coniecturam ».***

Hodie contradictores se exhibent in hac controversia ii dumtaxat qui ab uno ex vocatis a testatore fratribus originem ducunt, nimirum a Ioanne, ex actis autem non constat, an duae reliquae familiae, nempe Iulii et Francisci, -aeque a testatore expresse vocatae extinctae sint aut nul-

lum habeant virum habilem aut idoneum qui frui valeat aut cupiat iure patronatus ***passivo.*** - Hoc etiam advertit Ouria in suis litteris informati vis. - Quae cum ita se habeant, iam status quaestionis in aprico est. Agitur ergo non de interpretandis ipsis verbis, quibus usus est testator, sed de scrutanda et inquirenda penitius ***voluntate et intentione*** testatoris, ut pateat an locus sit extensioni seu prorogationi voluntatis de uno casu ad alium. Namque testator nihil cavit de ratione et ordine, quo a patrono ***activo*** vocari deberent descendentes ex tribus designatis familiis, utrum nempe attentis diversis lineis ab unico stipite descendentibus, alternis vicibus singulae lineae cuiusque stipitis 'ius haberent ad ius patronatus ***passivum*** non secus ac alternis vicibus eiusmodi ius concessum fuit expresse a testatore tribus familiis ab initio vocatis. Unde inquirendum est an haec «extensio voluntatis de uno casu ad alium sit consentanea legitimis iuris regulis et an admitti possit quin praeiudicium inferatur certo et quaesito iuri Patroni ***activo.***

Disceptatio Synoptica

In propositum interpretandi testatoris voluntatem hae traduntur regulae a Doctoribus communiter. Mascardi in ***I. III, de probat. Conci. 1136*** sic scribit: « Quod nominatim a testatore non est expressum, debet praesumi consulto omissum, nec habendum esse,pro expresso : etenim ipse testator non praesumitur aliud velle, quam quod verbis expressit : qui etiam si stricte loquitur, stricte est intelligendus : praesertim cum non dicatur in testamento expressum, quod eo lecto non reperitur: quod enim testator, non loquitur nec velle praesumitur, nec voluntas in corde retenta consideratur. Cuius rei illa potest afferri ratio, etenim testamento morte testatoris confirmato, nemo potest quidquam •addere vel illud mutare : quia lex dicit, uti scriptum est, ita ius esto: sed eius tenor ad unguem est observandus ».

Et ***Conci. 1280, n. 8*** advertit: «dispositio testatoris pro lege debet observari, sicut lex ipsa non intelligitur esse

correcta nisi specialiter exprimatur, ita etiam voluntas testatoris non debet intelligi mutata et revocata, nisi hoc manifestum sit, saltem legitimis coniecturis ». Insuper' ***Conci. 1416, n. 20*** haec addit: «Tempus conditi testamenti inspici debet, quia, quod eo tempore voluit testator semper velle praesumitur ».

Card. De Luca in Opere « ***Theatrum veritatis et iustitiae*** », in libro ***de Fideic. disc. 39, n. 7,*** haec tradit: « ubi testator non dixit, nos dicere neque supplere debemus, nisi gravia urgeant adminicula: ex recepto principio, ut quoties coniecturata voluntas non urget, non detur extensio dispositionis de casu ad casum ». Et infra, ***Disc. 117, n. 8*** adnotat : « Ad metiendam disponentis voluntatem attendendum non est tempus praesens in quo successionis tempus aperitur, et quid interim casus praebuerit, sed attendendus est status rerum de tempore testamenti et quid testator cogitaverit seu voluerit ».

Quae regulae, et aliae permultae, generatim sic traditae, suas quoque, singulae, patiuntur exceptiones ab ipsis auctoribus ulterius relatas. Ita idem Mascardi ***Conci. 1136*** limitationem addit ***n. 8:*** « Limitanda est conclusio, ut locum sibi non vindicet, quando verisimile esset, quod si testator de casu omisso cogitasset, idem quoque de eo disposuisset, nam tunc casus omissus, non praesumitur consulta omissus, et dispositio testatoris porrigeretur ad casum ab ipso non cogitatum, nec in testamento expressum ». Et ***n. 16.*** « Limitatur conclusio ut vera non sit, ubi testator unum casum expressit, verisimiliter existimans alium non esse eventurum : alioquin illum etiam expressisset ; tuné enim non praesumitur hunc consulto omisisse : hinc fit ut testator eum casum expressisset, qui ut plurimum evenire consueverit, non sit praesumendus illum velle excludere, in quo subest eadem ratio et sequitur idem effectus ». Et ***Conci. 1416, n. 21.*** « Limitatur conclusio ut procedat rebus sic stantibus, sed si nova causa superveniret, voluntas mutata praesumitur ».

Et Card. De Luca, ***de Fideic. disc. 115, n. 9 et 10,*** docet quod prohibitio extensionis voluntatis de casu ad casum et de persona ad personam, ex rationis identitate aliisque coniecturis limitatur, quando casus vel persona ad quam fiat extensio potest sub dispositione aliquo modo comprehendi seu contineri, ita ut non dicatur casus certitudinaliter novus ac omissus. « Idemque de alia regula prohibitiva suppletionis, quoniam cum voluntati magis quam verbis inservire debeamus, atque saepius contingat testatores mortis cogitatione turbatos, aut morbi vi oppressos, minus dicere vel scribere quam velint, idcirco intrat quoque legis suppletio vel sub intellectus, qui magis intentionem quam extensionem importat ». Quas regulas et regularum limitationes et De Luca et passim Auctores comprobant per Rotae Decisiones.

In themate istae regulae probe intellectae sane videntur persuadere non esse locum extensioni voluntatis de casu expresso ad casum non expressum. Nam verba a testatore usurpata in conficiendo legato, dum ex una parte aperte constituunt iuspatronatus passivum gentilitium inter tres vocatas familias Ghetti cum ordine alternativo inter ipsas : ex alia parte non minus indubie insinuant intentionem ipsiusmet vero testatoris in hac liberalitate elargienda. Duo siquidem, sano iudicio, voluit Iulianus in desuper relata donatione. Primo, scilicet, suis de familia benefacere per concessionem iuris patronatus passivi. Secundo vero, cum de eius familia extarent tres stipites, quos pari ratione vocare ad beneficium optabat, et cum illimitata patroni activi in eligendo libertas, dum uni nimium favere, aliis tamen negationem iuris afferre potuisset, hinc prudens mandatum de ***alternativa*** reservanda in praesentandis viris ex uno vel ex alio stipite ortis. Attamen, si ex una parte ista nimia patroni libertas, testatoris praescriptione, ad honestos terminos est quodammodo coarctata; ex alio tamen non ita est sublata et veluti ad nihilum redacta, ut inane prorsus censeatur iuspatronatus ***activum.***

Nam, sapiens testatoris consilium si Patroni ius ob alternativam optima de ratione limitat, in illius (patroni) tamen arbitrio relinquit electionem inter lineas a singulo stipite progenitas : quod clare et aperte deducitur ex verbis ipsius legati : « iussit et mandavit, semper creari debere ***unum de familia*** etc.». Quid sibi velit haec formula, a iuristis explicatur prouti docet Card. De Luca ***De Fideic. disc. 33, 55,*** nempe Patronus, licet non habeat liberam voluntatem seu facultatem ad certum genus seu certum modum restrictam, adhuc tamen habet arbitrium seu facultatem intra ***generis*** personas praelegendi, atque ita unum vel plures gratificandi, alios vero excludendi, iuxta materiam textus cum ibi notatis in ***I. Unum ex familia ff. de legatis secundo.*** Quae lex in § 2 ait: « ***Itaque si quum forte tres ex familia essent eius qui fideicommissum reliquit eodem vel dispari gradu, satis erit*** (id est : indifferens est) ***uni reliquisse; nam postquam paritum est voluntati ceteri conditione deficiunt*** ». Et idem De Luca ***in I. de Iurep. disc. 45, n. 3,*** ait: « Ubi lex fundationis in iure passivo non vocet gradum proximiorem, sed solum mandat praesentari aliquem de parentela vel de certo genere tunc habens facultatem praesentandi, fundationis legem recte implesse dicitur praesentando unum de genere, cum sufficit non egredi genus definitum, iuxta dispositionem per textum ***in I. Unum de familia ff. de legatis secundo ».*** Ferraris ***in Biblioth. Can. vox familia n. 32:*** « Cum fundator in iurepatron. passivo vocaverit, illos de parentela in genere, censetur reliquisse patrono libertatem eligendo quemcumque voluerit, non attento gradu proximioris vel remotioris ». Quod idem .auctor comprobat verbis relatis Card. De Luca.

Ast aliquis ad vertet, rerum statum hodie magnopere mutatum, quia de tribus expresse vocatis familiis una tantum adhuc vigere videtur. Non enim admitti potest, descendentes ex Iulio et Francisco Ghetti primo et secundo loco in testamento designatis ita facile nuntium misisse

locupleti iuri patronatus ***passivo,*** si revera inter vivos existèrent, hodie praesertim, in tanto rerum publicarum discrimine ; in tam acri lucta qua cives urgentur ad sibi comparanda vitae sustentationi necessaria. Ergo dicendum est, has familias penitus extinctas fuisse. Qua de causa ne in irritum cedat voluntas testatoris, quoad ***alternativam*** servandam, haec locum habere debet inter diversas lineas unius superstitis familiae.

Verum ex ipsa enunciata difficultate statim in mentem recurrit axioma « ***ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*** »; obligationes autem contractuales, et legata et munera quae suscipiuntur in adeundis hereditatibus comparari legibus quoad modum inducendae obligationis, nos docet ***regula 85 in 6:*** « ***Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*** ». Et iure merito: nam uti leges si nimis subtiliter velint intelligi et explicari et interpretatione vel ***extensiva*** vel ***restrictiva*** affici, penitus convelluntur, ita etiam obligationes testamentariae et contractuales intelligendae et exequendae sunt iuxta naturalem sensum verborum; et extensio vel restrictio naturalis significationis, nempe ***epicheia,*** facienda non est nisi secus sequatur absurdum.

In themate autem sequi videtur absurda interpretatio si admittatur extensio ***alternativas*** de uno casu ad alium. Etenim nihil est in iure tam praedicatum quam ***quod per speciem derogatur generi.*** Nimirum quum expresse et ***taxative*** posita est quaedam ***species*** limitationis quoad unum casum, excluditur ***generalis*** limitatio quoad alios casus, non expressos, adeo ut extensio de uno casu ad alium sit tantum iuridice possibilis quando posita est quaedam limitatio ***generalis*** quae afficere potest omnes usus, sed ista per naturalem rerum evolutionem, antea uni postea alteri casui et facti speciei applicari contingit. Ita intelligendae sunt ***limitationes*** positae a doctoribus circa regulam supra enunciatam, seu quod extensio de uno casu ad alium non admittitur. Unde docet De Luca ***De fideicommiss. D. 115.***

n. 11, advertens: « Ideoque totum potius videtur facti quam iuris, omnino certam ac determinatam regulam non habens, ***nisi quoties in casu mere obscurae et ambiguae voluntatis cum solis regulis et propositionibus generalibus procedere oportet;*** secus ***autem ubi specialia magis urgeant quae semper huiusmodi generalibus praevalere debent*** ». Itaque specialis limitatio posita ***taxative*** quoad primo vocatas familias a testatore, excludit ***generalem*** limitationem quoad diversas familias ex singulis stipitibus orituras.

Hanc interpretationem mirifice confirmat consuetudo, optima legum interpres. Nam in executione huius legati, casus qui hodie controvertitur sane pluries usuvenit, sed nemo hominum unquam contendit huiusmodi limitationem inducere quoad ius praesentationis. - Postremo etiam tempore quum tribunal loci - ***Rocca S. Cassiano*** - ius ***passivum*** vindicavit familiae Ghetti e Ioanne originem trahenti, duo ex hac familia instabant pro huiusmodi iure ; nihilominus de ***alternativa*** inter ipsos servanda, neque iudicibus usque actoribus ne in mentem quidem venit. - Neque haec instantia unquam mota fuit; secus monumenta existèrent vel concordiae initae inter contendentes vel sententiae iudiciales.

Equidem si versaremur in casu dubio, nemini latet observantiam tot annorum spatio continuatam, vim continere legitimae consuetudinis. Ita Menoch. ***Cons. 104, n. 13:*** « Interpretatio sumpta ab observantia valet et est probabilis ». Et ***Cons. 148, n. 36:*** « interpretatio illa vera, quae a practica sumitur ». Et ***in I. minime 23 ff. de legibus:*** « interpretatio a consuetudine approbata optima est ». Card. De Luca ***in I. de Legatis disc. 56, n. 10*** ait: « Nimium quoque confert vehemens adminiculum subsequutae observantiae longaevae spatio ann. 12: (legati videlicet) quae in omnibus ambiguis est optima interpres, ac interpretationum regina : et ultra generalia nota, in specialibus terminis interpretandi legati veritatem ac substantiam ob subsequutum eius implementum... firmatur in ***Rom. legati 28 ia-***

nuarìì .1658 coram Celso inter suas decis. n. 271 ». - Quod si e contra in re clara versamur, uti verba legati nos bene edocent, tunc observantia in casu, potius quam interpretari voluntatem, cum in claris interpretatio non intret, potius quamcumque actionem praescribit : ipso Emo Card. De Luca diserte testante, ***in I. de Canon. disc. 2, n. 7:*** « Interpretatio cadit in ambiguis ac omnino dubiis, secus autem in claris, in quibus non cadit terminus interpretationis: ***ideoque tali casu observantia non dicitur interpretativa, sed praescriptiva indigens requisitis necessariis ad formalem praescriptionem, iuxta receptissimam distinctionem, de qua decis. 319 p. 6 rec.*** ». Quapropter, omni sub aspectu, instantia ***de servanda alternativa*** inter diversas lineas unius familiae expresse a testatore vocatae reiicienda videtur.

Re sane vera admisso etiam quod de re dubia in praesentiarum agatur, neque continuam observantiam rem extra dubitationis aleam posuisse, nihilo secius non desunt iuris certa principia, quae hac in re ad legitimam quaestionis expeditionem nos manuducant. Nam ex ***reg. 30 Iuris in 6: « In obscuris minimum est sequendum*** » ; sed illud tenendum est quod minimum infert praeiudicium, aut legibus certis aut iuribus certe quaesitis. Iamvero in themate ius certe quaesitum sibi vindicat patronus, qui ius habet praesentandi ***unum de familia illorum de Ghettis;*** quod ius ei auferre aut prohibere a libero exercitio non licet nisi certa obiiciatur limitatio aut prohibitio a testatore statuta. Neque per simplices dubitandi rationes etsi aliquo fundamento innixas exturbari potest pacifica possessio tanto tempore continuata a patrono quoad liberum exercitium praesentandi ***unum*** de familia Ghetti, dummodo trahat originem a fratribus Ghetti a testatore vocatis et inter hos servato ordine ***alternativo;*** quandoquidem ***reg. 65 Iuris in 6*** statuit: « ***In pari causa melior est conditio possidentis*** »; ergo multo magis in ***dubiis et obscuris.***

Superest modo ut aliquid disseratur de secundo dubio ; ***an nempe facta praesentatio admittenda sit.*** - Si enim ***ne-***

gativum prodeat responsum, in controversiam venit ipsa praesentatio. Haec enim ut valeat nonnullis respondere debet conditionibus. Patrono enim praesentare, docet Reiffenstuel ***in lib. III, De iur. pat. Tit. 38, n. 67:*** « id ei taliter competere, ut si clericum ***idoneum*** praesentat, Episcopus vel alius ad quem institutio spectat, eum admittere et in beneficio instituere tenetur, communis ac certa est ». Et infra ***n. 71:*** « ad Beneficium praesentari nullus potest, nisi tempore praesentationis sit dignus et habilis, i. e. habens omnes debitas qualitates, et carens qualitate, inhabilem aut indignum reddente ».

Quis autem dignus ad beneficia censeatur ex Doctoribus colligi potest, a quibus dignus censetur is, « in quo nulla qualitas vel ex natura officii ecclesiastici vel iure communi vel iure speciali sive vi fundationis, sive privilegii, sive consuetudinis, sive statuti requisita vere deest ». ***Schmalz, h. t. n. 168 sq. cum communi.***

Quare Episcopus, his et aliis regulis prae oculis habitis pro suo arbitrio et conscientia iudicet an admittere debeat vel iure reiicere possit clericum a patrono praesentatum.

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An alternativa a testatore praescripta quoad ius patronatus passivum inter tres familiarum stipites primo vocatos aeque servari debeat inter familias ortas ab uno stipite expresse vocato in casu.***

Et quatenus, negative.

II. ***An praesentatio facta admittenda sit in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 27 Ianuarii 1900 censuit respondere: Ad I. ***Negative-,*** Ad II. ***Utatur iure suo.***

BURGEN.

RESIDENTIAE

Die 27 Ianuarii et 7 Aprilis 1900.

Sess. 24 cap. 2 De Ref.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Ioseph Madrid Manso, qui canonicatum obtinebat in Ecclesia Cathedrali Palentina, hoc dimisso, in Ecclesia Cathedrali Burgen, aliam assecutus est ab a. 1896 praebendam canonicalem. At Canonicus Madrid qui non bona, ut fertur, utebatur valetudine dum Palentiae morabatur, in civitate Burgen, suum morbum ingravescere persentiit ob adversum aer, uti videtur. Medici referunt illum laborare morbo - ***gastro intestinale.*** - Nihilominus duos annos moratus est Burgis, nempe usque ad a. 1898, quo deliberavit alio se conferre non amplius reversurus et interim animum adiecit ad permutandum suum beneficium. Quod perficere valuit et hodie Palentiae alia fruitur praebenda canonicali.

Sed adhuc superest quaestio Canonicum Madrid inter et Burgenses canonicos quoad tempus quo iste Burgense beneficium retinuit; quum hic ob causam infirmitatis se aliquo tempore coactum fuisse non residere asserat, hoc autem negent Canonici; qui proinde Madrid fructibus beneficialibus privarunt. - Hos modo repetit Madrid; en controversiae materia.

In propositum haec referenda sunt. - Die 14 Octob. 1897 ut tempore uteretur vacationum ad 5 menses in isto capitulo concessarum, a civitate Burgen, discedit Madrid, gravi affectus morbo et Palentiam se contulit apud suum fratrem. - Quum adhuc Palentiae moraretur et sensim a sua infirmitate canonicus Madrid se reciperet, praesertim consilio medicorum, qui infirmitatem asserebant Burgis potissimum contractam fuisse et ibi ingravescere ob adversum aer ***die 3 Deo. 1897*** recursum habuit ad S. C. C. ut indultum ei tribueretur absentiae a choro et a loco residentiae propter infirmitatem. Archiepiscopus secundum edidit votum, sed

abscisse contrarium edidit Capitulum ; quare S. C." C. die 23 Maii 1898 rescripsit - ***Non expedire.*** - At iterum institit canonicus.

Interea has dabat medicorum attestationes, redditas a lingua Hispanica in Latinam. - Dominicus Epiphanius Gómez Población in facultate medica et chirurgica licentiatos haec retulit:

« Fidem do, et iuramentum si forte necessarium evaderet, praemitto : quod dominus Iosephus Madrid Manso Sanctae Ecclesiae Metropolitanae Burginensis Canonicus, eo manente hac in civitate Palentiae, congruenti fruebatur habituali valetudine, sed ad praesens tempus, cum ad canonicatum evectus fuerit, et in locum quod nunc occupat transierit, quaedam inordinationes - ***gastro-intestinali,*** - habituales in ipso aegro tan te initium ceperunt.

« Infirmitas haec ab initio medelam habebat cum accideret in hunc locum aegroti residentiae traslatio ; iam vero cum infirmus pene convaluerit, statim ac in canonicatus residentiam rediret et illic denuo acriori modo eo infirmitas recrudescebat ac magis magisque omnia medicamenta efiugebat. Infirmitatem huiusmodi certum est iam nunc pervenisse in gravem statum, ***veram*** efformantem ***dispepsia gastro-intestinale,*** quam infrascriptus ali et augeri ab aquis illius loci proprii censet, qua ex ratione plerumque eum admonui ut Burgis manere, minus per tempus quod esse possit, curaret ; et nunc revera fidem modo solemniori praesto, minime ei expedire, residentiam loco supradicto, nonnisi serio statum normalis propriae valetudinis detorquendo ; et in quorum fidem, ut ubiquumque sit valeat, has praesentes subscribo. Palentiae die tertio Augusti, anno millesimo octingentesimo nonagésimo septimo » .

Dominus Perfectus Ruiz Lopez, Hospitalis Burgensis Medicus haec retulit :

« Fidem do et iuramentum, si forte necessarium evaderet, praemitto: Quod Dominus Iosephus Madrid Manso, huius Sanctae Ecclesiae Metropolitanae Canonicus, iam a no-

tabili tempore, morbum ***catarro-g astro-intestinali*** patitur, cuius manifestationes magis vel minus frequentes, repetuntur, sed idipsum characterem semper exhibentes, quae perfacile expellerentur dum statim residentiam mutaret aegrotans, et rediret Palentiam, ubi aliquoties permansit, et ibi morbum patiebatur eumdem, at non continuo, sed aliquo dierum limitato intervallo; iam vero, ad praesens tempus, ea infirmitas intestinalis intensiori adaugetur modo et communes ei evadunt malae digestiones ; at, cum hic morbus chronicam formam inducere in patiente posset, gravibus etiam subsequentibus effectibus, ad memoriam revocamus ut inter causas vere efficaces et certe producentes gastricum fluxum ob deordinationem inervationis vasomotricis, locum praecipuum quidem tenent quae ex athmospherico influxu proveniunt propter pressionem quam frigus efficit efficacem contra ventrem-stomachum, quibus causis adiungere aliam non minus notam ac praecipuam est necesse, quae effluit ex potione aquarum, quarum influxus notabili modo afficit subiectos cum aquae supradictae incommode élaborent quaecumque in stomacho immissa nutrimenta, conservent atque quamdam praedispositionem morbidam, ubi ea est, augeant ; porro praehabita consideratione eius quod morbitas haec, ita efformata ***dispepsia,*** connectionem plerumque invenit quando eius protogenica mutetur conditio, et, e contra, gravitas adaugetur et recrudescit cum eaedem causae quae eam prodierunt, persistant, infrascriptus ad vitandos ulteriores morbos et effectus graviores, pro necessitate absoluta censet supradictum Dominum mutare residentiam et civitatem in qua vivit, temporaliter relinquere, ut sic accuratim sanitatem propriam attingat.

« In quorum fidem, ut quocumque sit valeat, has praesentes subscribo litteras propria manu, Burgis die decimo secundo Augusti, anno millesimo octingentesimo nonagésimo septimo ».

Firminus Lopez in facultate medica et chirurgica doctor haec testatus est:

« Fidem do: quod die infranotato ad conferentiam medicam accedi celebrandam cum Domino Epiphanio Gomez Población in ipsa facultate Medica Doctore, circa illum quem patitur morbum, notabili abhinc tempore, eius cliens Dominus Iosephus Madrid Manso huius Sanctae Ecclesiae Metropolitanae Burginensis Canonicus. Pro clynica historia aegroti atque experimento in ipso facto, et post attentum interrogativum examen, causam infirmitatis determinati vam ab eo passam ***catarro gastro-intestinale*** nullam aliam nisi residentiam Burgis esse apprime censeo et absque dubio puto, cuius frigidum clima statum modo aegroti patològicum determinavit. Qua de causa, et medici clientis dictamini proprium dictamen adiunxi et ambobus bene visum fuit, medicum aegri praebendi consilium ut Burgis minime resideret; certum est enim et sufficienter probatum residentiam hanc esse quidem eius noxiam valetudini.

« In quorum fidem, ut quocumque sit valeat, has praesentes dedi litteras manu propria subscriptas, papiro infrascriptae classis - Palentiae die decimo quinto Decembris, anno millesimo octingentesimo nonagésimo octavo ».

Nonnulli Medici Chirurgici Burgenses testati sunt prouti sequitur:

« Fidem damus: quod varias per vices, intervallo temporis distincto, facultativa praebuimus auxilia Domino Iosepho Madrid, huius Metropolitanae Ecclesiae Canonico, eo quod frequentim ***dispepsia gastro-intestinale*** quidem patiatur, cui sunt concomitantes dolores, crebrae et superabundantes intestinorum laxationes bilioso ex charactere necnon permale digestae nutritiones; et requidemvera, nullum adest efficax his in similibus praestitum remedium quod adhibitum non fuerit, absque exitu tamen semper evasit, semperque medio antipatologico resistit ; tantummodo, e contra, aegrotus a supradicta extitit infirmitate immunis, cum in aliam civitatem pergeret, et quamdiu ibique maneret ; sed in pristinum statum dolores, una cum phoenomenis ipsius characteris, redierunt quum aeger in civitatem propriae resi-

dentiae rediret; his ergo praepositis, nullum remanet dubium quod patologica infirmitas aegroti ab statu clymatologico pendeat huiusce civitatis, sive aquas perpendamus, sive nutrimenta consideremus, quorum influxum praxis patefacit.

« Hoc exposito, medicis benevisum fuit, medicum praebendi consilium Domino Iosepho Madrid ut, cum possibile esset, domicilium transferre ac residentiam alium in locum definitive faveret, si ulteriores vel longe graviores aut funestas consequentias vitare vellet.

« In quorum fidem, ut quocumque sit valeat, has praesentes manu nostra subscriptas dedimus litteras, Burgis, die vigesimo sexto decembris, anno millesimo octingentesimo nonagésimo octavo ».

Epiphanius Gómez Población Doctor Palentiae medicum agens, haec retulit :

« Fidem do : quod Dominus Iosephus Madrid Manso, Sanctae Ecclesiae Metropolitanae Burgiensis Canonicus, cui decem abhinc annos, facultativam praebeo assistentiam, congruenti fruebatur valetudine ad usque fuit in canonicatum cooptatus ; quo in tempore, quadriennium abhinc iam dudum peractum, coactus fuit, canonicatus gratia, Burgos domicilium transferre. Post exiguum commorationis tempus ipse passus frequentius fuit dolores quosdam ***gastro-intestinali*** quos terapeutica praxis a medicis illic existentibus adhibita corrigere et vitare haud potuit; unde inductus necessitate in hunc rediit locum, et perfacile hic a tam gravi dolore fuit non multos dies post liber et consuetam adeptus est valetudinem.

« Hoc idipsum, toties quoties canonicatus in residentiam pergat hic Dominus, repetitum certum est haberi : medio anni delapsi tempore morbus in gravem eiFervescebat modum; quum Burgis maneret Madrid adeo ut eum admonuerim, hac gravitate fretus, nullo hac in residentia modo ipsum permanere posse quia infirmitatis, tunc conversae in ***dispepsia gastro-intestinale,*** causam esse, climatológicas dis-

positiones **illius** civitatis, evidentius patebat. Ad praesens usque tempus, postquam Madrid ad tempus longum hac in civitate permaneret, dolores ipsi ***gastro-intestinales*** repetiti quidem fuere in alio atque alio itinere in Burgos peracto, quorum aliud, mense Februarii exeunte, et aliud Novembris mense fieri vidimus, quod revera supradictum confirmat ; et meo quidem iudicio, compatibiles minime esse possunt status valetudinis aegroti ac eius residentia Burgis, praeter damnum quod certe gravissimum ei accidere queat.

« Palentiae die decimo quinto Decembris, anno millesimo octingentesimo nonagésimo octavo >.

Inter controversiae moras, Canonicus Madrid assecutus est Beneficium in Ecclesia Palentina uti refert Archiepiscopus litteris ***diei 8 Aprilis 1899.***

Quia Madrid legem residentiae servavit annis 1896-1897, fructibus privatus fuit ob defectum residentiae a. 1898. Ad quamnam summam pertingant isti fructus quos repetit orator, quos negant canonici, non significatur ***in actis.*** In propositum haec habet in litteris ***diei 8 Aprilis 1899*** Archiepiscopus :

« Praxis huius Capituli est, scripto consignata, quam laudabilem puto, ut nihil omnino percipiat, diebus illis quibus non residet, qui septem et amplius menses a choro in anno abierit, atque ut ceteris diebus fructus integros capiat. Sed neque in Statutis huius Ecclesiae, neque in regulis chori exprimitur quibus usibus applicanda sit pecunia quam absens non facit suam ; nec praxis circa hoc fuit semper eadem : nunc vero, quin me quidem consulerent, canonici inter se aequaliter pecuniae summam, quae Domino Iosepho Madrid tradenda non erat, distribuerunt. Hanc tamen pauperibus loci vel Fabricae Ecclesiae impertiendam fuisse, distributionibus quotidianis exceptis, Concilii Tridentini spiritui congruentius existimo ».

Archiepiscopus instantiae Oratoris asserentis tam gravem infirmitatem addidit « ***vera..sunt exposita ».***

Capitulum vero in suo voto docet, sibi viritim tribuisse

fructus omnes beneficíales, quibus privatus fuit Madrid, ita ferente capituli consuetudine.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO CANONICI MADRID. Instantiam Canonici Madrid quod spectat, ipse, etiam per interpositum procuratorem, .advertit per Medicorum attestationes non solum probatam fuisse assertam infirmitatem, sed etiam, ¿psum canonicum se exhibuisse paratum ad subeundum medicorum examen ***iudicialiter*** peractum a medicis per Capitulares designandis ; hoc autem usque respuisse medium legitimae probationis canonicos ; qui adeo processerunt, ut dum pendebat quaestionis solutio apud S. C. C. decreverint, Canonicum Madrid distributionibus et fructibus privatum.

Ast Tridentinum habet § ***Praeterea*** C. XII, Sess. 24: « Praeterea, obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis , dignitates, canonicatus, praebendas, aut portiones, non licet vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus , quae longius servitii tempus requirunt: alioquin anno primo privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae, ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos, iuxta Sacrorum Canonum Constitutiones, procedatur ».

Iuxta vero dispositionem Tridentini Fagnanus ***De praebendis C. licet, n. 25,*** ait: « Ceterum etsi absentes percipere non debeant fructus praebendarum, non tamen hoc ita accipiendum est ut illos perdant ipso iure : sed ita est intelligendum, ut privandi sint ad praescriptum Concilii Tridentini in c. ***12*** § Praeterea, ***Sessione 24,*** ubi statuitur ut absentes ultra tempus ibi permissum, primo anno priventur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecerunt suos. Quod si iterum eadem fuerint usi

negligentia priventur omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerint: crescente vero contumacia contra eos iuxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur idest ad privationem tituli ».

Doctorum Epiphanii Poblacioni et Firmini Lopez iurata testimonia roborantur, ait orator, ab assertionibus ipsius Clientis, qui maxima honestate ac eximia morum probitate est praeditus. Has equidem Clientis virtutes, ac ea omnia quae ipse egit, declarat Breve quod Summus Pontifex die trigesima Augusti anni 1887 ad Clientem misit, et in quo haec habentur: « Dum ii, qui errorum tenebris obcaecati sunt, Catholicae veritatis elevare fidem et Christianam religionem oppugnare student, nihil est exoptandum magis, quam ut filii lucis sese propugnatores iustitiae et salutis animarum adsertores viriliter exhibeant. Talem vero praestare sese Iosephum Madrid Manso, Sacerdotem Palentinum et novimus et laetati sumus, qui quidem invicto a difficultatibus animo multiplices adhibere solet, et aeque omnes laudabiles rationes quibus gloriae Dei, et saluti proximorum consulit. Liberalitate enim providentiaque eius scholae ad Christianam adolescentium institutionem apertae sunt, Bibliothecae recte alendis ingeniis paratae ; circuli ad mutuam inter operarios caritatem fovendam, et ad excitandam pietatem constituti, christiana catechesis pueris tradita ; sacrarum litterarum vel praestantium librorum lectiones adhibitae ».

Praedictas Clientis virtutes praedictasque res ab ipsa peractas confirmat, instat orator, Eminentissimus Rampolla in Uteris die 31 Augusti 1887 ad Clientem missis.

Denique patronus testem exhibet Patrem Thomam Rodríguez Generalem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. En illius verba : « "Conoscendo bene il sig. Canonico D. Giuseppe Madrid Manso, già canonico della Metropolitana di Burgos ed ora canonico della Cattedrale di Patencia posso attestare che giudico il medesimo di una probità esemplare, ed incapace perciò, attesa la sua condotta antecedente, a

fìngere una malattia che non avesse veramente avuta, per allontanarsi da Burgos e non intervenire al servizio corale •con pregiudizio della propria coscienza ».

Veritati et iustitiae vero esse consentaneam assertionem et intentionem Canonici Manso, concludit advocatus, ipsum Capitulum diserte probavit, quippe quod recusavit suos delegare peritos physicos qui Canonici morbum experirentur prouti ipse postulabat enixius.

DEFENSIO CAPITULI. Asserit inprimis Capitulum , "veritati consonum non esse canonicum Madrid affectum fuisse primo in civitate Burgensi, suis incommodis; dum ille collegas suos certiores fecerit diversis in adiunctis eodem incommodo secum tulisse etiam dum fuit Canonicus Palentinus. In civitate autem Burgensi consuetudo eius deterior haud facta est: quia omnia onera canonicalia, aliaque recte implere valuit.

Medicos in contradictionem apertam inter se ivisse patet attestationes eorumdem legenti. Gratis autem asserit Advocatus adversae partis, incommodum Canonici Madrid iustam praebere causam absentiae a choro : nam etsi ***tit. III de clericis non resident, in VI*** habet : « Distributiones quobtidianae solum praesentibus, qui intersunt divinis dari de ent, exceptis illis quos infirmitas etc. »; tamen incommodum,- de quo agitur haud dispensare valet a residentia Canonicum qui Missam dicere valet, et divinum officium recitare, et frequentes peragere visitationes.

Communi autem sententia et consilio Capituli emissum est votum contra Canonicum Madrid. Nam consuetudo est in cathedrali nostra aliisque Ecclesiis, non tribuendi, nedum distributiones inter praesentes, sed etiam fructus praebendae, beneficiato, cui praesto non sit sufficiens excusationis causa dilatae absentiae ultra limites indultos.

Neque huic nostrae consuetudini obstat lex tridentina, quae intacta servatur ***Cap. 2, sess. 22, De Ref.*** - ibi - « salvis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus

non residentes, seu non servientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt >.

Demum in meritum quaestionis, ex officio, animadversum fuit, quod Moderatores actorum in S. C. C. videntur ea maxime de causa respondisse - ***non expedire*** - ad instantiam, quia orator non expetebat aliquod tempus indulti a residentia quousque gravis urgeret infirmitas, sed absolute et ulla addita conditione expetebat, se declarari immunem a lege residentiae in perpetuum, causa infirmitatis. — Iamvero huiusmodi indultum esse alienum a munere canonici et ab officio S. C. C, nemo est qui non videat.

Praeterea obstant petitioni canonici Madrid clarae legis praescriptiones iure Decretalium editae in tit. ***De clericis non residentiales*** - nec non Concil. Trid. ***Sess. 24, cap. 2+ De ref.*** - Quare possidet ius commune et praevalet quousque non certe constet de legitima causa absentiae quare,, his in adiunctis, titularis saltem per substitutum seu coadiutorem inservire debet. - Praeterea praxis est S. C. C. medicorum attestationes exigere iuramento firmatas: Regien. ***Indulti, die 14 Dec. 1850, § Constans.***

Nihilo secius in themate videtur favendum Oratoris instantiae, quia infirmitas a residentia excusat, uti planum est et tunc ***ne afflicto addatur afflictio,*** prouti ius praecipit naturale, fructus distributionum quotidianarum infirmo non conferuntur. Imo S. C. C. interpretata Conc. Trid. mentem non semel edixit, canonico illicite absenti fructus non esse auferendus, antequam per sententiam iudicis condemnatoriam pateat de illicita absentia ; ita referunt Garcías ***part. 2 De benef., cap. 2, num. 151, 152,*** iuxta Rotam Rom. in ***causa Cauzien. Fructuum coram D'Orano IO April. 1592.*** Barbosa ***cap. 70 De canonicis n. 22.***

Neque huiusmodi naturalem benignitatem valet remorari, eoque minus impedire oppositio canonicorum aliorumque interesse habentium quae, comprobata infirmitate seu legitimo residendi impedimento, veluti iniusta et irrationabilis reputatur, ceu testatur resolutio S. C. C. in ***Piscien. Indulti***

6 Dec. 1760; in ***Dr aten. Vacandi a choro 23 Iulii 1764*** et in ***Casertana Indulti abessendi die 16 Decemb. 1797.*** — Ad haec, uti non patitur aequitas ut qui morbum contraxit et inhabilis evasit ad inserviendum aut etiam ad residendum, beneficium resignare cogatur ; ita neque alterum exigitur ut ad inserviendum vel ;'residendum compellatur per substitutum, veluti S. O. O. declaravit in cit. ***Discien. 23 Iulii 1764.***

Quibus praemonitis, propositum fuit diluendum

Dubium

An distributiones quotidianae et fructus bénéficiâtes, quibus privatus fuit Canonicus Madrid, restituendi sint in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re disceptata sub die 7 Aprilis 1900 censuit respondere: ***Affirmative in omnibus.***

BURDIGALEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 7 Aprilis 1900.

Sess. 24, cap. 1, De Ref. Matr.

COMPENDIUM FACTI. De validitate matrimonii, quod, quatuordecim abhinc annis, Mauritius cum Iosephina contraxerat in civitate Burdigalensi, disceptatum iam fuit in plenariis comitiis mensis Iunii an. 1895. Dubium erat utrum confirmari vel infirmari debuerit sententia Curiae Burdigalensis quae validum ac ratum hoc habuerat coniugium - cui dubio S. C. C. reponere censuit: « ***sententiam esse confirmandam ».***

Cum vir, nova allegans, ***novae audientiae beneficium*** obtinuerit, haec causa in hodiernis comitiis redit discutienda.

Mauritius exercens cum patre in urbe Burdigalensi commercium, ob commercii causam adire solebat domum Georgii Eugenii eiusdem civitatis, qui pariter commercio erat addictus. Atque tunc accidit quod adamare coeperit Iosephinam, pulcherrimam Eugenii filiam, ipsamque statuerit quam citius in uxorem ducere. « ***Mlle. Josephine,*** ipse inquit, ***avait un physique séduisant; je crus par ce mariage assurer mon bonheur, ainsi qu'un avenir avantageux ; je me décidai donc ».***

Itaque die 12 Ianuarii 1886, praevio coniugio quod dicunt ***civile,*** Mauritius et Iosephina cum essent 21 annorum, legitimum iuxta Conc. Trid. contraxerunt matrimonium in ecclesia ***Notre Daine*** Burdigalensis civitatis.

At exitu infelicissimo !

Si dictis Mauritii fidem demus, iam ante nuptias Iosesephina eum nullo prosequebatur amore, tristitiae signa coram ipso praeferens, imo contemptum et probra in ipsum cumulans. Causa erat, quia Iosephina ob imperiosam parentum voluntatem eidem nupserat, cum erga alium ardentissimum foveret affectum. « ***y ai cédé aux obsessions de mon père, et de ma mère, mais, sachez-le, mon cœur est à Paris. Taime Mr. Ostermayer*** (causidicum)... ***et mon cœur lui est fidèle*** ». Sunt Iosephinae ad Mauritium verba, ab ipso modo relata. — Quod si postea, instante viro, matrimonium consummaverit, ideo consummavit ut libidini non officio satisfacere videretur. « ***Le mariage,*** item refert Mauritius, ***a été consommé douze jours environ après la célébration du mariage (douze jours de résistence de la part de l'épouse), et après la consommation du mariage elle me dit: vous m'avez eue par la chair, mais vous ne m'aurez pas par le cœur. Taime toujours Mr. Ostermayer... ».***

Quum Niciae peregrinaretur, virum tota die deseruit, ***« et ne voulut jamais,*** narrat Mauritius, ***me dire ce quelle avait fait toute la journée*** »; nec erubuit mulieres illas se dicere fortunatiores quae corpus prostituunt. — Itinere autem nuptiarum expleto, nil liquit intentatum ut a viro pe-

cuniam, quam pater inhiabat, extorqueret. At frustra.'Tunc Mauritius cognovit quod pater ipsam ad matrimonium coegit spe reparandi angustias suae rei familiaris. Hinc graviores inter coniuges exortae controversiae. Iosephum, uti vir asserit, non erubuit eidem suas praeteritas culpas patefacere, ter ab ipso discessit, ac tandem post quatuor menses in insulam ***Caz aux*** ad parentes aufugit; atque an. 1887, quod erat in votis, divortium obtinuit.

Tribus annis a divortii sententia elapsis, Mauritius Archiepiscopum Burdigalensem adiit, simul petens ut nullum, quippe ex parte sponsae coactum, coniugium declararet.

Instaurato processu, Archiepiscopus Burdigalensis ad Curiam Archiepiscopalem civitatis ***Buenos Ayres,*** ubi sponsa cum patre, qui bonis cesserat, transmigraverat, litteras dedit ut ipsa a iudice delegato circa suum matrimonium interrogantur. At Curia ***Buenos Ayres*** domicilium mulieris ignorabat, eamque proinde inutiliter citavit. Tunc Iudex Burdigalensis et defensor vinculi domum matris petierunt, promissione habita quod filia cum regeret, Curiam esset accessum. Sed cum hac ququque vice mulier non paruerit, ex S. O. C. mandato Curia Burdigalensis, citationis edictalis praetermissis solemnitatibus, perentoriam citationem misit ad Familiae Iosephinae domicilium, vocans Iosephinam et suos parentes, qui die assignata non comparentes iam declaraban tur contumaces.

Refert Mauritius quod Eugenius filiam sistere vetuerat, nisi prius ipse Mauritius ingentem pecuniae summam numeraret. Ex quo factum est, ut, cessante losepha, Curia Burdigalensis validitatem coniugii declaraverit.

Ad S. C. C. Mauritius extemplo appellavit : et appellatione pendente, Iosephina in Galliam cum redierit congrue rursus invitata fuit ut iudicio sisteret ; sed perfracte iterum recusavit. - S. C. C. iudicium Curiae Burdigalensis ratum habuit, ac die 22 Iunii 1895 rescripsit : « ***sententiam esse ' confirmandam*** **».**

Huiusmodi responsum Mauritio arridere non potuit : hinc

novae auditionis beneficium de more imploravit, quod ei concessum fuit.

Ipse contendit non rite in testibus interrogandis Quaesitorem se gessisse. Quorum aliqui vel hac ipsa de causa, vel quia Eugenium timebant non plene quid scirent de incusso metu, testificando exposuerant. Alios testes, eosque graves in venerat, quos intererat interrogare. Eo vel magis quod Eugenius id temporis aliam in urbem emigraverat, et poterant qui prae timore siluerant, iam libere loqui. — S. C. C. mandavit Archiepiscopo ut novus instauraretur processus, et, Iosepha evocata, ipsa ad iuris normam interrogare tur.

Tunc res insperata contigit. Nam Iosepha quae post divortium, militiae ducem turpi exardens igne in contubernium assumpserat, ubi primum edictum perlegerat, suadente ipso amasio, Archiepiscopo Burdigalensi scripsit ac nunciavit se mox e Russia ubi vivebat in Galliam iter facturam. Et cum die dicta stetisset, iurata affirmavit se ***coacte*** et ***ficte*** ad thalamum ivisse.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VIRI. Mauritii patronus suam orationem tria in capita dispertit. Arguit primo irritum esse coniugium quod quis ficte aut metu impulsus celebraverit. Et ostendit quid sit probandum ut constet de metu, quid ut de simulatione constet. Arguit altero coactam Iosepham, arguit tertio ipsam ficte Mauritio nupsisse.

Et ad primum caput quod attinet, ipse ex iuris scriptoribus ostendit irrita esse coniugia quae coacte contrahuntur. Id in primis leges ipsae canonicae constituerunt. « ***Matrimonium... solo consensu contrahitur ; et ubi de ipso quaeritur plena debet securitate illa gaudere, cuius est animus indagandus ne per timorem dicat sibi placere quod odit*** » (Alex. III ***in cap.*** Cum locum, ***4 de spons. V., cap.*** Veniens ***13 et cap.*** Consultationi tuae ***28 eiusd. tit.; item in cap.*** Significavit, ***2. de eo qui duxit in mat.).*** Et merito;

quippe, ut ceterae pactiones incusso metu rescinduntur, ita oportet irrita fieri coniugia quae rescindi non queunt; « ***secus enim innocenti*** (Ecclesia) ***non consuluisset*** » (G-asparri ***tract, can. de mat., editio altera, vol. 2, cap. 5, n.*** *811*, ***pag. 37).*** Ita Mansella, ***de imped. mat. dir im. p. 1, c. 1, art. IV, num. 2* p. 13.*** Eo vel magis quod matrimonium ***liberam*** Christi cum Ecclesia coniunctionem effingit, quodque innumera, vi iniecta, mala progignere solet Panormitanus ***cap. 14,*** Cum locum, ***de Spons. % 6;*** Sánchez, ***de sacr. mat. lib. IV, disp. 12, § 18.***

Sed non quivis metus ad irritandum matrimonium sufficit, verum dumtaxat metus ***gravis, a causa libera, iniustus, et directus ad extorquendum consensum. - « "Et haec regula canonica certissima, et ab omnibus admissa*** » Gasparri, ***op. cit. n. 822, vol. II, pag. 47.***

Praecipue quoad metus gravitatem, quaedam Mauritii defensor adnotat. Ostendit nempe ipsam non esse dimetiendam ex violentia illorum qui metum inferunt, neque ex verberibus : nam libertas minuitur, licet violentia et verbera desint. Quod ipse probat ex verbis ***cap.*** Cum locum, ***de Spons. V, sup. n. 9 ; ex*** Coscio, ***de sep. tor. cap. VIII, §§ 79, 93, 95, pp. 41, 43; ex Rot., in*** Colimbrien, ***coram*** Buratto, ***diei 19 decembris 1614, dec. 643 § 13, p. 1, rec; ex Rot. coram*** Bevilacqua ***in*** Romana ***nullit, mat. diei 24 Maii 1655, p. XII, dec. 23, n. 6, rec. V; et in*** Vercellen., ***diei 11 Dec. 1669, coram*** Bevilacqua, ***p. XVI, dec. 38, § 1 rec,*** ubi demonstratur quod in matrimonio non sufficit ***simplex consensus sed requiritur plena libertas et securitas.*** « Igitur metus gravis erit ***gravis trepidatio mentis,*** quae verificatur ***quando malum instans vel futurum grave est pro illa persona...*** » (Gasparri, ***op. et loc. cit. § 814, pag. 39, vol. II).*** Unde sufficiunt minae absque verberibus, imo imperium absque minis, quod impune non contemnatur. Ita Sánchez, ***op. cit. lib. IV, disp. VI, § 12, vol. I, pag. 375, et disp. VII, § 5 et 7, necnon*** Pirhing, ***ius can. lib. IV, tit. 1, sec, IV, § 5,*** Pontius

lib. IV, c. 5,§ 17 de sacr. mat., Gasparri, ***op. et I. c. § 815, et Rota in cit.*** Vercellen. § 2.

Ad simulationem deinde gradum faciens, advocatus probat ipsam non secus coniugium irritum facere; quod, post verba relata ex Mansella, et Coscio ***(op. cit.)*** speciatim probat ex Périès ***(Cod. procédure canonique dans les causes mat. p. 11, sect. 11. tit. XVIII art. 359 et seq.),*** qui animadvertit vel ita coniugem simulare ut dum nuptiae celebrantur, eas contrahere aversa mente non intendat; vel ita ut nullum velit contrahendo sibi»imponere officium; vel ita denique ut officia non detrectet, sed implere recuset. Si primum, irritum est coniugium ; sin alterum itidem irritum; si postremum, damnandus, qui ita simulat, sed matrimonio obbligatur. Et sane ; nam in primo casu nullus est assensus, et « ***deficiente consensu deficit substantia contractus »*** Mansella, op. ***et loc. cit.;*** in secundo, consensus est specie, sed reapse dissensio : cum coniugium coniugalibus sine officiis mente concipi non possit, Gasparri ***op. et loc. cit. n. 802 :*** tertium autem cum connubii natura pugnare non videtur, nam ***stat velle obligari ad aliquid faciendum et adesse animum non implendi*** » Sánchez, ***op. c. lib. II. disp. XXIX, n. 11, vol. II.*** Hinc patronus colligit quod ut coniugium solvi possit, probandum voluntatem discrepasse cum verbis dum coniux se obligabat, et id quidem liquido probandum; nempe probandum unum ex duobus prioribus contigisse in casu.

In secundo autem capite, ipse effuso calamo contendit matrimonium Mauritium inter et Iosephinam contractum iniuria coactum fuisse, ideoque nullum. Et in primis ex ipsius mulieris testimonio. — Iosephina iurata affirmat: «.... Il était très-important pour les intérêts de mon père d'avoir l'appui de Mr. Maurice et de son fils..., mon père voulait absolument mon consentement. Il agissait sur moi par intimidation. Il m'a dit souvent : si tu ne consens pas à ce mariage, je me suiciderai, je prendrai du laudanum. Tu me feras mourir de chagrin. Il prenait souvent un re-

Volver, comme s'il voulait le tourner contre lui même. Mes parents m'ont enfermée dans une chambre dans la crainte de ma fuite. Je me disais qu'une fois mariée je ferais ce que je voudrais ayant la volonté de me débarasser de ce mariage... Au moment du mariage civil, j'ai même beaucoup hésité avant de signer ; mais mon père était là qui nie dominait, et de plus je craignais le scandale d'un refus public... Pour le mariage religieux j'étais dans la même disposition____Le jour du mariage j'ai refusé l'entrée de Maurice dans ma chambre et je me refusais après le mariage le plus souvent.à mes devoirs de femme... ». — Ex hisce verbis concludit orator: si ..vera Iosepha retulerit, coniugium nullum esse luculentissime manifestatur. Re quidem vera, Iosepha profitetur metu adactam se Mauritio nupsisse. Iam hic metus est a causa libera, cum sit ab homine idest a patre. Est iniustus: quippe prolem ad thalamum adigere nefas. Est gravis; quia minae exercitae. Est incussus ad extorquendum assensum; patet. - Concurrunt itaque omnia, quae ex capite metus coniugium irritant.

Post haec, nonnullas patronus solvit difficultates, quae contra gravitatem huius metus facere videntur. Opponi enim potest quod ex illo metu ***graviter*** Iosepha percuti non poterat.

Respondet patronus quod in primis adfuerunt preces importunae, ***preces autem importunae metui comparantur;*** deinde adfuerunt minae, et quidem tales minae, quibus hominum fortissimus resistere nequit. « ***Je me suiciderai,*** aiebat pater; ***je prendrai du laudanum*** ». Ulterius « ***il prenait souvent un revolver comme s'il voulait le tourner contre lui ».*** Quin imo Iosepha et in custodia est retenta, ne fugae se daret.

Verum obiici adhuc posset, hoc malum patri, non autem Iosephinae impendebat. Mala autem quae nobis non impendent, nos graviter percellere nequeunt. Respondet orator quod quae nostris timemus fit ut valde et gravius quam quae nobis, non raro commoveant. Nam, tenent

omnes, mala gravia habentur quae non solum nobis impendent, sed et parentibus, consanguineis, affinibus, domesticis, imo etiam colonis. Deinde Iosepha sibi quoque, nisi nuberet, verebatur, ne pater se occidere paratus et in filiam saeviret.

At, num credibile quod pater serio patrasset omnia quae dictitabat? - Reponit Mauritii defensor quod pater Iosephinae adeo erat violentia continuo abreptus ut tale facinus absque dubio patrasset. Et hoc testes omnes uno ore affirmant. « ***Mr. Ve___est un homme violent, emporté, autoritaire, sans foi, ni loi; brutal, tellement brutal, quii se battait quelquefois avec ses ouvriers*** ». Nihil mirum proinde si vel filiae contradicenti vim et manus intulisset, vel sibi, ne ad incitas redactus, infamiam subiret.

Ut probet, Iosephinam verum exposuisse, patronus recolit tempus, quo ipsa est Burdigalae testificata. Sub initium causae, plus semel evocata tum epistolas, tum edicta contempsit. Pendente adhuc iudicio apud Sacr. O. C. Iosepha item flecti non poterat. Unde sententia de validitate matrimonii, cum de metu non constaret. Iamvero, si ipsa a periurio non abhorrebat, nil erat cur tamdiu reticeret. Hinc si hodie prompsit quae prius promere recusaverat, patet eam conscientiam stimulatam, suae sorti consuluisse. Quod et ipsa affirmat : ***«pour la paix de ma conscience... ».*** - Praeterea Iosepha dum id affirmabat apud Archiepiscopum Burdigalensem, fiebat amare; fletus autem veritatem heic ostendit. Unde iudex illius dioecesis : « ***Les réponses de la comparante ont paru... sincères, véridiques. La dernière réponse a été accompagnée de larmes, qui n étaient pas feintes et simulées, mais qui jaillissaient spontanément »***.

Dices : ideo stetit Iosepha, quia Mauritius pecuniam numeravit. Non, respondet orator; quia eximia est Mauritii integritas, et singularis eius religio : quod testes et ipse iudex Burdigalensis affirmant. Praeterea id ipsemet Mauritius iudici detexit; iamvero, num id detexisset, si uxorem corrumpere voleQbat ? uicumque parat insidias, secreto ma-

chinatur. Ulterius ; si ipse uxori pretium dare volebat, qua de re hoc ipsi accipere paratae non antea numeravit? Cur sivit suas sperni preces, quia pretium non dederat, et uxoris in hac nova inquisitione testimonium desiderari?

Post Iosephinae testimonium, Mauritii defensor testium depositiones adducit, quae illam minis a patre ad nuptias impulsam esse asseverant. « Quand Mr. Maurice se présentait Mr. Ve... le recevait très bien, mais il était obligé de pousser sa fille, de la forcer même pour la faire entrer dans le salon____Le cabinet de Monsieur Ve.... était rapproché de la lingerie où je me trouvais avec Madame Gaillard morte aujourd'hui. J'ai entendu Mr. Ve. . . . dire à sa fille: Il faut que tu te maries avec Mr. Maurice. IL a de l'argent. Toi seule peux sauver notre situation. - La fille déclarait qu'elle ne voulait pas de ce mariage. Un jour Mr. Ve.... dit à sa fille montrant un poignard: tu vois ce poignard. Qui est bien **afille,** si tu refuses ce mariage, je suis capable de m'en servir. — Une autre fois en montrant à sa fille un flacon de Laudanum Mr. Ve.... dit: si tu refuses ce mariage je suis capable de boir le contenu de ce flacon ». Ita Berta Lacoste, atque item Ioanna Giraud, Ioanna Martin Anglade, Ioanna Dejeanne, Laura Faydit, ***monialis,*** Maria Bourger, etc. Qui testes patrem, ne filia evaderet, vigilasse adhuc testati sunt.

Quibus positis, Iosephae credendum; quia, hisce testibus acquiescere rectum est. Nam testibus recte ac merito acquiescimus, quorum scientia non dubia, quorum fides infirmari non potest. Hos vero illud constat scivisse, quod suis oculis suisve auribus acceperunt. Et promereri fidem certis testimoniis comprobatur.

Obiicies : sunt testes duae quae habent, Iosepham sponte nupsisse. Respondet orator quod id maneret, quod firmavit; quamvis aliud, non duo sed centum testes persuasum haberent. Quippe patet eos, qui metum negant, opinione inniti; et rem, quae sub sensus non cecidit, hac innixos, testari. At contra, qui metum testificantur, minis utique interfue-

runt; et ex re quae sub sensus cecidit, metum optime coniiciunt.

Est axioma Innocentii, ait Sánchez ***c.*** Super hoc, ***de renunc. n. 2,*** magis credi duobus testibus de metu deponentibus, quam mille testantibus spontaneam voluntatem. Et ratio est quia, deponunt de metu, id quod asserunt potuerunt sensu corporeo percipere ***loc. cit. lib. IV, disp. 27, § 1, pag. 429.*** Idem alii scriptores, inter quos Mascardus.

Deinde non duo testes, sed plures de metu allegantur; contra vero neque mille, neque centum, sed vix duae testatae sunt. Quae quod asserunt nec habent in comperto. ***« Il me semble*** etc. », sunt eorum verba.

Oppones : quod narrant de minis, testes aliqui Burdigalae interrogati non antea narrarant. Ergo liquet eos fuisse sollicitâtes ; eisque credi non potest. - Reponit Mauritii patronus, quod testes affirmarunt se non rite, sed festinanter interrogatus fuisse. Se perperam, id temporis, intellexisse quid Quaesitor percontaretur. Seque denique Iosephae patrem metuisse, qui tunc Burdigalae commorabatur, quique sibi, labore victum quaerentibus, aut vi aperta, aut calumnia nociturus erat. Ita Berta Lacoste, Ioanna Giraud et Ioanna Martin.

Quod si egregius vinculi Defensor se praebeat incredulum et putet haec a testibus mendacio praetenta fuisse, suspicione eos, non modo argumentis, sed omnium luculentissime testimonio, confidit orator exsoluturum. Argumentis ; nam Mauritii integritas urbi toti spectata; nec fas est, quem omnes integrum existimant, sollicitatorem habere. - Urbi toti illius cognita violentia, a quo periculum impendebat, nec mirandum quod ad insaniam irasci solitus mulierculas ulcisceretur. Latet neminem, qui ***summarium*** evolverit, qua testes ratione primum Quaesitor interrogant. Et liquet cur non plene responderint, qui ea ratione interrogábante. Aut certe, cur id omiserint prudentiae gratia, quod poterat sine periurio dissimulari. - Testimonio: quod, tum ante alteram inquisitionem, tum postea ipse Quaesitor

impertivit. Qui antea, rursus inquiri de metu, ideo duxit opportunum ; quia causas, quas afferunt testes probabiles indicavit. Et Mauritium id enixe exposcentem S. O. C. commendavit; « honorable et chrétien, lui même, est de bonne foi en présentant de nouveaux témoins, il ne les a pas influencé dans le sens d'un témoignage inexacte. Le Grenier curé d'une grande paroisse paraissait, quelquefois pressé de voir finir la séance. Le mot ***menaces*** a dû être compris par des témoins dans le sens de menaces contre la personne de la fille, menace de coups, de mauvais traitements, de mort. Ils n'ont probablement pensé à d'autres menaces, par exemple à celles, qu'ils disent que faisait le père de Josephine de se tuer... Si la S. Cong. permet l'audition juridique des témoins, l'Officialité de Bordeaux n'y met pas d'opposition ». Ita Tourreau vie. gen., iudex-et Quaesitor.

Postea vero constare dixit de minis, quas testes, prius tacitas memorarunt. « D'après ces nouveaux témoignages dont plusieurs sont beaucoup plus explicites que la première fois, il est certain que le père a fait des menaces à sa fille pour la porter à épouser M. Maurice ».

Testium depositionibus relatis, patronus progreditur ad indicia. « Les indices, pouvant servir à attester qu'un mariage a eu lieu sous la pression d'une crainte grave, sont de la part de la femme: I° les larmes et ses lamentations avant le mariage, au moment de sa célébration et les jours suivants ; *2°* son aversion pour le mari manifestée avant et après le mariage ; 3* sa répugnance à se soumettre aux devoirs conjugaux ». Ita Peresius, quocum concinit Coscius.

Iamvero ; in primis Iosepha ante nuptias moerore iacebat, et animo fluctuari videbatur. Nubens vero querelas et lacrimas cohibere vix valuit. « Elle paraissait plutôt contrainte et forcée. Elle avait dû pleurer, car elle avait les yeux très-rouges... ». Ita M. Roche, C. Montalier, L. Faydit, Suberville, A. Faydit quae ait: « Pendant que je l'habillais pour la cérémonie elle était triste, elle pleurait ».

Secundo Iosepha assidue est Mauri tium aversata. Ita

vero, ut vel munera respueret, quae a Mauritio dabantur, et blanditias, si quas ille dicebat, inurbane aspernaretur: « L'attitude de Mlle Josephine vis-à-vis de son naneé était pleine de mauvais humeur. Elle voulait cracher sur le bouquet : mais, comme je détournai moi même le bouquet, le crachat me tomba sur la manche », reponunt citati testes. Et E. Montalier addit : « J'ai été témoin à Salignac d'un refus brutal de Mlle Josephine aux avances gracieuses de son mari ».

Postremo, Iosepha virum, coitum appetentem, plures noctes toro prohibuit. Coivit postea, ait patronus, at belluae ritu non uxoris, clamans illico se virum detestari. Denique quarto mense a nuptiis unitis, viri domum deseruit. Et ad virum redire recusavit. « Le soir quand M. Maurice voulait entrer dans la chambre de sa femme, celle ci criait: à l'assassin! ». Ita Berta La Coste. - « Au retour à Bordeaux sa femme ne l'admettait pas dans la chambre nuptiale pendant une dizaine de jours ». « Huit jour après les époux étaient revenus de la campagne. Je dis à la jeune mariée: - Hé bien êtes-vous contente? - Elle me répondit: - Non. - Je n'ai pas. voulu consommer le mariage », refert Ioanna Giraud: « Le mariage, addit Mauritius, a été consommé douze jours environ après la célébration du mariage, douze jours de resistence de la part de l'épouse, et après la consommation du mariage elle me dit : Vous m'avez eue par la chair : mais vous ne m'aurez pas par le cœur. J'aime toujours Mr. Ostermayer ».

Aliud indicium iuxta patronum est quod ex aere alieno ita Eugenius laborabat, ut reapse illi egestas instaret. Quod sane, cur has nuptias inhiaverit, cur filiam coegerit, non obscure significat: « Ses affaires étaient très-menacées », uno ore exclamant testes.

Praeclarum autem, instat orator, est indicium quod uxor, tempore non suspecto, de metu sibi incusso doluerit. Nec semel, sed millies est conquesta, non uni tantum sed pluribus. Et diurnis, quae suis digitis exarabat, querelas

consignavit. « Elle me disait (ante nuptias) mes parents veulent me marier, mais je ne veux pas de ce mariage ». Haec eadem confirmant alii testes adducti.

Accedit indicium, quod Iosepha tempore non suspecto, de coniugio solvendo cogitarit. Fraus enim sine ratione non concipitur. Ipsa tempore non suspecto, tum moniali, tum parocho, hoc propositum significantissime patefecit. In quo sane non perstitit, quia pater solvi noluit coniugium, nisi pretium daretur.

Denique, in postremo capite contendit Mauritii advocatus Iosepham *fíete* coniugio assensam fuisse. Et ex verbis ipsius Iosephae in primis id probat. Ait Iosepha: « Une fois mariée, je ferais ce que je voudrais, ayant la volonté arrêtée, de me débarasser de ce mariage... Mon attitude (après le mariage) n'était pas bonne avec mon mari. Je me refusais le plus souvent à mes devoirs de femme, et j'avais toujours l'idée arrêtée de m'échapper à la première occasion, ce que j'ai fait par trois fois. Et quand j'ai su que la loi du divorce était votée, j'ai resoulu d'en profiter pour rompre ce mariage... Mon père m'a dit que si je ne pouvais pas m'habituer à la vie commune il me ferait divorcer. Et cela non seulement après le mariage mais encore huit jours avant ».

Iamvero tale coniugium iuxta praemissa, concludit orator, fictum est ; nam Iosephina aut non habuit intentionem contrahendi matrimonium, aut habuit intentionem sese non obligandi, quibus in casibus matrimonium fictum est, ideoque nullum. Quod autem Iosepha asseverat tum testes locupletissima tum indicia non obscura declarant.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. EX altera parte, matrimonii ex officio defensor contendit standum esse pro coniugii validitate, cum neque de coactione, neque de simulatione constet. Et jpmum ipse memorat sententias tum Curiae Burdigalensis tum S. C. C. iuxta quas, omni iudiciali inquisitione ad iuris tramitem absoluta, pro validitate decisum fuit. Quae sententiae fuerunt corroboratae per ipsa

verba matris Iosephinae quae declaravit: « Que sa fille n'avait pas été forcée, et qu'elle avait épousé librement M. Maurice ».

Deinde notat quod, obtento novae audientiae beneficio, Mauritius per notarium recepit depositiones 12 testium, quos inter 8 excussi iam fuerant in prima iudiciali inquisitione. Iam Clemens V ***cap. 2, Clementin. de testib.*** monet: « Testibus rite receptis et eorum attestationibus publicatis, sicut non licet super eisdem vel directe contrariis articulis alios vel eosdem testes in principali causa producere, sic non debet in appellationis causa licere : cum non minus in appellationibus quam in principali causa subornatio sit timenda». Unde vitium in secundo processu habetur.

Historiam factorum recolens, matrimonii vindex animadvertit quod Iosephina valde hoc coniugium inhiabat. Ipsa enim professa est : « Ce mariage flattait mon amour propre ». Et Susanne vid. Abraham sciscitanti iudici : « Quels étaient les sentiments de Mlle. Josephine vis-a-vis de M. Maurice? » respondit: « Il me semble qu'en agréant l'idée d'un mariage avec Mr. Maurice, Mlle. Josephine était surtout flattée de devenir la femme d'un agent de change». Quod confirmat Susannae filia, Maria Abraham, quae ad eamdem iudicis quaestionem refert: « Mlle. Josephine më fit voir sa bagüe de fiançailles, et elle même dit avec une certaine fierté : je vais être la femme d'un agent de change à Bordeaux ».

Ulterius ante nuptias Iosephina renuerat ad poenitentiae tribunal accedere. At « sur la menace, ait Mauritius, que je lui fis de ne pas procéder au mariage elle se confessa ». Hoc autem signum est quod libenter ibat ad nuptias.

Iosepha matrimonium celebrare voluit non in ecclesia cathedrali quae eius paroecia futura erat, sed in ecclesia ***Notre Dame.*** Verum qua de causa ? Cum pluribus testibus respondet Mauritius : « Parce que l'Eglise ***Notre Dame*** lui (Iosephinae) paraissait plus belle se prêtant davantage à la'

pompe qu'elle voulait y apparaître avec un air de reine ». Num qui coacte procedit ad nuptias, haec omnia quaerit?

Dum autem nuptiae celebrarentur Iosephina consensum suum coram parocho et testibus ita praestitit, ut ne levissimum quidem coacti consensus indicium prodierit. Ipsemet Mauritius ad quaestionem : « Que savez-vous sur la manière dont l'épouse a répondu à l'Eglise, le oui, je le veux, et sur son attitude à la sacristie pendant la signature et au départ de l'Eglise? » rotunde reponit: « Je n'ai rien remarqué de particulier ». Ita Maria Roche Faydit, Mauritii soror; Maria Abraham, quae matrimonii celebrationi adfuit ceu « demoiselle d'honneur », eiusque mater Susanna.

Quae omnia recitata facta coactum excludunt, liberumque ac spontaneum matrimonium alte proclamant. Si enim Iosephina matrimonium odisset, nonne odio pariter habuisset annui um sponsalitium, aut saltem abstinuisset ab inani gloriola illud ostendendi «avec une certaine fierté » et se iactandi : « je vais être la femme d'un Agent de change ! » Haec porro ab invitis non quaeruntur, sed fastidiuntur.

Et ad rem, vinculi patronus citat decisionem S. Rotae quae coram Ratto, ***decis. 149, § 1,*** docet : « Cum agatur de matrimonio contracto...... et in ipso celebrationis actu intervenerit liber consensus utriusque contrahentis, omnis praesumptio militare debet pro validitate eiusdem matrimonii, nullaque ratio habenda de oppositis exceptionibus quando illae non sunt adeo perstringentes et efficaces ut ***incontinenti*** et ***concludentissime*** evincant praetensam .nullitatem^ sive ex defectu liberi consensus sive ex alia irritanti causa promanantem ».

Ad discordiarum originem quod attinet, harum culpa, iuxta matrimonii vindicem, non in Iosepham, sed in Mauritium est detorquenda. Indomitum Iosephinae ingenium si adversarios audias, et fortuna adversa, qua interea temporis perculsus est Iosephinae pater, discordiarum fomitem inter coniuges suppeditarunt. Sed versa vice laicus magi-

stratus curiae appellationis Burdigalensis illam Mauritio adscribi^ Hic enim ad ecclesiasticum iudicem reponit : « Le divorce a été prononcé contre moi pour cause d'adultère et de sévices, mais je ne me connais coupable ni d'adultère, ni de sévices ». Et cum Iosephinae pater, a iudice ecclesiastico per epistolam die 11 Iunii 1892 accepisset, Mauritium instare pro declaratione nullitatis matrimonii ex eo quod Iosephina « dominée par son père et par sa mère, n'aurait pas donné un libre consentement », ad ipsum iudicem respondit, « qu'il est complètement inexact; en effet, les seules raisons, comme les seuls motifs véritables sont mentionnés dans l'arrêt du 12 décembre 1887 de la Cour d'Appel de Bordeaux ».

Post memoratam laici tribunalis sententiam Iosephina spem concepit matrimonium ab ecclesiastico etiam iudice cassatum iri, et primum consilii causa adiit parochum loci Bruges, sacerdotem Petrum Bonnet.

Post haec, vinculi defensor gradum facit ad Iosephinae depositiones examinandas et demonstrat ex actis haud obscure erumpere cur ipsa in Mauritii sententiam decem post annos concesserit. Ipsamet ad secum conferendum sollicitabat Mauritium, prouti liquet ex nonnullis litteris.

Quorsum haec pertinent, quaerit vinculi defensor ? Audiantur testes qui referunt: que Mr. Maurice donne cinquante mille francs.

Sed dato etiam quod Mauritius pecuniam non numeraverit, exploratissimum in iure nostro est, prosequitur defensor, quod utrique coniugi hoc in casu credi non possit, iuxta textum expressum in ***cap.*** Super eo ***5, De eo qui cogn. consang. etc.*** Coscius in ***op. cit., lib. 2, cap. 18, n. 12:*** « Nihili, ait, facienda est eorumdem coniugum confessio, nisi concludenter assertum impedimentum aliunde probetur, non solum propter suspicionem collusionis, sed etiam quia talis confessio est emissa non contra, sed ad favorem confitentis qui vult separari, cui proinde prodesse non potest sive vir, sive uxor, sive uterque simul illam emiserit, ut

notat ***ibid.*** Glossa ***in verb. Confessionem,*** cum nemo testis esse possit in causa propria. ***L.*** Nullus ***10 ff. De testibus, L.*** Omnibus ***9, Cod, eod. ».***

Adde ; Iosephina quae matrimonii impedimentum affirmat, vita ac religione haud commendabilis existit. Testes fere omnes eam probris opprimunt, quorum minimum est « hypocrite, comédienne . . . . capricieuse . . . . . menteuse . . . . . très-fausse ». Mauritius vero, quem secundae inquisitionis testes passim dicunt - ***trop bon,*** super hoc probationis puncto extra causam prorsus est, nihilque caeteroquin scit propria scientia. Nam a iudice percontatus reponit : « Je ne sais rien que par témoins et les témoins déposeront ».

Tum Mauritius, tum Iosephina depositiones iam ante habitas corrigere festinant.

Ad depositionem testium quod spectat, ostendit vinculi patronus quod nullo ***veritatis amore*** ipsi flagrent !

Clare igitur, concludit Sacramenti vindex, clare patet quod heic agitur de systemate corrigendi primae inquisitionis acta; quae omnia ***per se*** satis loquuntur. Sponte enim sua hinc diiudicandum venit quaenam hisce testibus fides adhibenda et an primae vel secundae attestationi standum sit.

Interim ipse vindex solvit quod Mauritius opponit de Curia Burdigalensi. Ceterum, prosequitur, abs re non erit recolere testes uno veluti ore Iosephinam traducere in mulierem flocci facientem parentum voluntatem.

Sed facta verbis sunt eloquentiora. Iosephina enim usque a tenera aetate nulli parentum metui fuit obnoxia. Refert Aloysius Tabuteaux : « J'étais à Paris au mois de juillet 1881. Au bout de huit jours, la police la trouva (Iosephinam) dans un hôtel avec un jeune peintre. Elle avait alors de 15 à 16 ans ». Berta Lacoste narrat: « La famille craignant que la future (Iosephina) quittât la maison paternelle pour échapper à ce mariage fermait bien soigneusement la nuit la porte de la chambre de leur fille, et le père veillait quelquefois ». At si parentes timebant ne Iosephina aufugeret « pour échapper à ce mariage » excubandum erat

non solum « quelquefois » sed omnibus omnino noctibus, imo etiam diu.

Frustra praeterea, instat Sacramenti orator, ex adverso contenditur quod « Iosepha nulli solebat nisi ex' libìdine parere... sed patrem violentiorem est sortita ad cuius nutum regebatur. Quaeque ceteris morigerari recusabat, illius metu, qui eam subegerat, frangebatur ». Nam ipse animadvertit genus minarum cum testium dictis pugnare. Iosephinae enim pater seipsum occidere minabatur, non filiam. Qui autem hac ratione alium ad aliquid inducere vult, animi fortitudinem prodit vel imbecillitatem ? Vim in alium et auctoritatem ostendit vel propriam impotentiam ? - Deinde non credit, Iosephinam serio accepisse assertam suicidii comminationem ; si quid nihilosecius ex eo timendum ipsa habuisset, non aliter profecto id contingere potuisset, nisi supposito filiali erga patrem amore. Ast hic filialis amor ne concipi quidem potest cum facto, quod in incestuosa consuetudine patris cum filia consistit. Si enim velis, Iosephinam libere appetisse scelestissimam consuetudinem, nonne admittis, eam in tam profundam animi abiectionem promisse, ut incapax fieret amplius percipiendi delicatum et nobilem sensum amoris filialis? Si vero ponas coacte subiisse nefandum scelus, nonne dicis, filialem Iosephinae amorem in odium erga patrem verti debuisse? Numquid Iosephina heroina?

Haec de metu. Ad alterum obiectionum caput quod pertinet, contendit Sacramenti defensor nullo modo simulatum fuisse consensum in matrimonium. Etenim, in primis, frustra in actis documenta quaereres, quibus coniectari saltem posset quaenam revera intercesserit amoris necessitudo Iosephinam inter et adv. Ostermayer, quem ipsa dicit deperire.

Deinde ad alium virum necessitudinem suam adiungere ipsa appetebat, ad Michaelem nempe Couin, qui iurat: « Mlle Josephine était vicieuse. Elle m'a fait une fois des propositions immorales ». Quando autem ipsum Mauritium,

prima occasione arrepta, dereliquit, forsan adv. Ostermayer, virum cordis sui, quaesivit? Te fallis; ad patrem, cuius iugo premebatur, rediit. Neque adlaboravit ut voti compos fieret cum adv. Ostermayer. Adhuc Mauritius erat in corde ; Mauritio ipsa litteras saepe mittebat, ut Michael Couin testatur.

At Iosephina fatetur: « J'avais toujours l'idée arrêtée de m'échapper... de me débarasser de ce mariage... ». Huic difficultati respondet matrimonii vindex cum verbis Glossae in ***cap. 26, Sponsalibus*. . . . . .*v. mulierem;*** « Pone quod aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quae dicet vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat : consentio in te, numquid est hic matrimonium, vel non? In casu isto dico quod Ecclesia iudicare debet pro matrimonio ; quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam.... Talia enim verba non possunt servire suae intentioni : praeterea si probet, quod illa verba protestatis fuit primo, potuit postea recedere ab illa voluntate et consentire in illam, et hoc videtur per illud quod postea publice fecit: et si dicat quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non creditur ei, quia contra eum fieri debet interpretatio, quia dolum adhibet ».

Hisce hinc inde summatim relatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 7 Aprilis 1900 censuit respondere: ***Eas deductis non constare de nullitate matrimonii, et standum in decisis.***

BASILEEN.

IRREGULARITATIS

Die 23 Iunii 1900.

Per summaria precum.

COMPENDIUM PACTI. Supplices inter libellos S. C. C. oblatos in Comitiis ***diei 7 Aprilis*** currentis anni aderat Iosephi Stöger dioecesis Basileensis petitio, qua dispensatio ab irregularitate ob sinistri cruris defectum contracta efflagi taba tur. At EE. PP. resolutionem diferre censuerunt ea de causa, ut pleniores ab Ordinario dioecesano exquirerentur informationes.

Mandatis Sacri Ordinis obsequens, Episcopo Basileensi has dedi literas: « EE. PP. primo scire cupiunt an subrepuerit error amanuensis in verbis relationis Magistri coeremoniarum, quibus asserit quod orator non potest genuflectendo - ***se dimittere quam ad quinque fere decímetros;*** - timetur enim voluisse exprimere ***centímetros.***

« Insuper congruum est, ut Amplitudo Tua requirat votum docti et catholici medici, qui exprimat an debilitas, qua laborat in pedibus Orator, lapsu temporis possit augeri. Insuper ex tua relatione haud satis patet an Orator, verbum Dei praedicando, sacramenta administrando, pueros instruendo, infirmis assistendo etc. ministerium sacerdotale exercere valeat cum fidelium utilitate. Pariter Emi Patres noscere desiderant an adsit aliqua pia domus vel hospitium, ubi absque admiratione Orator sacrificium private offerre posset. Timetur etiam ne haeretici ex promotione huius clerici occasionem arripiant derisionis et vilipendii erga sacerdotium catholicum ».

Hisce postulatis ita reposuit Episcopus : « Eminentiae Vestrae votis morem gerens hisce informationem ampliorem exhibeo de casu irregularitatis ob defectum corporis - in specie debilitatem pedis sinistri - super quo nuper dispensationem imploravit Iosephus Stager, alumnus seminarii nostri.

« Ac primum quidem quod attinet ad mensuram flexionis, revera in supplici libello lapsus irrepsit amanuensis scribentis quinque decimetros loco quinque centimetrorum.

« Deinde E. V. inveniet votum medici docti et catholici, qui' oratorem novit ab ipsa eius adolescentia, huic epistolae annexum : ex quo habetur agi in casu de contractione et debilitate musculaturae in crure et pede sinistro, quae evenerunt consequenter ad febrem typhoidem, qua orator laborabat septimo aetatis suae anno, neque esse timendum ne functiones pedis futuro tempore magis impediantur.

« In eundo vix aliqua apparet claudicatio ; orator insuper iter plurium leucarum facile perficit. Quapropter nihil obstat quin verbum Dei praedicando, pueros instruendo, sacramenta administrando infirmis opitulando ministerio animarum inserviat.

« Neque timendum est, ne ex oratoris ordinatione religio catholica ab haereticis vilipendatur vel fideles inde scandalum desumant. Nam eiusmodi est populi nostri indoles, ut si in sacerdote appareat integritas vitae zelusque animarum, facile illi indulgeat, si ob defectum corporis forsitan aliquam functionem aliquantulum minus decore peragat. Nihilominus in deligendo pro oratore beneficio semper respectus habebitur ut eo loci dirigatur, ubi eius ministerium facilius possit ab omni contemptu esse immune.

« Denique cum orator sit bonae indolis et in scientia sacra bene versatus et spiritu sacerdotali praeditus, etiam ex parte dioecesis valde est optandum, ut per dispensationis beneficium ab hac S. Congregatione oratori succurratur ».

Votum periti medici sequentis est tenoris : « Crus sinistram habens 27 centímetros in circuitu comparate ad crus dexteram, quod 42 centimetrorum habet circuitum, exhibet defectum 15 centimetrorum; insuper Tendo Achillis sinistra reperitur notabiliter contracta. Inde consequitur incessus paululum tracticius et tarditas quaedam in certis motibus ex. gr. in surgendo a genuflexione.

« Quorum defectuum causa minime est quaerenda in morbo

-centrali medullae dorsalis spinae, sed provenit ex debilitate musculaturae quae ipsa est sequela fèbris typhoidis, qua praedictus D. Stager laborabat septimo aetatis suae anno. Proinde non est aestimandum, functionem actualem cursu temporis, in quantum praevideri fas est, peiorem esse evasuram. De cetero impeditio functionis etiam quae nunc habetur non est talis quae facile appareat ».

Quibus exhibitis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C.C. re cognita sub die 23 Iunii 1900, •censuit respondere : ***Pro gratia dispensationis, arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSfho.***

EPOREDIEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 23 Iunii 1900.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Eporediensis Sanctissimo Domino Nostro die 13 Martii curr. anni hunc supplicem porrexit libellum :

« Avendo trovato nel giovane Alessandro Domiziano del vivente Conte Massimo Mola di Larisse di Fiorano, di questa Diocesi, evidenti segni di vocazione allo stato ecclesiastico, nell'anno ultimo scorso 1899 l'ammise a vestire l'abito chiericale da lui vivamente desiderato e chiesto.

« Egli però, dotato di non comune ingegno, e di felicissima memoria, ha vista debolissima, e non può leggere che con molta difficoltà, la quale dai parenti si ha fiducia, che col tempo possa diminuire.

« L'esponente supplica perciò a V. S. per sapere, se, perdurando nel giovane il difetto di vista, potrebbe il medesimo ottenere, a suo tempo, per esser promosso al sacerdozio la dispensa Pontificia dal rito ordinario del Calendario per celebrare la Messa de B. M. V. o de Requiem e

recitare altre preghiere in luogo del Breviario; nel quale; caso, e colla celebrazione della S. Messa, massime ne' giorni festivi, e coli'esercizio del sacro Ministero potrebbe essere di assai vantaggio al suo paese natio, dove non ha obbliga di residenza che un solo sacerdote, che è il Parroco ».

Medici vero testimonium, quod laudatus Praesul suis uteris addidit, huiusmodi est : « Il sottoscritto certifica che il detto giovane cav. Alessandro, è dotato di ottima, forma scheletrica e regolare, e di sana robusta costituzione fìsica, e squisiti i quattro sensi. Il senso visivo è però anormale, per cui per difetto di trasposizione degli archi visuali non può ben distinguere oggetti minuti. Ma sia perla floridezza generale della salute, sia per la tendenza della natura fìsica riparatrice, lo scrivente può assicurare che detta debolezza visiva non andrà mai oltre, anzi havvi motivi fondati di sperare che terminata la crescenza del corpa la lamentata acuità visiva abbia da rinvigorirsi ; dovenda a tal uopo notare che sani sono gli apparecchi diafani dell'occhio, come pure regolari le forme esterne ». Medicus autem testatur, Oratorem in aetate 21 annorum esse constitutum.

Disceptatio Synoptica.

DISPENSATIO DENEGANDA VIDETUR. D.e irregularitate nulla modo dubitari posse videtur in casu, cum ss. Canones irregulärem dicant eum, qui propter debilitatem secure celebrare non valeat, idque in specie retineri debeat admissum a S. Congregatione C. inter alias, in una ***Vercellen. 28 Iulii 1860*** inter Summaria Precum relata; in ***Colonien. Dispensationis, die 13 Septembris 1862.*** Etenim in prima clericus Egidius Ferraris simplici visivae facultatis debilitate praepeditus, petiit a S. C. C, ut sibi concederetur sacris ordinibus initiari, ac diebus festis duplicibus votivam B. M. V., reliquis vero diebus missam defunctorum celebrare liceret. Sed EE. PP., omnibus consideratis, responderunt: « Non

expedire ». - In altera vero causa, seu ***Colonien,*** agebatur de clerico promovendo ad sacros ordines, qui ob debilitatem oculorum omnes res parum distincte et clare discernere poterat; attamen responsum prodiit: « quoad sacros ordines, non expedire ». In utroque casu Episcopus valde commendabat bonos mores oratoris et utilitatem, quae ex eorum promotione esset obventura Ecclesiae. Ita etiam in quadam ***Carcassonen, diei 27 Februarii 1869*** et in quamplurimis aliis. - Accedit quod in themate non de promoto, sed promovendo agitur ; iamvero S. C. C. praxis est, ut facilius dispensatio concedatur, cum agitur de iam promoto, quam de promovendo, ut in ***Comen. Dispens. 16 Maii 1775 et 11 Iulii 1776*** et in ***Neapolitana, Irregul. 13 Septembris 1814.***

DISPENSATIO INDULGENDA VIDETUR. Nihilominus probati oratoris mores, eius pietas et ingenium, quae adeo ab Episcopo commendantur, maxima in consideratione haberi decent, hisce praesertim temporibus, in quibus sacerdotum penuriam undique lamentamur. Quae adiuncta eo vel magis gratiae viam sternere queunt, quia orator non adeo nervorum opticorum debilitate laborat, ut vix lucem a tenebris discernere valeat. Quandoquidem orator res omnes licet parum distincte et clare, videre potest, quas sani vident. - Neque timendum est, ne in dies malum ingravescat ; adest enim in hac re subscripta medici attestatio, qui asserit : « Che detta debolezza non andrà mai oltre, anzi havvi motivi fondati di sperare che terminata la crescenza del corpo, la lamentata acuità visiva abbia da rinvigorirsi ».

Neque ulterius desunt exempla, difficilioris profecto speciei, in quibus S. C. C. dispensationis indulgentiam adhibendam esse censuit. Ita in quadam ***Lavallen. Irregul. 14 Maii 1870*** gratia fuit concessa clerico Eduardo Privet, dioecesis Lavallensis, qui ob debilitatem oculorum nullo modo Sacrum in Missali legere valeret; attamen responsum prodiit: « pro gratia arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo ». Et in quadam ***Geneven. Irregularitatis, die 20 Martii 1880***

dispensatio concessa fuit, ut sacrum ordinem Presbyteratus susciperet diaconus Franciscus Dufresne, qui oculorum usum ferme ita amisit, ut ***rerum quemdam generalem et nebulosum conspectum haberet:*** nihilominus EE. PP. attenta oratoris pietate et Ecclesiae utilitate rescripserunt : « Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia cum facultate oratori celebrandi missam B. M. V. et obligatione adsistentiae alterius sacerdotis vel diaconi, facto verbo cum SSmo ».

Item in ***Faventina, Irregul. die 15 Feb. 1879,*** nec non in ***Maioricen. diei 30 Maii 1891*** dispensatio remissa fuit arbitrio et conscientiae Episcopi favore cuiusdam clerici, qui a nativitate ita caecutiens erat, ut nonnisi difficulter legere posset in missali, etiam conspicillis munitus. Tandem nuperrime in ***Augustana diei 17 Iunii praeteriti anni*** gratia concessa fuit clerico Ludovico Hoefner, in aetate 24 annor. constituto, qui ob visivae facultatis debilitatem irregularitate praepeditus erat; et Vos EE. PP. hoc dedistis favorabile responsum: « Pro gratia dispensationis ab irregularitatis defectu, dummodo orator celebret cum adsistentia alterius Sacerdotis, facto verbo cum SSmo ».

Tandem dispensationem persuadent animarum bonum et indubia utilitas, quae ex eius promotione ad presbyteratum Ecclesiae erunt certo obventura; quandoquidem, ait Episcopus : «colla celebrazione della S. Messa, massime nei giorni festivi, e coli'esercizio del sacro ministero potrebbe essere di assai vantaggio al suo paese natio, dove non ha obbligo di residenza che un sol sacerdote, che è il parroco ».

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quodnam responsum esset precibus dandum.

RESOLUTIO. Sacra C. C, re disceptata sub die 23 Iunii 1900, censuit respondere : ***Arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo..***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

LITTERAE quibus indulgetur ***tuto*** procedi posse ad solemnia beatificationis ven. Mariae Magdalenae Martinengo a Barco.

LEO PAPA XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Nulla unquam aetate Ecclesiae Christi Sanctorum gloria defuit. Haec enim non viris tantum sed etiam feminis virtute praeclaris laetatur, quae coelestis Sponsi vestigiis insistentes per arduum quodque virtutis iter vitam constantissime egerunt. Ipsa puellas martyrio insignes primis potissimum temporibus excitavit, ipsa spectandas virginum cohortes protulit, quae posthabita rerum mortalium cura spretisque illecebris ac deliciis mundi sese Deo totas manciparunt. Hae abditae in Christo solitariam et umbratilem vitam agentes, pauperes, omnibus abstinentes supra quam credibile est, contra naturae infirmitatem fortes coelestis Agni qui inter lilia pascitur nuptias inhiarunt, immortalia ab ipso praemia praestolantes. Inter has emicuit Venerabilis Dei Famula Maria Magdalena Martinengo a Barco, quae die quinta mensis Octobris anno reparatae salutis MDCLXxxvn e vetusta ac praenobili inter Italos gente Martinengo Brixiae nata, avitum familiae decus longe auxit splendore virtutum, Margaritae nomine in Baptismate appellata a teneris unguiculis pietatis laude floruit vitaeque innocentia. Silentio enim potius ac solitudini quam nugis puerilibus solebat vacare, diu orare, precesque ad plures horas producere, pauperum simul inopiam industrio charitatis studio levare egregiae indolis puella, unice cupiebat. Prima illa aetate magnum vitae discrimen subiit; nam ruri cum forte currenti cisio veheretur, numi lapsa et a praepete rota in pulverem provoluta non nisi praesenti Dei ope tanto e periculo omnino incolumis evasit. In Monasteriis Angelorum ac Spiritus Sancti institutionis causa recepta, sociis ac magistris virtutum omnium se praebuit exemplar. Ibi primum coelesti Sponso florem virginitatis vovit, ibi poenitentiae ac vitae interioris spiritu adducta in religiosam Monialium Gapula tarum familiam coepit cogitare. Quare contempto saeculi fastu,

neglectis praedivitis familiae commodis spretisque mundanis nuptiis ac fortiter devictis a patre et consanguineis obiectis difficultatibus, die octava Septembris mensis anno MDCCVI in asceterium Brixiense Monialium Capulatarum in optatum veluti portum laeta confugit, et in ipso iuventutis flore insignis fama et nobilitate virgo miserum induta S- Francisci sagum et aspera fune lumbos praecincta, Mariae Magdalenae nomine assumpto, solemnia religionis vota nuncupavit. Quibus quidem nuncupatis videri coepit ad religiosae vitae perfectionem concitato cursu contendere. Mira quippe in ipsa elucebat humilitas, singularis et in obtemperando alacritas et in quibusvis molestiis perferendis patientia, accuratissima legum vel minimarum observantia, nunquam intermissum precationis studium, cui dies noctesque quum instaret alienato saepe a sensibus animo divinae gratiae donis uberrime perfundebatur. In recolendis autem Christi Domini cruciatibus tanto afficiebatur doloris sensu tantaque inardescebat amoris flamma, ut prope exanimis plerumque languesceret. In afflictando autem corpore assidua illi austeritas, nam puritatis filium quod a primis annis Deo dicaverat, aspera praecinctum poenitentiae sepe servavit et innocens corpus ieiuniis, flagellis, ciliciis aliisque exquisitis cruciatibus compescuit. Virtutibus enim omnibus heroice perfuncta poenitentiae exempla reliquit admiranda magis quam imitabilia. Ferro etiam atque igne in carnem saeviit: saepe ferréis acubus membra transverberavit cruentaque vulnera ardenti sulphure perstrinxit. Nullis in monasterio pepercit laboribus nec abiectissima quaeque munia detrectavit: vestes sordidiores, cellam angustiorem, lectulum equuleo magis quam strato similem in deliciis habuit. Sed cum ob virtutum praestantiam omnium admirationem sibi conciliasset, eam licet in vitam ad potiora officia sodales vocarunt. Et primum puellis quae in tyrocinio versarentur ad religiosam vitam exercendis informandisque praeposita fuit commissasque suae fidei et magisterio virgines ad ingrediendum atque excurrendum naviter perfectionis iter exemplo suo confirmavit. Dein munus obiit Rotae Custodis atque hoc in officio vel extra monasterii claustra plures Deo animas salutaribus monitis lucrifecit, brevique universam urbem sanctimoniae suae fama complevit, ita ut innumeri fideles ad asceterii crates accederent ut solam Venerabilis Dei famulae vocem audirent. Tandem plenis suffragiis in Abbatissam electa amplum et grave

munus tam sancte gessit, ut ipsae moniales testatae sint regimen illius divinum potius fuisse quam humanum. Triennio ingravescentibus in dies conflictata infirmitatibus, quas hilari semper constantique animo pertulit, dissolvi cupiens ut ad coelestes Agni nuptias quas tantopere deperibat advolaret, anno MDCCXXXVII sexto Kalendas Augustas, laboribus magis ac poenitentiis quam aetate confecta, Brixiae, qua in urbe ante annos quinquaginta lucem hauserat, exitu placidissimo animam efflavit. Quae de Venerabilis Dei famulae Mariae Magdalenae Martinengo a Barco sanctimonia invaluerat opinio, percrebuit magis postquam ipsa e vivis excessit, accedente praesertim prodigiorum celebritate quae ipsa Dei famula deprecante contigisse ferebantur. Haec providentiae divinae illius tumulum illustrants praeclara documenta, multi enim ex Mariae Magdalenae sepulchro praesentem opem sensere, novos Franciscalibus Capulatis nec non Clero populoque Brixiensi subiicere stimulos ut Mariae Magdalenae Martinengo causa apud Sacrorum Rituum Congregationem ageretur. Probationibus iuridice sumptis riteque perpensis Pius PP. VI re. me. Praedecessor Noster tertio Nonas Maias anno MDCCLXXVIII Mariae Magdalenae virtutes heroicum attigisse fastigium solemni sanxit decreto. Inita est dein actio de miraculis quae ea deprecante divinitus patrata tradebantur, omnibusque de iure absolutis idem Praedecessor Noster Pius PP. VI per decretum quinto Nonas Martias anno MDCCXCIII datum de uno miraculo constare solemniter edixit; Nosque per decretum quinto Nonas Iulias anno MDCCCXCVIII editum de altero miraculo intercessione Venerabilis Famulae Mariae Magdalenae a Deo patrato constare similiter suprema auctoritate Nostra declaravimus. Quum igitur de virtutibus ac de duplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud supererai discutiendum num eadem Venerabilis Dei Famula inter Beatos coelites tuto foret recensenda. Quod praestitit dilectus filius Noster Caietanus S. R. E. Presbyter Cardinalis Aloisi Masella causae relator in generali Conventu coram Nobis in vaticanis aedibus tertio ¿alendas Décembres anni MDCCCXCVIII habito, omnesque tum Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi, tum qui aderant patres consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam coeleste auxilium Nobis compararemus, Dominica vero in Septuagésima supe-

rioris anni, Eucharistico litato Sacrificio, adstantibus Cardinalibus Camillo Mazzella Episcopo Praenestino Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, ac praefato Caietano Aloisi Masella relatore, nec non R. P. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, decrevimus tuto proeedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Famulae Mariae Magdalenae Martinengo a Barca Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos moti precibus universi Ordinis Franciscanum Capulatorum, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Famula Maria Magdalena Martinengo a Barco Monialis professa Capuccinâ Beatae nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae publicae venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra Apostolica concedimus ut de illa recitetur officium et Missa celebretur singulis annis de communi Virginum cum orationibus tamen propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in Dioecesi Brixiensi atque in templis omnibus atque oratoriis quibus ubique terrarum utitur Franciscalium Capulatorum ordo, ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus qui Horas canonicas recitare teneantur. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famulae Mariae Magdalenae Martinengo a Barco in dioecesi ac templis supradictis celebrentur cum officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus diebus per Ordinarium designandis intra annum postquam eadem solemnia in Patriarchali Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non-cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur. Datum Romae apud. S. Petrum sub annulo Piscatoris die xvni Aprilis **MCM**, Ponticatus Nostri Anno Vigesimotertio.

L. * S.

ALOIS. CARD. MACCHI.

MONITUM super Cruce Altaris, exaratum, auctorante S. R. Congregatione, a moderatore Liturgicarum ephemeridum.

S. R. C. auctoritatem nobis tribuit memoriam parochorum aliorumque Ecclesiarum rectorum excitandi, ad cogitationem Crucis altaris. Aliquod enim ea super re ineptum facinus irrepere coepit in Dei templis, neque Urbis exceptis, cum sacrificium Crucis iteratur, ut videlicet vix paullulum Crucis (eiusmodi nobis exprimendi rationem lectores condonent) super altari habeant tempore Missae, quod legi omnino opponitur^ et tolerari non potest.

Sane: Rubrica Missalis exigit *(Tit. XX),* ut super altare collocetur Crux in medio: profecto ut a sacrificante circumstantique populo videatur.

Quam Caeremoniale Episcoporum declarans, iubet, ut Crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine sanctissimi Crucifixi *(Lib. I, Cap. XII, num. 11).*

Maiori quoque perspicuitate sacrorum Rituum Tribunal rem exponens edicit: *(16 Iun. 1663, n. 1270 ad 1).* Parva Crux,, esto cum imagine Crucifixi, non est sufficiens, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum. Ñeque id satis habuit, sed graviori quoque ratione alias respondit, statuens: Reprobandum abusum collocandi parvam crucem vix visibilem, vel supra tabernaculum vel supra aliquam minorem tabulam titani in medio altaris, loco Crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit; et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat iuris et facti remediis.

Quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia tempore sacrificii apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti quam populo, *17 Septembris 1822, n. 2621 ad 7.* Atque animadvertas oportet, Decretum supra relatum a Pio Pp. VII esse approbatum, qui illud expediri et publici iuris fieri mandavit, locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant.

S. R. Congregationi inhaerens Summus quoque Pontifex Benedictus {XIV, in Constitutione *Accepimus* d. 16 Iul. 1746, quam ius constituere latet neminem, ita universis Ecclesiae Episcopis affatur: «Vobis praecipimus, ut nullo pacto patiamini (neque in Ecclesiis Regularium) rem divinam fieri..... nisi

Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans ac populus sacrificio assistens eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint: quod evenire nequit si exigua solum Crux minori tabulae defixa fidelibus exhibeatur ».

Negotium ergo istud non exigui, sed gravis momenti est, ut eo pervenerint nonnulli Episcopi, quod determinare mensuram praefatae Crucis necessarium iudicaverint. Hinc iure merito ei. Foppianus concludit : « Cum itaque res sit, tanti momenti et sub gravi praecepto posita, Crux cum imagine Crucifixi in medio altaris collocanda est omnino palam, visibilis ac talis magnitudinis, ut subito in conspectu veniat Celebrantis et populi» *(Enehirid. pro Saeerdot. pars. I, Tit. XX, n. 2).*

Equidem mos invaluit, ut minores pictae tabulae super altari collocentur, pro iisque praeceptum Crucis praealtae in medio candelabrorum parvipendatur; at devotio non debet se legis observantiae substituere.

Illa vere devotio est, quae ad legum observantiam ducit; quae vero legem impedit, falsa est et reprobanda.

Itaque nomine et auctoritate S. R. Congregationis ad huius observantiam legis enixe adhortamur omnes quorum interest, illorumque conscientiam gravari, si id neglexerint, liceat nobis in eorumdem mentem redigere.

fr*——

EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE quo conceditur indulgentia tercentum dierum recitantibus Orationem in calce relatam in honorem Mariae SSmae Auxiliatricis.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Oblatis Nobis precibus a dilecto filio Caesare Cagherò procuratore generali Congregationis Salesianorum benigne annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia et BB. Petri et Pauli Ap. Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum degentibus, qui corde saltem contriti quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, ora-

tionem recitent, Mariae Auxiliatrix dicatam, quae vulgari lingua incipit verbis: « O santissima ed Immacolata Vergine Maria » - et desinit in haec verba - « possiamo andare a farvi corona nel bel paradiso. Così sia. » - iuxta exemplar quod a S. Rituum Congregatione probatum in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari iussimus, qua vice id agant, trecentos de poenalium dierum numero in forma Ecclesiae solita per praesentes expungimus, et largimur ipsis liceat hac partiali indulgentia functorum vita labes poenasque, si malint, expiare. Verumtamen praecipimus ut harum litterarum authenticum exemplar deferatur (quod nisi fiat nullas easdem esse volumus) ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, iuxta decretum ab eadem Congregatione sub die XIX Ianuarii MDCCLVI latum et a S. M. Benedicto Papae XIV, Praedecessore Nostro die XXVIII dicti mensis approbatum,'utque earumdem litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris, servato tamen tenore Nostrae Constitutionis de suspensione indulgentiarum vertente hoc anno universalis Iubilaei. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X Martii MCM, Pontificatus Nostri Anno Vigesimotertio.

Pro Dno Card. MACCHI
NICOLAUS MARINI, ***Substitutus.***

Praesentium Litterarum Apostolicarum exemplar exhibitum fuit Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 17 Martii 1900.

Ios. M. Canonicus COSELLI, ***Substitutus.***

PREGHIERA A MARIA AUSILIATRICE

Santissima ed Immacolata Vergine Maria, Madre nostra tenerissima e potente Aiuto dei Cristiani, noi ci consacriamo interamente al vostro dolce amore ed al vostro santo servizio.

Vi consacriamo la mente co' suoi pensieri, il cuore co' suoi affetti, il corpo co'suoi sentimenti e con tutte le sue forze, e promettiamo di voler sempre operare alla maggior gloria di Dio ed alla salute delle anime.

Noi intanto, o Vergine incomparabile, che siete sempre stata PAusiliatrice del popolo Cristiano, deh! continuate a mostrarvi tale specialmente in questi giorni. Umiliate i nemici di nostra santa Religione e rendetene vani i malvagi intenti. Illuminate e fortificate i Vescovi ed i Sacerdoti e teneteli sempre uniti ed ubbidienti al Papa, Maestro infallibile ; preservate dall'irreligione e dal vizio l'incauta gioventù; promovete le sante vocazioni ed accrescete il numero de' Sacri Ministri, affinchè per mezzo loro il regno di Gesù Cristo si conservi tra noi e si estenda fino agli ultimi confini della terra.

Vi preghiamo ancora, o dolcissima Madre, che teníate sempre rivolti i vostri sguardi pietosi sopra l'incauta gioventù esposta a tanti pericoli, e sopra i poveri peccatori e moribondi; siate per tutti, o Maria, dolce speranza, Madre di Misericordia e Porta del Cielo.

Ma anche per noi Vi supplichiamo, o gran Madre di Dio. Insegnateci a ricopiare in noi le vostre virtù, in particolar modo l'angelica modestia, l'umiltà profonda e l'ardente carità, affinchè, per quanto è possibile col nostro contegno, colle nostre parole, col nostro esempio rappresentiamo al vivo in mezzo al mondo Gesù benedetto vostro Figliuolo, e facciamo conoscere ed amare Voi e con questo mezzo possiamo riuscire a salvare molte anime.

Fate altresì, o Maria Ausiliatrice, che noi siamo tutti raccolti sotto il vostro manto di Madre, fate che nelle tentazioni noi v'invochiamo tosto con fiducia; fate insomma che il pensiero di Voi, sì buona, sì amabile, sì cara, il ricordo dell'amore che portate ai vostri divoti ci sia di tale conforto da renderci vittoriosi contro i nemici dell' anima nostra, in vita ed in morte, affinchè possiamo andare a farvi corona nel bel Paradiso.

Così sia.

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM quoad facultatem excipiendi confessiones fidelium navigantium.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita fer. IV, die 4 Aprilis 1900, quum disceptatum fuisset super facultate Sacerdotum, iter transmarinum facientium, excipiendi Fidelium eiusdem itineris comitum sacramentales Confessiones, Emi ac Rmi DD. Cardinales in universa Christiana Republica Inquisitores Generales, ad omnem in posterum hac super re dubitandi rationem atque anxietatibus occasionem removendam, decreverunt ac declararunt: *Sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario Confessiones excipiendi facultatem habeant, posse in navi, toto itinere durante, Fidelium secum navigantium Confessiones excipere, quamvis forte inter ipsum iter transeundum, vel etiam aliquandiu consistendum sit diversis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.*

Hanc autem Eñiorum Patrum resolutionem SSmus D. N. Leo div. prov. PP. XIII per facultates Emo D. Cardinali S. Officii Secretario impertitas, benigne approbare et confirmare dignatus est.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius.*

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXXII CONTINENTUR

LITTERAE ET ACTA R. PONTIFICIS

EX S. G. CONCILII

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

EX S. CONGR. RITUUM

EX SECRETARIA BREVIUM

EX S. CONGR. EP. ET REG.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

EX S. CONGR. NEGOTIORUM EXTRAORDINARIORUM

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesg.